



Curtius Rufus, Quintus

Q. CURTII RUFII

DE REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

LIBRI SUPERSTITES

CUM

SUPPLEMENTIS FREINSHEMII

ET INDICE RERUM.




RECENSUIT

C. H. WEISE.



NOVA EDITIO STEREOTYPA.



LIPSIAE

SUMTIBUS ET TYPIS CAROLI TAUCHNITII.

1840.

Printed in Germany

PA 6376
.A2
1840

405984

★ '31

P r a e f a t i o .

Uti nuper in Sallustio, ita nunc quum tabulae stereotypae, in quibus Curtius continebatur, renovandae essent, tanto minus in pristina eius *textus* recensione acquiescendum esse duximus, tanto uberiores huic quoque scriptori recentior philologia suam operam dicavit. Eandem tamen et in hoc, quam in illo, viam ingressi sumus vel circa lectionem vel scripturam, easque potissimum veterum librorum lectiones restituimus, quas et sensus et historia et scriptoris usus necessario recipiendas suadebat, omisimus autem omnes eas, quae peculiare essent certis quibusdam libris, quibusque vulgati *textus* lectiones vel propter sensum vel usum scriptoris, si minus praeferendae, at certe non postponendae viderentur. In primis autem accuratam dedimus operam, ut,

quantum id humana ope praestari posset, textus
 omni mendo purus redderetur: quod si nobis, uti
 speramus, satis commode contigerit, habet hic
 lector editionem et ab externo ornatu iure meri-
 toque commendandam, et circa ipsius scriptoris
 textum ita emendatam, ut cuivis loco sua senten-
 tia suaque dictio genuina, quoad id hodie effici
 potuit, bene salveque constet, et, in quantum il-
 lud ab huiusmodi editionibus requiri et debet et
 potest, correctissimam. Quae ut quam plerisque
 historiam resque gestas Alexandri magni cogno-
 scere cupientibus et voluptatem et utilitatem quam
 maximam praebeat, est quod optemus. D. Lipsiae
 mense Majo MDCCCXL.

C. H. W.

I. FREINSHEMII
SUPPLEMENTORUM
IN
Q. CURTIUM
LIBER I.

ARGUMENTUM.

Cap. 1. Origo Alexandri, et quae vel ortum eius praecesserint, vel ipso ortus tempore evenerint. 2. Eius educatio et exercitia iuvenilia. 3. Alexandri scientiarum amor et studia, duce Aristotele. 4. Quanti Homërum fecerit; quam temperans fuerit; historia de Bucephalo ab eo domito narratur. 5. Philippo absente Alexander Macedoniae praefectus quae gesserit. Philippus imperator sit exercitus Graecorum. Ea re territis Atheniensibus quid suaserit Demosthenes. 6. Pythonis, a Philippo Thebas missi, ad Boeotios oratio. 7. Oratio ad eodem Demosthenis. 8. Thebani, facto cum Atheniensibus foedere, bellum Philippo indicunt. Philippus Graeciam subigit; Thebas capit. Bellum Persis inferre statuit. 9. Narrantur dissidia in familia Philippi, et ipsius mors. 10. Succedit Alexander. Eius ad populum oratio, et vindicta in patris interfectores. 11. Alexander praetor factus Graecorum Corinthum venit. Dein Thraces adgreditur. 12. Getas superat. Ger-

manorum legatos excipit. Contra Illyrios proficiscitur. 13. Sparso de morte eius rumore, rebellant Graeci, Demosthene instigante. Redit Alexander et Thebas evertit. 14. Pacem Atheniensibus concedit, in Persas bellum laturus.

I. Alexandri, qui ademptum Persis imperium in Graeciam intulit, vitam atque res gestas plurimi Graecorum memoraverunt: ex quibus plerosque operum suorum spectatores, quosdam etiam socios atque ministros habuit; nonnullos, ut erat avidus mansurae post mortem gloriae, ad hoc ipsum evocavit, ut res suas traderent posteritati. 2. Ceterum praeter ipsam rerum magnitudinem, innata genti fabularum cupido effecit, ut eorum complures monstris quam vero similia proderent: fide autem dignissimi videntur Ptolemaeus, qui postea regnavit, et Aristobulus. 3. Etenim extincto iam Alexandro sua edentibus metus et assentationis causae decesserant, quibus fere narrandarum rerum veritas corrumpi solet: nam Ptolemaeum etiam regii nominis dignitatem mendaci historia polluere voluisse quis crederet? 4. Uterque autem quum multis ad res Alexandri pertinentibus negotiis non interfuerint modo, verum etiam praefuerint, verissima prae aliis tradere potuisse liquet. 5. Quoties igitur consentiunt, ceteris antehabimus: ubi in diversum abeunt, ex copia rerum ea potissimum secrevimus, quae diligenter inter se composita proxime ad rerum gestarum fidem videbantur accedere. 6. Quod etiam post aetatem Alexandri alios Graecorum secutos video, quibus aliqua vericula fuit; et nuper ex Sicilia Diodorum. Nam qui ex Romanis animum ad historiam applicuerunt, ii patriis rebus contenti, externa neglectui habuere: quia victoris populi gesta componentibus neque maiestas rerum deerat, et plus utilitatis allatura videbantur in eadem republica degentibus. 7. Quorum studium ut laude dignissimum arbitror, sic extra re-

prehensionem fore confido, si nostris etiam hominibus ostendam eum regem, qui unus omnium mortalium, intra brevissimum aevi spatium, plurimum terrarum occupavit: 8. quo appareat, non forte neque temere res humanas ferri; sed plerumque fortunam pro moribus; neque diuturnam esse felicitatem, quae virtute destituatur. 9. Igitur Alexandrum omnibus ingenii fortunaeque dotibus abunde auctum ornatumque fuisse comperio, quibus fatalem tantae potentiae virum oportebat instrui. Genus ab Hercule repetebant Macedonum reges: Olympias, Alexandri mater, initia suae gentis ad Achillem referebat. 10. Puero neque incitamenta exemplaue gloriae, neque virtutis magister aut exercitatio deerant. Quippe Philippus pater continuis bellis contemptam ante Macedonum gentem extulit, et coacta in ordinem Graecia, cunctis formidabilem fecit. 11. Denique non solum operum post se gestorum fundamenta posuit; verum etiam quum decederet, Persico bello intentus, delectus habuerat, commeatus, pecuniam, exercitum paraverat; et Parmenionis opera iam Asiam aperuerat. 12. Sed in eo rerum momento subductus est, ut et maxima gerendi belli subsidia filio, et plenam gesti gloriam relinqueret: quadam fortunae industria, quam unus hic perpetuo obsequentem sibi habuit. 13. Cuius admiratione non postea modo, sed statim ab initio dubitatum est, rectiusne foret, non per Aecidas aut Herculem, sed ab ipso protinus Iove, tanto homini divinae stirpis originem asserere. 14. Ipse quidem, quum Hammonem Libycum adiret, eius filium se appellari voluit, ut postea trademus. Ceterum draconem in cubili matris eius visum, quem Iupiter induerit, eoque genitum fuisse Alexandrum, multi crediderunt: insomniis etiam, vatumque responsis fidem generis factam: et quum Philippus Delphos sciscitatum misisset, oraculo monitum, ut Hammonem inprimis revereretur. 15. Nec desunt, qui fa-

bulosum id quidem, non tamen adulterium matris falso iactatum asserant. Quippe pulsum Aegypti regno Nectanebum, non, ut vulgo arbitrantur, in Aethiopas concessisse; sed quum adversus vim Persicam in Philippo maxime praesidium speraret, in Macedoniam vectum, magicis praestigiis illusisse Olympiadi, torumque hospitis temeravisse. 16. Suspectam quidem exinde Philippo, neque aliam tam intimam divortii, quod inter eos secutum est, causam, pro comperto postea fuisse. Etiam quo die Philippus Cleopatram domum deduxerat, Attalum, sponsae avunculum, Alexandro natalium dedecus exprobrare ausum, ipso quoque rege ex sese genitum negante: 17. denique de Olympiadis adulterio non in nostro solum orbe, sed apud devictas quoque nationes pertinacem rumorem obtinuisse. Verum velandae ignominiae repetitum ex antiquis fabulis de dracone commentum: idem enim olim de Aristomene Messenios, de Aristodama Sicyonios iactavisse. 18. Sane apud maiores nostros de Scipione, qui Carthaginem prior afflixit, eadem ferme fama fuit; similisque divinitatis opinionem Romani modo principis ortus habuit: nam de conditore Urbis Romulo quid attinet dicere, quum nulla gens tam vilis reperiatur, quae sui generis auctorem non faciat Deum, aut Deo editum? 19. Ceterum Nectanebi fuga temporibus hisce non congruit: sexennis enim iam erat Alexander, quum ille ab Ocho victus, avitis opibus excideret. Nec ideo minus vanum est, quod de Iove fertur. 20. Ipsa quidem Olympias, demto post mariti necem metu, asserationem filii Iove se genitum credi volentis irrisisse dicitur, missaque epistola petivisse, ne se, nihil tale commeritam, odiis Iunonis obiectare pergeret. 21. Antea enim ipsa maxime fabulam confirmasse creditur, proficiscentemque in Asiam Alexandrum monuisse, ut memor originis digna tanto genitore capesseret. 22. Verum tamen ostentis Deum variis-

que praesagiis inter conceptum editumque partum significatum fuisse, quantus homo nasceretur, consensu traditur. Obsignatam Olympiadis alvum annulo, cuius sculptura leonem praeferebat, per quietem Philippus vidit. 23. Cuius rei memoriam servavit Alexandria, quam in Aegypto conditam, aliquamdiu Leontopolim appellavere. Nam de Alexandri magnanimitate et robore somnium illud interpretatus erat Aristander, peritissimus vatum, qui postea comes ei haesit, sacrisque eius praefuit. 24. Qua autem nocte Olympias peperit, maximi per Asiam nominis templum Ephesiae Dianae ignis hausit. Intulerat eum cuiusdam hominis perditionis furor; qui comprehensus tortusque, non alia mente id commisisse fassus est, quam ut magno aliquo facinore memoriam sui diuturnam efficeret. 25. Ergo tam foedi exempli cladem non istius tantum aedis damno aestimavere Magi, qui tum Ephesi degebant; verum pro maioris ruinae praesagio habentes, totam urbem moestis implere clamoribus: *exortam alicubi facem, cuius incendio, similem ob causam, totus olim Oriens conflaturus esset.* 26. Forte per idem tempus Potidaeam Atheniensium coloniam Philippus subegerat, quum et Olympia quadrigis se vicisse cognovit, et a Parmenione, quem in Illyrios miserat, maioris momenti nuntius venit, fuscis ingenti proelio barbaris, Macedonas prospere pugnasse. 27. Exultanti tam laeto ubique votorum exitu etiam de Olympiadis partu renuntiatum est: nec dubitavere vates, invictum fore, qui inter tot victoriarum palmas nasceretur. 28. Ferunt, tot simul prosperarum rerum cumulo attonitum regem, et invidiam Deum veritum, oravisse Nemesin, ut hoc fortunae obsequium modica aliqua calamitate ulcisci contenta foret. 29. Proditum etiam est memoriae, in oppido Pella duas aquilas in culmine domus, ubi puerum enixa erat regina, tota die persedissee. Gemini per Europam Asiamque imperii

augurium id fuisse, post eventum facile interpretati sunt. Terram quoque tum movisse, magnamque tonitruum fulminumque vim erupisse coelo, auctores habeo. 30. Natus est autem, ut accuratiores tradunt, incipiente Olympiade sexta supra centesimam, praetore Athenis Elpine, a. d. XII Kalend. Sextil. quem tum mensem Macedones *Loum* vocabant: quo tempore populus Romanus quadringentesimum fere annum agens, vicinorum bellis exercebatur, et subiugando terrarum orbi quotidianis incrementis prae-ludebat.

II. At Philippus, auctus filio, de quo propter oblata tot omina spem amplissimam conceperat, in educationem curamque eius omnes cogitationes convertit. 2. Quippe vir prudens et amans patriae, nihil molitionibus suis profectum facile sentiebat, si rebus undique motis, hominem imperitum aut segnem Macedoniae post se relinqueret: suam quoque gloriam haud durabilem futuram, si maximarum rerum instrumenta, quae tanta industria parabat, successoris inertia corrupisset. 3. Leguntur inter epistolas eius, venustatis et prudentiae plenas, literae, quas tum ad Aristotelem, qui cum Platone exercebatur, Athenas misit, in hunc fere modum scriptae. 4. *Philippus Aristoteli salutem dicit. Certiorem te facio, filium mihi genitum esse. Nec perinde Diis gratiam habeo, quod omnino natus est, quam quod te florente nasci illum contigit: a quo educatum institutumque neque nobis indignum spero evasurum, neque successioni tantarum rerum imparem. Satius enim existimo carere liberis, quam opprobria maiorum suorum tollentem, in poenam genuisse.* 5. Neque fefellit eum opinio: quippe puer, Aristotele doctore diu usus, ad res in ea aetate gerendas insigne praesidium sibi comparavit. Sed haec postea acciderunt. Interim constituti sunt infanti nutritores atque paedagogi, Leonidas, Olympiadis propinquus, et Lysimachus Acar-

nan. 6. Philippus nationis eiusdem adiectus, qui valetudinem pueri regeret: Hellanicae (Dropidis erat filia, ex illustrioribus Macedonum feminis) corporis et morum recta temperie probatae nutricis munus demandatum est. 7. Hac cura paucos intra annos effectum est, ut iam tum polliceri videretur eum regem, quem postmodum exhibuit. Nam et in puerilibus membris indomitus eminebat vigor; et eximiae indolis argumenta aetatem longe praevenerant. 8. Excellens nativa et genuina venustate corporis, cultum aspernabatur, anxiam formae curam feminis convenire dictitans, quae nulla alia dote aequae commendarentur: si virtutis potiri contigisset, satis se speciosum fore. 9. Fuit autem, quum adolevisset, iusta membrorum proportione conspicuus, artubus robustis, probeque compactis: vi tamen, quam specie, validior; quippe corporis eius habitus intra proceritatem stetit. 10. Cutem habuit candidam, nisi quod in malis, itemque pectore, grato rubore suffundebatur: capillum flavum, leniter intortum: nasum aquilinum: oculos varios, nam laevus glaucus fuisse traditur, altero nigerrimo. Inerat autem ipsis occulta quaedam vis, ut sine veneratione atque horrore quodam intuentium non adspiceretur. 11. Pernicitate pedum admirabili fuit; quam, ut magnae in expeditionibus utilitatis, etiam rex non omisit exercere, saepeque cum velocissimis suorum cursu certare visus est: patientia laboris supra fidem eximia; qua saepe una, difficillimis temporibus, sibi exercitiisque suis salutem peperit. 12. Exercitationibus crebris, et calidissima corporis temperie, adeo, quidquid vitiosi humoris sub cute colligi solet, expugnavit, ut suavem ex ore membrisque exhalaret odorem, eoque etiam tunicas, quibus uteretur, impleret: ob easdem causas, ut quidam putant, ad vinum iramque proclivior. 13. Visuntur adhuc imagines eius statuaeque, summorum artificum opera: ne enim vulga-

rium sculptorum pictorumve temeritate oris sui honor obsolesceret, studiose cavit; poenam comminatus, si quis iniussu suo conaretur. Ergo abundante tum artificum copia, volentem unus Apelles pinxit, sculpsit Pyrgoteles, Lysippus et Polycletus aere duxerunt. 14. Citatiorem gressum Leonidae vitium fuisse, ferunt; ex ipsius consuetudine id haesisse Alexandro: quod postea, quum enixe vellet, corrigere non potuerit. Equidem educationi plurimum tribui debere, non infiteor; ceterum hoc quidem naturae potius adolescentis, quam assuetudini, deputo; etenim in homine velocissimae mentis necessum erat, ut ardorem animi corporis etiam motus sequeretur. 15. Quem adeo non in vitio posuere successores ipsius, ut etiam studiose aemularentur; simul depressiore in laevum collo, obtutum eius vibrantem, et elatiorem vocem imitati, quum animum non exprimerent: quippe plurimorum ex illis longa vita vix quidquam habuit dignum, quod cum huius pueritia compararetur. 16. Neque enim quidquam aut loquebatur, aut agebat humile; sed dictis factisque par fortunae suae, vel etiam supra erat. Nam quum esset laudis avidissimus, non undecunque eam affectabat, sed optimis quibusque comparari gaudebat; ingloriam ex vilibus palmam intelligens, tantoque illustriorem victoriam, quanto quos vicisset pluris haberentur. 17. Ergo dicentibus, quoniam cursu plurimum valeret, debere profiteri nomen suum inter eos, qui Olympicis ludis certaturi essent, cognominis sibi regis exemplo; magnam ea re per Graeciam sibi famam comparaturum: *Facerem, inquit, si reges haberem adversarios.* 18. Quoties aut praeclara aliqua pugna Philippus vicerat, aut oppidum opulentum in potestatem redegerat, laetantibus aliis, ipse haud obscure indolescebat: exceptaque vox est querentis inter aequales, nihil reliqui facturum patrem sibi ipsisque, quum adolevissent. Quippe deperiturum glo-

riae verebatur, quidquid accessisset opibus: nec tam harum possessione, quam istius cupidine movebatur. 19. Somni natura parcissimus, etiam arte vigilantiam adiuvabat. Si quid occurrisset, quod seria meditatione dignum videretur, comprehensa pila argentea, brachium extra lectum porrigebat, ut in subiectam pelvim illapsa, excitato sonitu, torporem in somnum deficientis discuteret. 20. Deos ab ineunte aetate magnifice coluit. Sacro quodam ita liberaliter thura flammis intulit, ut Leonidas, vir severus et parcus, profusionem istam non ferens, exclamaret, *sic adolebis, quum regiones subegeris, ubi haec nascuntur.* 21. Cuius vocis memor, quum postea thuriferam Arabiam pacaret, multa odorum talenta misit Leonidae, cum mandatis, ne posthac in Deorum honoribus adstrictior esse vellet, quos intelligeret dona hilariter oblata tam larga manu rependere. 22. Animi sublimis et magna conaturi documenta mature dedit. Persis ea tempestate Artaxerxes, cognomento Ochus, praeerat. Eum Artabazus et Menapis Satrapae, Memnonque Rhodius, egregius dux, bello laccessiverant; sed potentia regis oppressi, deserta Asia ad Philippum profugerant. 23. His tum Alexander septenni minor mire delectabatur, crebroque de rebus Persicis interrogabat: nihil quidem puerile et sordidum, sed: quibus maxime firmamentis opes regiae niterentur? quis armorum usus, quae audacia viris, quanta equis pernicitas esset? quot dierum itinere Macedonia distaret Susis? quae regi morum via, quaeque exercitatio corporis, atque opinio virtutis foret? 24. Postea, quum deprecante fratre Memnonis Mentore, cuius sororem in matrimonio Artabazus habebat, cum exsulibus in gratiam rediisset Ochus, eosque a Philippo repeteret; Alexander legatos eximiae in tantilla aetate indolis admiratione ita perculit, ut unus eorum in haec verba prorumperet, *Hic quidem puer magnus est rex; no-*

ster vero, dives. 25. Haec autem quum merito quidem naturae suae debere videretur, haud minus institutioni debuit. Nam pater, satis gnarus, quantum Epaminondae commercium sibi profuisset, quantoque plura eloquentia, quam vi, confecisset, summa cura incubuerat, ut a tenera statim aetate liberalium artium studiis probe imbueretur. 26. Igitur Aristotelem, magni nominis philosophum, ingentibus praemiis evocatum perpulit, ut etiam prima literarum elementa puero traderet. Nec abnuvit vir doctissimus, quum intellexeret, quantum esset a principio recte instrui multis imperaturum; frustra que contemni pro parvis, sine quibus ad maiora profectus non esset. 27. Variis deinde magistris, ut alius alia arte excellebat, usus, non modo mentem egregiis implevit disciplinis, verum etiam corpus omnis generis exercitationibus, ad usum bellorum et patientiam laboris edomuit: ne tum quidem vacuus, quum otiari videretur; quippe pila, vel saltatione virili, non tam laxabat animum, quam seriis obsequiis membra praeparabat.

III. Postquam deinde aetas et ingenium paulisper adolevit, iamque severioribus studiis idoneus visus est, revocatum, qui tum apud Mitylenaeos agebat, Aristotelem continuo secum habuit, donec post mortem patris rerum potitus, in Asiam transiiceret. 2. Quo temporis spatio, quidquid a tanto praeceptore tradi potuit, perdidicit. Cognoscendae rerum naturae tanto avidius incubuit, quanto pertinaciore spe imperium universi orbis praeceperat. Cuius indagacionem postea quoque adiuvit, plane regio et animo et sumtu. 3. Aristoteli, quo naturas animalium certius atque perspectius commentari posset, tota Asia Graeciaque parere iussit, quotquot venatu, aucupio, piscatave vitam tolerabant, aut aliquam in eiusmodi negotiis peritiam assecuti fuerant. Constat, in eius operis impensas octingenta talenta phi-

losophum accepisse. 4. Adeo autem cognitionem illam dilexit, ut in eam sumtum faceret, curamque impenderet, cuius fructum visurus non erat. Post centum annos capti sunt cervi cum torquibus aureis, quos addiderat, ut vel posteri cognoscere, quanta fides habenda foret iis, quae de istorum animalium longaeuitate ferebantur. 5. Sublimioribus quoque disciplinis, quas acroamaticas appellant, eruditum fuisse, ipsius testatur epistola, qua queritur, Aristotelem dignitatem earum evulgatis praeceptis profanasse. 6. Et ille excusavit, rescribens, ita libros illos esse editos, ut haberi possint pro ineditis: nec enim quemquam sententiam ipsorum magnopere percepturum esse, nisi, quae iis continerentur, iam antea didicisset. 7. Idem quum Rhetorica ab eo exigeret, sollicitate vetuit, ne aliorum etiam in manus pervenire pateretur. Neque enim minus honestis artibus, quam potentia, ceteros praestare cupiebat: indignabaturque, communicari laudem illam cum humillimis. 8. Medicinae quoque studio imbutum ab Aristotele, filio medici, ex gente Asclepiadarum, fidem ipsius epistolae faciunt. 9. Eam autem philosophiae partem, quae sibi aliisque probe imperare docet, ita coluit, ut magnanimitate, prudentia, temperantia, fortitudine, quam armis et opibus instructor, tantam imperii Persici molem subruere aggressus censeatur. 10. Ipse quidem praedicavit, non minus se debere Aristoteli, quam Philippo: huius enim munus fuisse, quod viveret; illius, quod honeste viveret. 11. Ingenium tamen ardens ambitione, nimia honoris gloriaeque praedicatione, quam inter genera bonorum referendam esse Aristoteles sciverat, elatum fuisse, ut non modo imperii prorogandi gratia bella ex bellis sere-ret, verum etiam Deus haberi vellet, quidam non immerito credidere. 12. Ceterum, non solum impe-rante Alexandro, eximio honore maximisque mune-ribus affectus est Aristoteles: sed et vivo adhuc Phi-

lippo ingens institutionis suae pretium tulerat, impetrato, ut in ipsius gratiam patria instauraretur. 13. Olynthios Philippus acerrimos hostes expertus fuerat: nam vicini Macedoniae, et potentia hactenus haud impares, aegerrime tulerant, sub rege bellicoso vafroque regni opes crescere, accolis perniciem aut servitium allaturas. 14. Ergo quo infensoribus animis certatum est, eo asperior victoria fuit. Urbem captam direptamque solo aequavit Philippus: cives veniere. In reliqua etiam ditionis eorum oppida saevitum est. Inter quae Stagiram, unde Aristoteles genus ducebat, par calamitas obruerat. 15. Eam tum regis permissu atque opibus ex integro condidit; restitutaque leges tulit, quibus postmodum usa est. Ita quam stantem florentemque tot fortium virorum manus ab excidio prohibere non potuerant, eam incensam atque dirutam unius civis excitavit ingenium. 16. Quanti autem Aristotelem fecerit Philippus, hinc etiam aestimari potest, quod saepe filium monuit, ut sub tam idoneo magistro sapientiae gnavam operam daret, ne mox multa committeret, qualium caussa ipse pudore et poenitentia angeretur. 17. Igitur postea quoque maximis rebus intentus Alexander, non omisit magistrum venerari; crebroque per literas compellavit hominem, nec disciplinarum modo arcana, sed et morum remedia petiit. 18. Atque ille rescripsit, quibus ipsius atque subditorum felicitati consultum opinabatur: meminisset, tantam ipsi concessam esse potentiam, ut prodesset hominibus, non ut eos laederet: irae quoque, in quam maxime praecipitem noverat, modum poneret; neque enim irascendum inferioribus: parem autem ipsi esse neminem. 19. Ad postremum tamen animo iam elatior spernere eum coepit: praesertim quum ob Callisthenis exitum infestum sibi, et praeter sapientiae praecepta, etiam vindictae causa, ambitionem humanum fastigium despicientis, disputationibus exagita-

re crederet. 20. Certe paullo ante mortem, Cassandro obiecta patri suo crimina purgante, exclamasse fertur: Aristotelicae versutiae machinationibus instructum venisse, ut iustas aliorum querelas fallacibus argutiis eluderet: 21. deinde utrique, si vera quae deferrentur comperisset, malum minatum esse, tam vehementi vultu, ut diu post eius interitum, quum forte Cassander, tum rerum in Graecia potens, imaginem Alexandri Delphis positam intueretur, revocatus in periculi sui memoriam, toto corpore cohortuerit. 22. Quae res Aristoteli etiam magnae infamiae occasio fuit: quippe venenum, quo Alexander periisse creditus est, non alterius ingenio equinae ungulae inditum, et Babylonem deportatum, rumor suspicatus est. 23. Adamavit et musicam, eique seriam initio operam dedit: donec contumeliosa interrogatione patris, ecquid pueret tam scite canere? velut artem suae maiestati indecoram, negligentius tractare coepit. 24. Quo quidem tempore magistro chordam quandam ex artis praescripto pulsare iubenti, *quid autem referat*, inquit, *si hanc pulsavero?* in aliam intendens digitum. At ille, nihil referre futuri regis, futuri autem citharoedi referre, respondit. 25. Delectatus deinceps est masculo cantu, quum molles fractasque modulationes ut perniciem morum aversaretur. Quo nomine maxime amplexus est Timotheum, artis eius professione celebrem. 26. Ille enim, accommodata ad ingenium illius scientia, modo, quem Phrygium appellant, ita aliquando eum rapuit, ut tanquam divino instinctu exardesceret animo, et, velut propinquo iam hoste, ad arma capienda prosiliret. 27. Eloquentiae etiam sub Anaximene Lampaceno studuit: quae res postmodum incolumitatem urbi attulit, quum Persarum opibus studentem Alexander diruere constituisset. 28. Conspicatus enim Anaximenem extra moenia prodeuntem, nec dubitans, quin pro patria deprecatum venisset, Graecorum Deos

testatus est, non facturum se, quod petisset. Quo audito callidus ille rogavit, ut *Lampsacum dirueret*. Ille, et iurisiurandi religione adstrictus, et magis etiam praeceptoris olim sui sagacitate delinitus, gratiam delictorum Lampsacenis fecit. 29. Comoedos, ut instituto suo parum congruentia tractantes, corrupendisque moribus natos, contempsit. Neglexit et pugiles, quamquam maximi tum in Graecia fierent: forte quod otiosos et saginae addictos, valida membra spectaculorum potius ludibriis, quam patriae necessitatibus commodare, non probabat. 30. Reliquas artes, etiam quas ipse non attigerat, impense fovit. Unde ex toto fere orbe passim ad ipsum confluebant, quicumque insigni aliqua peritia praecellere sibi videbantur: eique vel ingenii sui monumenta dedicabant, vel exhibito artis suae specimine, a munificentissimo regum, et cuius animo fortuna responderet, immensas plerumque divitias consequentur. 31. Etiam quos procul positos praeclara eruditio aut virtus commendabat, iis ingentia munera ultro largiri consueverat. Igitur tantus ea tempestate doctorum atque sollertium hominum proventus fuit, ut vix ulla aetas bonis artibus copiosior exstiterit. 32. Solent enim ingenia moresque componi ad principum mentem; omnisque fere temporum inclinatio regnantium infamia vel decus est.

IV. Ex veterum monumentis nihil antehabuit Homero, quem unum omnem sapientiam, qua imperia constant, optime complexum esse autumabat: adeoque eum cordi habuit, ut Graeco cognomento amator Homeri diceretur. 2. Libros eius semper secum ferre solitus, etiam quum quiesceret, una cum pugio sub cervicali reponebat, militiae suae viaticum et institutionem bellicae virtutis appellans. Achillem praedicabat felicem, quod tantum virtutis suae praeconem invenisset. 3. Reperto inter Damascenam praedam materiae curaeque exquisitissi-

mae scrinio, et disquirentibus amicis, *cuinam usui convenientissime destinaretur?* ipse, *Homero*, inquit, *dedicabimus, ut pretiosissimum humani ingenii monumentum elegantissimo etiam opere servetur.* 4. Inde obtinuit, ut emendatissima poëtae editio, quam magna cura comparaverat Alexander, *e narthecio* vocaretur: quippe scrinium illud, quum adhuc Persarum esset, unguentis et odoribus asservandis serviverat.

5. Quidam prospere gestae rei nuntius quum citato cursu ad eum ferretur dextramque porrigeret, vultu maximae laetitiae notas praeferente, *Quid mihi nuntiaturus es tanto gaudio dignum*, inquit, *nisi forsitan Homerus revixit.* 6. Sed tum eo iam felicitatis pervenerat, ut propemodum exsatiatae gloriae nihil deesse putaret, praeter idoneum buccinatorem. Crebra autem lectione totum fere edidicit, ut nemo neque promptius eo familiarisque uteretur, neque exactius de eo iudicaret.

7. Ex omnibus autem eius carminibus maxime probabat versum, quo boni simul imperatoris, robustique militis laudes Agamemnoni tribuuntur; eumque praecipuum virtutis incitamentum, et veluti morum suorum magistrum habuit.

8. His itaque disciplinis imbutus, summae fortunae vim atque dignitatem egregie tutatus est: superbia et licentia, qua quidem sola principes agunt, abstinuit.

9. Cultu curaque corporis haud multum supra privati modum eminens, virtute potius, quam vestium ornatu, anteire suos imperatorium censebat: hilari, humanus, affabilis, ut tamen contemptum excluderet: vino deditus, sed citra ebrietatem. Nam si otium nactus esset, sermonibus magis, quam computatione, tempus extrahebat.

10. Voluptates ita contempsit, ut matri curam iniiceret, ne plane ad generandum inhabilis esset. Illud inprimis religiose tenuit, ne cuius thorum violaret. Quibus vitae morumque institutis diu inhaesit, magnumque et memorabilem regem egit: donec, impetu quodam et velut torrente

fortunae convulsus et mutatus, pristinam animi moderationem paullatim exueret. 11. Animi robur cum insigni dexteritate, magna patris et aliorum admiratione, ostendit in equo Bucephala: nam id nomen bubuli capitis figura insignitus acceperat. 12. Plurimum tum equestri laude pollebat Thessalia, nobiliumque equorum greges multis locis alebantur. Eminebat tamen inter omnes viribus et specie Bucephalas, quem Philonicus, ex Pharsalia oriundus, maximo in illis regionibus principe dignum existimans, ad Philippum adduxerat, sedecim talentis venalem. 13. Quum autem velocitatem equi obsequiumque experturi in campum descendissent, nemo amicorum satellitumque regis tractare eum potuit: quin insurgens in omnes, et conscendere conatos ferocia exterrebat. 14. Iamque pro indomito, et ob feritatem inutili, relinquebatur; quum suspirans Alexander, *Qualem isti equum perdunt, per mollitiem animi et tractandi imperitiam!* Quo saepius repetito, a patre increpitus, quod ob negotium, quod emendare non posset, maiores peritioresque conviciis incesseret; *Ego vero, inquit, emendabo, pater, si permiseris.* 15. Atque illo subiiciente, *frustratus autem quam poenam pendes? Equi, inquit, pretium luam;* exortoque omnium risu, convenit, ut victor equum patre emente haberet, victus amitteret pecuniam. 16. Tum Alexander, comprehensis equi habenis, eum ita statuit, ut in adversos solis radios conversus, umbram suam conspiciere non posset: ea enim antea exterritum acrius ferocisse observaverat: quumque nihilominus aestuaret, iubam demulcens, dimissaque sensim chlamyde, in saevientem adhuc insilit. 17. Ille parendi insolens cervicem et calces iactare, multaque pervicacia contra frenum niti; denique proripere se conari, et ingenti violentia cursum moliri. 18. Spatiosa et equitabilis planities suberat: ergo ferocientem exsultantemque effusis in collum habenis, adactisque calca

neis cum ingenti clamore in cursum permittit. 19. Ingens deinde campi spatium evectus, iam lassatum et consistere volentem impellere non antea destitit, quam exhaustum cursu, et labore domitum, mansuetiorem iam mitioremque reduxisset. 20. Descendentem manantibus gaudio lacrimis complexus est pater, osculoque capiti impresso, maius imperium sibi circumspicere iussit, nec enim Macedoniae regnum tantam indolem capere. 21. Post haec Bucephalas, quum in ceteros ferociam suam retineret, uni Alexandro mira submissione paruit, multorumque mox laborum atque discriminum socius, in proelio adversus Porum periit. 22. Dignum id argumentum visum est, quod illustrarent opera sua nobilissimi artifices. Duas ex marmore statuas equum domantis ostentant, Praxitelis et Phidiae certamen. Alexandri eas imagines esse, quamvis ambigi possit, auctores haud obscuri crediderunt.

V. His atque talibus ingenii animique experimentis eam apud Philippum existimationem nactus est, ut, quum ipse Byzantinos obsidione urgeret, idoneum iam crediderit filium, cui libera cum potestate Macedoniae curam committeret, annos omnino sedecim habentem. 2. Quo comperto, Medarorum quidam, (Thracia natio, Macedoniae subiecta,) opportunum defectioni, quam dudum agitabant, tempus advenisse rati, consilia nudavere. Sed adolescens, ostentandae virtutis occasione laetus, cum ducibus a patre relictis propere in eos movit: victisque et eiectis rebellibus, urbem eorum varii generis convenis habitandam dedit. Illi Alexandropolim ex nomine auctoris sui appellavere. 3. Philippus, eventu rei gaudens, ceterum sollicitus, ne suo arbitrio permissus adolescentis animus maiora viribus cum exitio capesseret, evocavit eum, ut se magistro ardorem prudentia temperare disceret: et in subigendis Chersonesi oppidis strenua promptaque opera eius usus

est. 4. Ceterum quum ad Byzantium, validam urbem, haereret obsidio, civibus egregie pro libertate pugnantibus; iisque Graeci barbarique, quibus incrementa Philippi suspecta erant, certatim auxilio venturi nuntiarentur: desperata victoria, id unum agitabat, quanam ratione quam minimo copiarum atque famae damno ab obsidione discederet. 5. Imperabat eo tempore Getis, Scythico populo, Atheas; qui armis Istriarum pressus, auxilium a Philippo petiverat, spe adoptionis facta, si fessis Getarum rebus succurreret. Idem quum hostium imperator decessisset, belli metu liberatus, Macedonas vacuos remiserat, negans, vel ipsorum auxilio, vel adoptione Philippi eguisse; cui adversus hostes satis propriarum virium, et in successionem regni filius esset. 6. Eam barbari contumeliam ulturum ferens Philippus, omisso Byzantio in Scythiam convertit agmen. Ubi conserto proelio, quum numero superiores Scythae essent, nec virtutis poeniteret, arte Philippi Macedonibus victoria cessit. 7. Cuius omne pretium pecorum equorumque maximi greges, et infirmioris aetatis sexusque captivi fuere: ceterae praedae nihil exceptum est. Quippe opibus minime studebant Getae, sed quotidiano victu contenti, paupertatem inter vitae comoda numerabant. 8. Ceterum quum ex Scythia regrediens, longo impedimentorum agmine, per Triballos iter faceret, illi opportunis locis occupatis transitum negabant, nisi praedae partem accepturi. 9. Erant in exercitu Philippi mercenarii Graecorum milites, qui et ipsi, quum in discrimine venissent, commodorum exsortes haberi moleste ferebant. Inde orta seditione ad manus ventum est, tam acri certamine, ut multis utrinque cadentibus etiam rex sauciaretur, transosso femore, eodemque vulnere interfecto equo: tanta vis adacti teli, tantaque virtus inferentis ictum fuit. 10. Ibi tum ante omnes prosiluit Alexander, iacentemque

clypeo protegens, irruentium in eum alios occidit, alios avertit in fugam. Ita filii pietate servatus est, abscedentibus qui oppressuri fuerant, eo promptius, quod interfectum crediderant; sic ipsi vulneris atrocitati vitam debuisse visus, mortis opinione mortem effugit. Praeda inter consternationem amissa est. 11. Ceterum ex vulnere claudicare coactus, quum initio eam corporis deformationem aegro animo ferret, memorabili ad posteritatem adolescentis voce monitus est, non irasci vulnere, cuius opera ad singulos gressus suae virtutis admoneretur. 12. Satis iam gloriae potentiaeque Philippo quaesitum erat, satis etiam periculorum atque vulnere pertulerat, si quietem pati posset animus ambitione vecors. 13. Tributarios Illyriorum Macedonas, omnium non vicinorum modo, sed etiam longe dissitorum dominos effecerat: Triballos subegerat: Thraciam habebat in potestate: multis Graecorum populis imperabat; alios metu aut largitionibus tenebat obnoxios. 14. Thesalos Daochus, Cineas, Thrasydaeus, cum Eudico et Simo Larissaeis; Arcades Cercidas, Hieronymus, Eucalpidas; Argivos Myrtis, Teledamus, Mnaseas; Eleos Euxitheus, Cleotimus, Aristaechnus, regio iugo subdiderant: 15. Messenios Philiadae liberi, Neon et Thrasylochus; Sicyonios Aristratus et Demaratus; Megarenses Ptoeodorus, Helixus, Perilaus; Euboeenses Hipparchus, Clitarchus, et Sosistratus, suae quique civitatis principes, conciliabant: Olynthum Euthyocrates et Lasthenes prodiderant. Una Spartanorum civitas veteris disciplinae egregie tenax, et proditionis immunis fuit. 16. Sed quum imperio totius Graeciae immineret, Atheniensium maxime opes morari destinata cernebat. Nec deerant in civitate, qui res ad ipsum traherent: sed populus, qui omnia poterat, impellente Demosthene contra Macedonum opes nitebatur; crebrisque, ut inter potentes vicinos, contentionibus, ingenium Philippi callidum, audax,

et ob dominationem fidei famaue negligens cognoverat. 17. Maxime urebat regem recens dolor, quod ad Byzantium, Atheniensium opera, spe sua excidisset: qui non modo centum et viginti navium classem obsessis auxilio miserant, sed et Chiis Rhodiisque eadem audendi auctores fuerant. 18. Igitur dum percuratur vulnus in Triballis acceptum, omnia occulte praeparabat, quo Athenienses improvisus opprimeret. Exercitum retinenti obtentui erant Illyriorum nationes, quae, ingenio feroces et servitutis insuetae, impositum nuper iugum excutere tentabant. 19. In eos Alexander missus, barbaris fuis fugatisque, eam de fortuna atque virtute sua spem et reliquis fecit, et ipse concepit, ut iam sine patre rebus gerundis se parem existimaret. Haec per biennium gesta. 20. Philippus autem, praeparatis omnibus, quae olim destinaverat exsequi maturum ratus, exoptatissima occasione oblata, ante initium veris cum exercitu in Graeciam venit, convocatis etiam ex Peloponneso copiis sociorum. 21. Quippe Amphictyonum decreto creatus erat imperator Graecorum, ut insolentiam Locrorum, qui Amphissam incolunt, castigaret; namque Cyrrhaeum agrum Apollini dictum, Amphictyonum auctoritate contemta, colere perseverabant, ducemque ab his creatum, interemis quibusdam, vulneraverant. 22. Erat tum Philippo foedus cum Atheniensibus; sed parum in eo praesidii futurum arbitrabantur, si regi violandae fidei merces affulsisset. Igitur legatos ad ipsum mittunt, peturos, ut pactis staret, aut certe ante ver adultum nihil hostile moliretur; deliberaturum interea populum Atheniensem, qua ratione controversiae, quae inciderant, componi possent. 23. Thebas quoque legationem decernunt, quae exposito communi periculo, hortaretur, ut simul cum ipsis tutelam Graeciae susciperent. Sed Philippus per hospites et amicos, quorum Timolaus, Theogitonque et Anemoetas plu-

rimum apud cives suos poterant, Thebanos in amicitia Macedonum continuit. 24. Ratusque, si cum solis Atheniensibus futura res esset, facile se superiorem fore, victis ad Amphissam Locris eorumque sociis; in Phocidem raptim ducto agmine, Elateam, finibus Thebanorum simul Atheniensiumque imminentem, occupat, impositoque praesidio, velut in belli sedem, operibus munit. 25. Eius rei nuntius noctu Athenas perlatus tanta trepidatione urbem implevit, ut quum primo diluculo populus in concionem venisset, invitante ex more praecone, qui salutare patriae consilium haberet, uti diceret, nemo surrexerit: 26. donec Demosthenes, congruentia tempori disserens, persuasit, ut e vestigio classis et exercitus educerentur; et legati tum ad ceteros Graecos, tum imprimis ad Thebanos mitterentur. In hanc sententiam decreto facto, Chares et Lysicles copiarum imperatores constituti; Demosthenes legationis ad Thebanos princeps ire iussus est. 27. Non fefellerat ea res Macedonis sollicitiam, satisque prospiciebat, quanta belli moles oritura esset, si inter istos populos foedus convenisset. 28. Quippe Atheniensium civitas tunc etiam opibus et auctoritate satis pollebat; nec Thebanorum aut potentia contemnenda erat, aut opinio: necdum exoleverat memoria Leuctricae pugnae, qua principatum Graeciae Lacedaemoniis extorserant. 29. Igitur ut et sociorum confirmaret animos, et diversae factionis machinationes praeverteret, Amyntam et Clearchum Macedonas eo misit, addito, cuius eloquentiae plurimum fidebat, Pythone Byzantio: quem in concilio Boeotorum ita locutum accepimus:

VI. Si Philippo in Macedonia desidente, Elateam Atheniensis exercitus haberet, neque vobis ullum cum rege foederis aut amicitiae ius esset: tamen dubitare non debeo, quin illius societatem essetis optaturi. Quis enim illum, tanta potentia, tantisque rebus gestis, civi-

tati fama quam viribus validiori non praeponeret? 2. Nunc autem, quum illo, qui victricibus copiis velut vestibulum urbis vestrae obtinet, socio atque amico utamini; ab Atheniensibus multis veteribus atque novis iniuriis affecti sitis: horum amicitiam, neglecto rege, vobis suadere, profecto contumelia est, Thebani. 3. Sed superbissimi mortalium sibi solis ingenium consiliumque superesse autumant; reliquos, et inprimis Boeotos, (vobis enim prae ceteris insultant) ineptos et rudes esse, nec quae utilia honestaque factu sint, dignoscere. 4. Itaque, quo nihil est dementius, id se vobis persuasuros putant, ut ex ipsorum potius arbitrio, quam utilitate vestra, hostes atque amicos habeatis; verbis confisi, in quibus omnis ipsorum vis est. 5. Sed verba nemo sanus ante facta habuit, praesertim in bello, ubi res manu geritur, linguae promptitudo supervacanea est. Ut sibi disertis videantur: virtus et fortuna Philippi, tantis suis sociorumque viribus subnixi, plus poterit. 6. Nec enim facile dixerim, stolidior an impudentior sit eorum postulatio. Intentatum Atticae fulmen excipite, Thebani: socio atque amico regi bellum cum exitio vestro facite, ut nos in tuto simus: vestros agros, vestra corpora obiciite, ne iniuriarum suarum vindictam ab Atheniensibus Philippus exigat. 7. Haecine sunt postulata hominum, qui aut ipsi sano iudicio utantur, aut alios uti credant? Qui modo nullam premendi vos occasionem praetermiserunt, qui vos contumeliis, iniuriis, armis, quantum potuerunt, persecuti, vestras clades atque pericula felicitatem suam rati sunt: ii nunc a vobis petere audent, ut cum ipsis perire malitis, quam cum Philippo vincere. 8. At iste hospes et alumnus vester, educatus in contubernio Epaminondae, clarissimi imperatoris sanctissimique viri, cum ipsius moribus a tenera aetate caritatem urbis vestrae imbibit: vestras et Apollinis iniurias Phocensi bello ultus est, quum Athenienses odio vestri sacrilegis auxilia mitterent: 9. iterum communi Amphictyonum decreto exoratus, eiusdem numinis con-

tumeliam in Locros vindicavit: huc quoque profectus est, ut vestris commodis consuleret, non abscessurus, donec vos metu aemulae inimicaeque civitatis solverit. 10. Id sive communibus consiliis viribusque lubet exsequi, non vetat, quo minus in praedae verius quam belli societatem veniatis: sive quiescitis, transitum concedite; ipse communium iniuriarum idoneus ultor erit. 11. Neque minus ad vos redibit emolumentum victoriae: greges, armenta, mancipia, quae ex hostibus capientur, maxima ex parte penes vos, ut vicinos, erunt: inde Phocensis belli damna sarcietis. 12. Id magis ex usu vestro sit, an vestros agros uri, vestra oppida expugnari, incendi, diripi, vestras denique res agi ferrique, quod Athenienses optant, expendite. Nam iracunda res est suspectus immerito candor, quoque pronior benevolentia fuerit, acrioribus stimulis in vindictam agitur. 13. Ceterum haec ita refero, non quo vobis ingratitude exproberem, de qua nihil vereor; nec ut formidinem incutiam, qua nihil opus futurum existimo: sed ut Philippi in vos beneficia, et vicissim in illum vestra, cogitantes, admoneamini, ea demum firma atque perpetua esse foedera, quae servari utriusque intersit. 14. Quod si maiora sunt illius merita, vobis curae erit, ut mutuo in illum animo sitis: ille maximum laborum praemium putat, subvenisse Graeciae, pro cuius salute atque dignitate perpetua cum barbaris bella gerit. 15. Atque utinam illum Atheniensium furor ingenio suo uti passus esset: iam in Asia audiretis arma ipsius esse, quae nunc coercendis improborum motibus, invitus per Graeciam circumferre cogitur. 16. Poterat quidem amicis Atheniensibus uti, nisi huic Demostheni, atque aliis quibusdam, qui imperitam multitudinem, ut expositum ventis mare, orationum suarum aura, quo volunt, impellunt, vectigalem se facere indignum, usuque et exemplo foedum existimasset. 17. Quippe si apud illos honestati pretium esset, gratuito boni forent. Quibus honesta vendere mos est, si eadem flagitii merces detur, utilia a

noxius, recta ab inhonestis non distinguunt: lucro, non affectu virtutis aut patriae, neque Deorum hominumve reverentia ducuntur. 18. Nolite honesti aliquid aut egregii exspectare ab his hominibus: vestris utilitatibus non moventur, qui patriae tam male consulunt. Implicare vos volunt iisdem calamitatibus, ex quibus modo Macedonum virtute atque fide liberati estis; tantoque maioribus, quanto formidabilior hostis futurus esset Philippus, quam Philomelus aut Onomarchus fuere. 19. Nam in precario imperio etiam boni ducis conatus haud minus cives quam hostes praepediunt: regum iussis nemo intercedit, nemo refragatur: unius arbitrio cuncti reguntur. In quo quantum in rebus bellicis momentum sit, non ignoratis. 20. Nec iam in uno corpore Macedonibus id praesidium est. Philippum etsi fatum auferret, Alexander regenerat, qui iam in adolescenti hac aetate ea animi ingeniique documenta edidit, ut prope constet, summis imperatoribus parem esse futurum. 21. Contra apud Athenienses pacis bellique arbitrium, quia penes omnes est, velut in medio positum audacissimus quisque ad se trahit: impetu magis, quam consilio, cuncta aguntur: homines maligni suadent, imperiti decernunt: bellum sumitur animosius, quam geritur: foedera haud minori facilitate, quam iunxere, violant. 22. Nam et cum Philippo foedus ipsis est: quod quam sancte servant, re ipsa declarant. Nec enim pro se fidem violasse satis habent, nisi per ipsos latius serpat ista contagio. 23. Vestra autem constantia, Thebani, qua non minus, quam rebus fortiter feliciterque gestis, magni clarique habemini, non sinit ambigere, quin multis experimentis cognitam regis amicitiam, semper infestae aemulaeque civitati praelaturi sitis. 24. Neque vero averruncator malorum Hercules siverit, ut quem indigenam civemque Deum praecipua religione colitis, eius sanguinem impio iniustoque bello persequamini. Nam ceteros quidem socios quam amicitiae regiae non poeniteat, ex ipsis vos malo cognoscere. Haec

Python. 25. Auditi dein sociorum legati, prolixè commendato regis animo, petiverunt, ut ipsum potius Graeciae vindicem, quam perturbatores eius Athenienses, sequerentur.

VII. At Demosthenes, facta dicendi potestate, *Non ignorabam, inquit, istos Philippi mercenarios neque laudibus in ipsum, neque in nos conviciis, esse temperaturos. Nam qui pudorem consumserunt, quid loquantur aut faciant parum pensi habent, dum cupitis potiantur. 2. Sed illi quidem, si bene vos novi, Thebani, spe sua egregie falsi, dignum virtute vestra Graecorumque moribus responsum ad Macedonem referent: vos autem ad ea, quae nunc agenda sunt, animum diligenter advertite. 3. Nam vestrorum quoque negotiorum summam nunc agi, ipsis rerum argumentis ostendemus, non verborum praestigiis, quibus isti vereri se dicunt ne capiamini. 4. Sed quando sic pro vobis sunt solliciti, ponant metum: nihil faciemus, quo eloquentiores videamur. Malam quandoque causam adiuvit facundia: ubi nudam veritatem spectari dicentis interest, verba nemo prudens appendit. 5. Nec de Philippo laboramus: sit sane per nos, qualem isti fingunt: sit etiam pulcher, eloquens, atque adeo in convivis etiam hilaris. Nam et hinc eum commendavere quidam: adeo inanem verae gloriae fatebantur. 6. Ceterum legatos eius miror ea civitati nostrae coram vobis obiecissee, quae si crimina sunt, non magis Atheniensibus, quam Thebanis, defendenda esse, in confesso est. Popularis enim status incommoda exagitant: quae licet non ignoremus utriusque, tamen regio dominatui merito praeferimus. 7. Atqui illi sic locuti sunt, tanquam in circulis et convivis Macedonum adulatione gratiam quaererent; non apud liberam civitatem officio legatorum fungerentur. 8. Scimus quidem regum regionumque mancipiorum adversus gentes urbesque liberas pertinacia odia; et simpliciter fecerunt isti, qui detegunt: sed eo magis annitendum nobis est, Thebani, ut iura legesque nostras*

tueamur. 9. *Et optandum inprimis esset, ut qui rempublicam attigerunt, iis unum idemque pulcherrimum certamen foret, quinam rectius civitati suae consulere-
rent, aut consulta exsequerentur: nemo communia com-
moda posthaberet privatis; nemo acciperet munera; nemo istorum exemplo patriam Philippo proderet.* 10. *Verum, Thebani, nulli unquam non civitati modo, sed etiam homini, integra perfecta-
que felicitas obtigit: beatissimus habetur, cuius fortuna minimum ex adver-
so trahit.* 11. *Malos autem nobis cives esse, neminem fugit: ne vos quidem caruistis, aut caretis, Thebani: nam sine eo esset, non iam Elateae Philippus libertati nostrae plagas tenderet, sed de regno Macedoniae nobiscum decertaret.* 12. *Habemus tamen et bonos; eos-
que plures malis, et potiores. Argumentum poscis? liberi sumus: non servimus Philippo, sicut tu, Python, Byzantios tuos servire voluisti; tu autem, Daoche, et tu, Thrasidace, Thessalos regi vendidistis.* 13. *Thes-
salianam enim servitute Philippi premi videtis, Thebani, et nisi fallor, iuxta nobiscum ingemiscitis: Byzantium, quantum in Pythone fuit, idem manebat exitium, quod Olynthus perpessa est: nos liberavimus.* 14. *Quippe Graecam civitatem, quum maxime sociam atque foederatam, ille religiosus atque venerabilis assertor Graeciae nec opinantem opprimere aggressus fuerat. Haec est nimirum praeclara ipsius prudentia. Calliditatem pro ingenio habet: periurium artem putat: perfidia tanquam virtute utitur.* 15. *Aut dicat denique, quo alio pacto formidabilem illam potentiam nactus est, si Graecos fraudibus, insidiis, prodicione non cepit; si barbaros etiam non auro magis, quam ferro, vicit; si denique cuiquam mortalium aut fidem dare gravatus est, aut datam fallere non sustinuit. Istis tamen ille Graeciae vindex, nos perturbatores sumus!* 16. *Sed quid istos pudeat, qui sua crimina nobis obiectare malunt, quam non admonere vos eorum, quorum ipsi manifesti sunt? Si quis captorum munerum aut proditio-*

nis reus esset, illum tuendo, propugnando, legibus et poenis eripiendo, vestrum negotium ageretis: nunc alios accusando, in vos sententiam dicitis. 17. Quod si ignari, quorsum ea res pertineret, id admisistis, prudentiam in vobis requiro; si scientes prudentesque, verecundiam. 18. Pro mea, quique in eadem mecum causa sunt, innocentia suffecerit, quod nos a Philippo nihil accepisse ipsi fatemini. Nec enim, si quid petivissemus, vacuos abire passus esset liberalissimus rex, ut a vobis quidem praedicatur. An qui vos corrupisse operae pretium putavit, nobis, etiam petentibus, non largiretur? 19. At Thebanos modo monuistis, ne consilium eorum sequerentur, qui patriae male consuluerunt. Ego vero desino adversari illis, Thebani, si ita sentiunt: in ipsorum opinionem transeo, vosque, quanto maximo potest opere, hortor, oro, obsecro, perque vestram et communem Graeciae salutem obtestor, ut hoc ipsorum decretum amplectamini. 20. Id si feceritis, neque pecorum atque armentorum gratia vos ipsos venire patiemini; neque ut ergastulis ager vester frequentetur, inter cetera Philippi mancipia Paeonibus et Triballis servietis. 21. Nam isti greges et mancipia intueri vos iubent, egregia servitutis praemia; uxores, liberos, parentes, libertatem, famam, fidem denique et fas Graecorum vilia habere. Haec enim profecto perdidistis, Thebani, nisi fraudi violentiaeque Philippi una nobiscum resistitis. 22. Quod si alienis laboribus tutos vos fore persuasum habetis, vereor ne magnopere decipiamini. Etenim (quod abominor) Philippo victore, cui dubium est, quin neque vos, neque quisquam Graecorum libertatem tueri possitis? Nam in fide Philippi multum reponere, eorum est, qui perire velint. 23. At si nos Victoria respexerit, quid ab hominibus, quos in extremo salutis atque dignitatis discrimine deserueritis, expectandum vobis putetis, considerate. 24. Nam quaecunque vobis sententia sederit, Atheniensibus certe omnia experiri, neque libertatem prius, quam vi-

tam, amittere decretum est. Quamquam etiam viribus non diffidimus: quibus si vestras sociatis, coniuncti utique superiores erimus hosti, cui singuli pares esse possumus. 25. Non ignoramus potentiam eius Athenienses, quam olim nascentem augetemque praevidimus; et, si ceteris Graecorum eadem mens fuisset, praecaveramus. 26. Diu enim bellum cum eo gessimus, non de Amphipoli, aut Haloneso, ut plerisque credebatur; sed pro salute et libertate Graeciae: donec destituti ab omnibus, a nonnullis etiam oppugnati, pacem necessariam magis quam honestam fecimus. 27. Sed nunc, opinor, praeses arcis nostrae Minerva, et Apollo Pythius, patrium nobis numen, ceterique Graecorum Dii aperuerunt oculos, et in vindictam avitae libertatis populorum suorum animos excitant. 28. Certe Herculem non sine indignatione verba legatorum audivisse arbitror, Philippo stirpem ab illo Deo repentium. Ille enim agnoscat Deus, omnium religionum contemptorem; Graecus Macedonem; tyrannum osor, punitor, extirpator tyrannidis! 29. Nullo enim alio argumento clariora sunt Herculis opera. At ille Graeciam dominatu premit; quibusdam etiam civitatibus domesticos tyrannos imposuit, Philistidem Oreo, Hipparchum Eretriae, Chalcidi Taurosthenem. 30. Ergo iam Euboei, Aethaei, Corinthii, Megarenses, Leucadii, Corcyraei nobis favent: alii fortunam spectant, quae hactenus unicum Macedoniae potentiae vinculum fuit, quo leviter abrupto, ultro dilabetur. 31. Quippe Thessali, unde Philippo robur equitatus est, neminem unquam diu fovere: Illyrii ceterique Macedoniae accolentes barbari, quorum et natura ferox est animus, et indignatione recentis servitii irritatus, si principia belli Philippo sequius evenerint, reliqua pro nobis conficient. 32. Vos modo nobiscum acriter in hanc curam incumbite, sepositis interim contentionibus, quas inter vicinas urbes saepe levis occasio concitat. Odia privata, post rem bene gestam, communis laetitia in benevolen

tiam vertet; aut quum porro insanire vacabit, cum dedecore forte damnoque utrorumque, sed tamen citra exitium, resumentur. 33. Neque dolos Philippi timueritis: modo promissis eius aures occludite, manus continete a muneribus. Si nihil ante libertatem habueritis, calliditas et largitiones frustra erunt. Potentiam ut discordiae Graecorum extulerunt, ita consensus obruet. 34. Quin et ipse, ut est temerarius, excipi potest: quod si accadat, nihil a ceteris est periculi. Nam ipse gloriam atque dominationem; qui sub eo sunt, quietem expetunt. 35. Nisi forte Alexandrum veremini: quoniam isti quidem ita vos contemnunt, ut idoneos putent, quibus etiam pueri nomen formidinem possit incutere.

VIII. Crederes, alios repente factos Thebanos: qui modo regio legatos attente, atque etiam cum assensu audiverant, adeo in contrarium mutati sunt, ut Philippum hostem iudicarent, ni quamprimum suis sociorumque finibus decederet: Macedonicae factionis homines urbe pellerent, et Atheniensium copias eo reciperent. 2. At Philippus, inopinata Thebanorum defectione turbatus magis, quam territus, insistere destinatis non omisit. Duobus levibus proeliis commissis, quum Athenienses successus non poeniteret, tandem utrique ad Chaeroneam Boeotiae oppidum totis viribus consedere. 3. Graecos decora maiorum, et cura libertatis accendebant: Philippus egregiis copiis, totque bellorum victoribus, fidebat. In se quoque non parum momenti collocabat, quod imperatoriis artibus ipse praecelleret; Graecorum celebratissimi duces iam decesserant. 4. Theagenes Thebanis praeerat, modico militiae usu, neque satis firmus adversus pecuniam: Atheniensium quoque imperatorum virtutem atque peritiam ipse animo usuque rerum longe anteibat. 5. Sed duorum potentium populorum in unum conversae vires, quorum auctoritatem Corinthii quoque alii sequebantur, iniecerant curam, minima unius diei parte, de

capite fortunisque omnibus dimicaturus. 6. Ne Thebanorum quidem principes a pacis consiliis abhorrebant; sed Atheniensium ardor evicit, ut omnes Graeciae spes opesque unius proelii fortunae permitterentur. Alexander etiam immodicus animi testabatur patrem, ne tantam gloriae occasionem e manibus elabi sineret: eoque tandem impulso, primus in hostem impetum fecit. 7. Pugnatum est acriter ambigua diu victoria, donec adolescens, quem cum delectis alteri cornum praefecerat pater, summa animi viriumque contentione connixus, sacra Thebanorum cohorte, quae ex optimis constabat, loco mota, victoriae viam aperuit. 8. Nam et Athenienses sociorum calamitate fracti, aestuque et vulneribus fatigati, non amplius sustinere Macedonum impetum: quippe Philippus aemulatione et pudore, si filio adolescente deterior videretur, gravis intolerandusque incuberat. 9. Ita de libertate Graeciae ista pugna decretum est. Ceciderunt ex Atheniensibus amplius mille, supra duo millia capti fuere: sociorum quoque multi aut pugnando mortem occubuerunt, aut vivi venerunt in potestatem victoris. 10. Missus post haec Athenas Alexander veniam delictorum pacemque Atheniensibus Philippum dare pronuntiavit: captivos etiam gratis reddere; nec vetare, quin occisi tumularentur: quippe rex, intentus in Persicum bellum, Graecorum fidem atque studia clementia et moderatione provocabat. 11. Imperio tamen maris et insularum Athenienses exiit: in Thebanos immitior, quorum subita defectione in summum rerum omnium discrimen se adductum fuisse meminerat; nec iudicabat, veteribus sociis post beneficia sua causam fuisse contra ipsum cum Atheniensibus sentiendi. 12. Ergo quum urbem dedidissent, praesidio Macedonum imposito, interfectisque, quos maxime invisos suspectosque habuerat, aliis solum vertere iussis, reductis suae factionis exsulibus magistratus et iudicia tradi-

dit. 13. Reliquos deinde populos, qui adversus ipsum arma ceperant, eodem victoriae impetu perdomuit. Nec quisquam tota Graecia, praeter Spartanos et Arcades, dominationis eius expers mansit: alios armis, alios impari societate imperiis suis obnoxios habebat. 14. Igitur conventu totius Graeciae Corinthum indicto, de bello Persis inferendo disseruit. „Obviam eundum esse barbaris, imperium orbis immani superbia sibi destinantibus: aut parendum semper, aut mature resistendum esse. Nec enim hoc agi, bellum an pacem habeant Graeci; sed utrum in hostiles agros id transferre malint, an domi accipere. 15. Non veteres tantum iniurias vindicandas esse; sed praesens dedecus amoliendum, ereptis ex Persarum servitute Graecis civitatibus, quae Asiam incolerent. Commodissime id fieri posse, dum compositis in Graecia rebus, universas vires in transmarinum bellum convertere liberum esset. 16. Domesticae etiam quieti ea ratione prospectum iri, a motis occupatisque longinqua militia, qui otiosi discordiis et audacia res turbare consuevissent. Constituerent igitur, quo imperatore, quibusque copiis bellum istud administrandum videretur.“ 17. Non fallebat plerosque, quantum e republica peteretur; sed armis amissam libertatem intempestivum videbatur verbis repetere. Nihil ergo dubitatum est, quin faustis acclamationibus Philippus imperator Graeciae ad liberandum orbem terrarum in Asiam proficisci iuberetur. 18. Descriptae deinde singulorum opes; et quantum quisque militum frumentique et pecuniae mitteret, in tabulas relatum est. Ducenta peditum, quindecim equitum millia promissa fuisse reperio; quum in eo numero neque Macedones, neque parentes Macedonibus barbari censerentur.

IX. Ceterum, ut sine mixtura calamitatis nulla in rebus humanis felicitas est, res foris prosperas domesticae turbae exceperunt. Animum coniugis,

olim, ut diximus, alieniorem, Olympias morositate et arrogantia in dies magis magisque avertebat. 2. Inde repudiatam nonnulli tradunt: ego in eodem matrimonio manenti Cleopatram superinductam comperio. Nec enim Alexander in tanto dedecore dulcissimae matris, cuius pudor ad ipsum quoque pertineret, (nam ob stupri suspicionem expulsam addunt) interfuisset novercae nuptiis: interfuit autem, et demum post contentionem, quae in eo convivio exarserat, matrem abduxit. 3. Quippe quum avunculus sponsae Attalus, post longam computationem spem male tegens, orandos Macedonibus Deos diceret, ut ex nova nupta legitimum regni successorem Philippus tollerent: Alexander, in iram alioqui praeceps, et tunc iniuria irritatior, *nos ergo, sceleste, spurii tibi videmur?* inquit: simul calicem, quem forte dextra tenebat, in os illius impegit; ille quoque invicem coniecit poculum. 4. Exorto tumultu, Philippus, qui in alio lecto accubuerat, eius diei laetitiam turbari moleste ferens, ense stricto Alexandrum petit: occideratque filium, nisi claudicantem ex vulnere pridem accepto gressum ira vinumque praepedivissent. 5. Prolapsus amicis subita re exterritis spatium dedit, ut precibus, et utrisque medios interponendo, Alexandrum eriperent. 6. Nec minoris operae fuit illum exorare, ut salvus esse vellet. Multiplici iniuria affectus sibi videbatur; et quamquam patris regisque nomina, naturaeque et gentium decreta ingererentur, non abstinuit, quin insultans Philippo iuberet intueri Macedonas egregium transmittendi in Asiam belli auctorem, qui ex lecto in lectum transiliens procidisset. 7. Inde sibi matrique iuxta timens, in Epiro, cui frater Olympiadis praeerat, eam reliquit: ipse ad Illyriorum regem profectus est. 8. Postea quoque, quum reconciliatore Demarato Corinthio in Macedoniam reversi essent, pervicacis ingenii mulier filium suoapte ingenio potentiae anxium, incitare non desti-

tit, ut, quos posset, humanitate aut pecunia in amicitiam illiceret, et adversus iracundiam patris etiam affinitate potentium hominum se muniret. 9. Sane olim monuerat Philippus, ut affabilitate sibi conciliaret hominum studia; largitiones autem non usquequaque probaverat, etiam per literas increpito instituto eius, quod benevolentiam auderet sperare ab hominibus, quos muneribus corrupisset. Falli, qui regium id putaret: ministri et diribitoris officium esse. 10. Verum quum ipse pecuniae omnia penetrabilia iactaret, eaque haud minus saepe, quam armis, uteretur, non tam recta praecipendi studio ita scripsisse visus est, quam metu, ne ab adolescente filio suis artibus oppugnaretur. 11. Idem obiurgavit Alexandrum, quod Pexodori filiam, quam Aridaeo destinaverat pater, ambivisset, degenerem, et fortuna, in cuius spem educaretur, indignum appellando, qui Carem barbarum, barbaroque regi subiectum, socerum optaret. 12. Sed ipse, ut potentiam suam firmaret, nullam conditionem aspernatus erat, quin ex asperima barbarie Illyrias Geticasque mulieres matrimonio iungeret: quamquam ex aliis etiam uxoribus pellicibusque complures liberos suscepisset. 13. Quod quum Alexandro molestum accideret, urbane adolescentem corripuit, hortatus, ut, multos imperii aemulos habiturus, operam daret, quo omnibus melior praestantiorque, non ob Philippum patrem, sed ex suo merito, rerum potiri videretur. 14. Quum autem ob has similesque causas crebra inciderent iurgia, nec abrupta semel benevolentia fido affectu coalesceret, ad extrema prolapsi sunt, praecipua Olympiadis violentia, in qua contumaciam sexus ingenium vastum et vehemens virili scelere in vindictam armabat. 15. Stimulaverat ea fratrem Alexandrum, ut Philippo bellum faceret. Id ne alieno tempore excipere cogeretur, callidus rex, quamquam viribus plus poterat, firmata per novam affinitatem gratia

praevenire studuit, desponsa Epirotae Alexandri germana, Cleopatra. 16. Ad istas nuptias celebrandas finitimarum gentium reguli, Graecarumque civitatum legati frequentes Aegas convenerant. Id oppidum elegerat Philippus, non sine quodam omine eorum, quae postea accidere: nam ibi Macedonum reges sepeliri mos erat. 17. Ferunt etiam, Apollinem Delphicum de bello Persico consulenti maturum interitum cecinisse. Sed ambiguum, ut mos oraculis, responsum Philippus ad barbarorum exitium blanda interpretatione traxerat. Alia quoque praesagia, quae tum nemo animadverterat, eventus monstravit. 18. Erat inter custodes regii corporis Pausanias quidam, quem in solatium acceptae ab Attalo iniuriae, rex in eum dignitatis gradum provexerat. Quippe Pausaniam Attalus mero onustum nefariis conviviarum ludibriis exposuerat. 19. Huius ultionem quum a rege peteret, honorem accepit. Etenim Philippus virum spectatae in bello fortitudinis, ad hoc nuper propinqua affinitate coniunctum, punire adeo non sustinuit, ut insuper copiarum parti praefectum cum Parmenione et Amynta in Asiam praemitteret, opera eius usurus in expeditione Persica. 20. Pausaniam autem rogatum, ut ipsi temporibusque reipublicae dolorem suum condonaret, comitate alloquii et honestiore stipendio placare conatus est. Sed adolescens maiorem contumeliae, quam beneficii, rationem habuit, odiumque ab auctore iniuriae in negligentem eius vindicem convertit. 21. Cum iis etiam, quos infensos Attali domui, nec Philippo concordēs esse noverat, consilia communicasse non praeter rationem creditum est, postquam ab Olympiade parricidae in cruce pendenti coronam auream impositam nemo dubitavit, aliaque facinora perpetrata sunt, ex quibus totius sceleris ordo causaeque haud obscure perspicerentur. 22. Dubia adhuc luce theatrum ingens hominum multitudo impleverat, spectatura ludos,

qui superiorum dierum spectacula luxu et magnificentia longe superaturi dicebantur. 23. Inter alia, quibus divitiis illudere solent opulenti reges et fortunae suae magnitudinem non capientes, duodecim Deorum effigies eminebant, in quibus artificum industria cum materiae dignitate certaverat. Tertiadecima Philippi thensa accesserat, nulla in re ceteris vilior. 24. Id mortalitatis fastidium matura ultio consecuta est: et successu rerum insolescentem, seque Diis immortalibus aequantem, priusquam indebito honore frueretur, fatum occupavit. 25. Pausanias theatrum intrare volentem observaverat: utque praemissis amicis, qui eum deduxerant, relictisque a tergo satellitibus, (nam in tanta omnium benevolentia nihil iis opus esse volebat ostendere) solus ingrediebatur; percussor improvisus adsilit, gladioque barbarico, quem sub veste habuerat, latus nihil tale expectantis haurit. Hic fuit exitus maximi aetatis suae regum. 26. Macedoniae regnum magnum ex inopi reddiderat: circumiectam barbariem domuerat: Graeciae imposuerat iugum: tum etiam Persico imperio imminebat. 27. Iam auxilia Graecorum coibant: iam in Asiam transiecerant praemissi ab eo duces; quum in ipso rerum gerendarum articulo, proluxum victoriae fructum sibi pollicentem vita destituit. 28. Ita maxima quaeque in lubrico sunt; et audacissimas spes hominum quilibet ex improvise casus eludit. 29. Olympias, comperta morte regis, Cleopatram Attali sorore genitam ad suspendium adegit: natum ex ea paucis ante patris necem diebus puerum in aenea pelvi torruit: in clientes etiam propinquosque eius atrocibus suppliciis saeviit, et occasione vindictae per muliebrem impotentiam crudelissime usa est.

X. Sed Alexander, per cuius absentiam mater ista perpetraverat, tanquam salutare sidus, componendis tantis fluctibus tempestivus affulsit. 2. Quippe

erectis in spem libertatis Graecorum animis, quos Philippus oppresserat, et tumultuantibus in vicinia barbaris, ne Macedoniae quidem tranquillae res erant. 3. Attalus, haud spernendi exercitus praetor, ambitioso imperio mirum sibi favorem apud militum vulgus conciliaverat: principibus Macedonum propinquitate innexus, etiam Philotae sororem sibi desponderat: neque post tantas utrinque offensas in viso infestoque fides haberi poterat. 4. Amyntas quem fratre Perdicca genitum, data in matrimonium Cyna Philippus generum legerat, ad paterni regni successionem per Alexandri caedem adspirabat. 5. Populi magna pars, Olympiadis tyrannidem exosa, alii rerum novarum cupidine, varie in hunc aut illum inclinabant studiis: nec deerant, qui Alexandro Aeropii filio restituendum dicerent fastigium, quod excluso legitimo regni herede, Amyntas prius, deinde Philippus, vi ac fraude invasissent. 6. Exercitus quoque, variis ex nationibus compositus, ut cuique animus aut spes erat, discordibus consiliis et sermonibus agitabatur. 7. Contra Alexandro novum imperium, ac subito Philippi casu nihil adversus ingruentes motus provisum erat: et quamquam indolis haud poeniteret, aetas spernebatur. Viginti annorum adolescentem tantae rerum moli humeros subiecturum, aut, si recepisset, parem futurum, non arbitrabantur. 8. Etiam nervus gerendarum rerum pecunia defecerat; qua abundantes Persae in omnem fere Graeciam corruptores miserant: et, ne quid malis deesset, Macedoniae maritima Tusci piratae depredabantur. 9. Convocatis amicis, quum de praesenti rerum statu deliberatio instituta esset, non defuerunt, qui censerent, omissa Graeciae cura, quanta posset lenitate deficientes barbaros in officio continendos esse: postquam intestini motus consedissent, longinqua facilius compositurum. 10. Verum adolescens insigni animi magnitudine, cauta consilia

pro ignavis fastidiebat. „Perpetuo omnium contemptui obnoxium fore, si in principio regni impune se sperni pateretur. Ad omnem deinceps vitam pertinere, qualem de se opinionem in animis hominum incipiens imperator excitet. 11. Philippi necem haud magis sibi, quam rebellibus, inexpectatam accidisse: trepidantes adhuc, et consilii incertos, nullo negotio opprimi posse: per Macedonum cunctationem erigi seditionis auctores; et qui nunc etiam nutarent animis, tumultuantibus accessuros. Ita contra paratos confirmatosque anceps discrimen subeundum: nunc celeritatis magis, quam virium, certamen esse. 12. Quod si adversus singulos audacia non esset, quid deinde futurum, si metum confesso omnes uno impetu superfunderentur?“ 13. His deinde congruentia ad populum locutus, adiecit, „effecturum se, ut cives hostesque fateri cogerentur, erepto patre corpus nomenque regis mutatum esse, consilium animumque non desiderari. 14. Eam rerum conversionem nonnullos occasionem tumultuandi putavisse; sed brevi poenas duros. 15. Modo Macedones eosdem animos, eosdem lacertos sibi commodarent, quos tanta cum ipsorum gloria, tantoque victoriae fructu, patri suo per tot annos praestitissent. 16. Id quo promptius alacriusque facerent, omnium praeter militiae vacationem ipsis concedere.“ 17. Consilium regis fortuna comprobavit. Non segnius, quam locutus fuerat, singula aggressum felicissimus omnium exitus secutus est. Et Amyntam quidem, patefactis, quas ille struxerat, insidiis, occupavit: Attalum per Hecataeum et Parmenionem sustulit. 18. Ex iis, quos in Philippi necem consensisse rumor arguebat, unum Alexandrum Lyncestem exemit supplicio, quod imperium suscipienti adfuisset, primusque regem salutasset: ceteros occidit. 19. Ea severitate suam salutem in vindicta Philippi muniri credebat; simul aboleri famam,

qua ut conscius paternae caedis notabatur. 20. Crebrae inter eos discordiae fidem suspicioni fecerant; et questum iniurias Pausaniam ad facinus confirmasse ferebatur, prolato ex tragoedia carmine, quo Medea pariter pellici suae, quique eam in matrimonium Iasoni tradidisset, et cuius in manum convenisset, idem exitium minabatur. 21. Verum ipse, quum aliquando Darii epistolae responderet, invidiam in Persas transferre conatus est: *illorum auro percussores Philippo comparatos fuisse.* 22. Quoque magis omnem culpaе suspicionem extirperet, postremo vitae tempore magnificum Philippo templum exstruere cogitaverat: id inter alia, in commentariis eius repta, successores neglexerunt.

XI. Quum autem ad perficienda, quae animo agitabat, maximum in eo momentum positum arbitraretur, ut Graeciae principatum, quem Philippus comparaverat, retineret; raptim exercitu ducto Thessaliam improvisus irrupit. 2. Sustulerant animos Thessalorum quidam, et insessis ad Tempe angustiis iter ex Macedonia venienti occludebant. 3. Quippe eas regiones Olympus atque Ossa celebrati montes dirimunt: per quorum convalles Peneus amnis labitur, mira amoenitate sollemnia gentis sacrificia meritis. Laetis utrinque nemoribus obumbratus incedit; multoque cum fremitu ruenti, ex vicinis arboribus avicularum garritus obstreperit. 4. Angusta semita per quinque fere millia passuum protenditur, vix onusto iumento sufficiens iter praebens, quod adversus quemcunque numerum hominum vel decem armati sepiant. 5. Sed ille, qua minime perviae rupes existimabantur, scalarum in modum exciso montis Ossae latere, circumitu penetravit; adeoque celeritate sua cunctos exterruit, ut omnia ei vectigalia reditusque, simul universae gentis imperium, quibus id legibus Philippus habuisset, nullo iam repugnante decernerentur. 6. Phthiam, quae generis

sui auctorem Achillem protulisset, immunem esse iussit: eumque heroem expeditionis adversus Persas socium atque commilitonem eligere se dixit. 7. Ex Thessalia Thermopylas petiit, publicum Graeciae concilium; Pylaicum appellant. 8. Ibi quum frequens per eos dies conventus esset, in locum patris Amphictyonum decreto summus Graecorum imperator creatus, Ambraciotis ratam esse libertatem iussit, quam nuper expulso Macedonum praesidio receperant: ultro redditurum fuisse dicitans, ni paucis diebus ipsum antevertissent. 9. Exinde Thebis admoto exercitu, fractaque Boeotorum et Atheniensium contumacia, qui populi maxime suis consiliis obstiterant; apud Corinthum Graecorum legatos occurrere sibi iussit. 10. Ibi confirmato Amphictyonum decreto, communi omnium sententia in Philippi patris locum imperator Graeciae suffectus est, et in bellum Persicum auxilia decreta. 11. Forte in eadem urbe Diogenes degebat, qui, Cynico instituto spontaneam paupertatem amplexus, liberum et sui iuris animum opibus curisque praetulerat. 12. Apricabatur ille in Craneo, Corinthi suburbio, ubi cypressorum lucus est. Eo quum Alexander videndi eius desiderio venisset, optionemque faceret, quae vellet, ab ipso petendi; parumper discedere iussit regem, ne solem interciperet. 13. Inopinatum responsum, hominemque, in quem in tanta sua fortuna ne beneficii quidem ius haberet, admiratus Macedo dixisse fertur, Diogenem esse voluisse, ni Alexander esset. 14. Scilicet magnitudo animi, qui ex alto despiceret omnia, quorum causa reliqui mortales semetipsos cupide perdunt, non plane fallebat mentem acerrimi iuvenis; sed obcoecata cupiditatibus pervidere non poterat, quanto melius esset carere supervacuis opibus, quam habere necessarias. 15. Ex Peloponneso Delphos invisit, Apollinem de eventu belli, quod moliebatur, consulturus. Sed virgo fati-

dica negabat per eos dies adiri Deum fas esse: donec ipse eo profectus, vi corripuit virginem, et ad templum traxit. 16. Sed quum inter eundum illa, patrium morem pertinacia regis victum reputans, exclamasset: *invictus es, fili!* accipere omen dixit, nec alio oraculo sibi opus esse. 17. His rebus celeriter confectis, in regnum regressus, summo studio in vindictam spretae Macedonum maiestatis incubuit. Iamque praeparatis omnibus, vere novo ex Amphipoli movens adversus liberas Thraciae gentes, decimis castris ad montem Aemum pervenit. 18. Magna Thracum manus iugum occupaverat, transitu prohibitura regem. Castra plaustis in modum valli circumdederant, propulsuri in hostem, si vis inferretur. 19. Alexander, barbarorum astu cognito, edixit militibus, ut plaustis irruentibus, diducta phalange innoxia dilabi paterentur; aut, si deprehensi essent, humi strati, clypeis arcte commissis, testudine se protegerent. 20. Ita hostium dolus irritus fuit. Magna plaustorum pars per intervalla ordinum devoluta est: quae armatis incidere, clypeis impacta, suoque impetu subsilentia nihil ponderis ad obtinendum habuere: omnisque illa tempestas citra noxam detonuit. 21. Quo metu liberati Macedones, alacri clamore edito, impressionem faciunt. Procurentes barbaros praegressi a dextro cornu sagittarii frequentibus telis incessebant. Ita sine periculo phalanx in verticem enisa, ut primum aequo loco consistere potuit, haud ambigua victoria hostem nudum aut leviter armatum disiecit. 22. Sed eadem res, quae barbaros in proelio prodiderat, in fuga adiuvit. Armis haud sane onerati per nota loca facile dilapsi sunt. Ita desideratis ex omni numero mille quingentis, ceteros fuga abstulit: mulierum puerorumque ingenti multitudine, praedaque pro locorum conditione satis ampla, victor potitus est. 23. Sic aperto montis Aemi transitu, in interiora Thraciae penetra-

tum est. Lucus est in iis gentibus, quem Libero Patri dicatum prisca religione colunt. 24. Ibi quum Alexander, barbaro ritu sacrificans, vinum aris infunderet, tanta flammae vis erupit, ut superato aedis culmine, in coelum emicare videretur. Eosdem gloriae fines regi ostendi, omnes credidere. 25. Alia subinde res nuntiata prioris prodigii fidem affirmavit. In Thracibus, qui Odrysaee appellantur, Libethrus mons et civitas est, Orphei natalibus inclyta: eius sacram effigiem ex cupresso fabricatam multo sudore manasse, qui viderant, ad regem retulere. 26. De interpretatione sollicitis Aristander exemit metum, ad res Alexandri pertinere asseverans, quibus decantandis alumni filiique Musarum multum desudaturi essent. 27. Triballi, valida natio, trans montem Aemum colunt. In eos quum descenderet Alexander, rex gentis Syrmus in Peucen Istri insulam confugerat, expeditione Macedonis multo ante comperta; seque et quidquid aetate vel sexu invalidum erat, obiecto amnis munimento tuebatur. 28. Quippe Alexandro paucae naves erant; et in aspera praeruptaque ripa difficilis exscensio ab hoste intento validoque haud aegre impediabatur. Ita Macedones re infecta discesserunt, contenti illata paucis ante diebus clade. Nam priusquam eo processissent, alium Triballorum exercitum adorti, vix quinquaginta suorum amissis, tria hominum millia occiderant.

XII. Syrmus rege nequidquam oppugnato, in Getas convertit impetum, qui in ulteriore ripa quatuor equitum, decem peditum millia instruxerant. 2. Id periculum non tam ex usu belli sumsit, quam cupidine famae, ut maximum Europae flumen, defendentibus ferocissimis gentibus, transivisse gloriari posset. 3. Igitur equitibus, quotquot capere navigia poterant, impositis, pedestrium copiarum partem lintribus, quorum ibi magna erat copia, alios utribus

transduxit. 4. Improvisa Macedonum impressione (quippe transmittentes nox, et in ripa, quam petebant, densa frumenti seges texerat) territi Getae vix primum emissi equitatus impetum tulere. 5. Ut deinde cum phalange Nicanor successit, effuso cursu urbem quatuor ferme passuum millibus a flumine distantem petiverunt: mox, instante Alexandro, avectis coniugibus liberisque, quod eorum equis eripere potuerant, ceteros reliquere victori. 6. Eos rex Meleagro et Philippo abducendos dedit: excisaque urbe, et in ripa fluminis Iovi Herculi que et ipsi Istro, qui transeunti propitius fuisset, aris consecratis, eodem die reduxit exercitum, incruenta victoria potitus. 7. Venerunt deinde finitimarum gentium Syrmique regis oratores cum donis, quae apud ipsos in pretio habentur. Germani quoque, qui usque a fontibus Istri terras ad sinum Adriaticum spectantes habitant, legatos miserant. Nam Ister in Germania oritur: ipsi patrio vocabulo Danubium appellant. 8. Magnitudinem corporum animorumque alacritatem admiratus Alexander interrogavit, quidnam omnium maxime vererentur? putans suam potentiam formidabilem ipsis esse, eamque se confessionem expressurum. Illi, nihil se magnopere vereri, responderunt, nisi forte, ne coelum in ipsos rueret: ceterum virorum fortium amicitiam plurimi facere. 9. Percussus improvise responso paullum reticuit; deinde, hoc unum effatus, Germanos arrogantes esse, foedus, ut petiere, iunxit; Syrmoque et reliquis pacem dedit: satis gloriae ea expeditione partum existimans, et in Persicum bellum animo conversus, unde cum leviori discrimine longe maius operae pretium exspectabatur. 10. Taxasse id avunculum eius Alexandrum constat, quum paullo post bello in Italia gerendo fatigaretur: nam inaequalem utriusque sortem questus, sibi cum viris pugnam evenisse dixit, Macedoni cum mulieribus. 11. Ceterum regulos

Thracum, quique alii ad res novandas opibus aut animis idonei videbantur, specie honoris, tanquam commilitones adversus Persas adscisceret, abduxit; capitaque ademit factionibus, sine principibus nihil ausuris. 12. Per Agrianos et Paeonas Macedoniam repetenti Illyriorum motus nuntiatur. Bardylis, ex carbonario multarum in eo tractu nationum rex, etiam Macedoniae gravis incubuerat; donec magno proelio a Philippo victus, atque instaurato deinde bello, fractis omnino viribus, in ditionem victoris concederet. 13. Atque ille iam obierat, vita ad nonagesimum aetatis annum producta: ceterum filius eius Clitus, opportunum recuperandae libertatis tempus advenisse dictitans, dum asperrimarum gentium armis Alexander trans Istrum attineretur, populares ad arma capienda impulit, inita societate cum Glaukia rege Illyriorum, qui Taulantii vocantur. 14. Autariatae alia natio iter facientes Macedonas aggressuri fuerant: sed Langarus, Agrianorum rex, Alexandro fidus, petiit, ut sibi curam eam permetteret: sese domi eorum tantum negotii ipsis comparaturum, ut animum a vexandis Macedonibus ad sua tuenda conversuri essent. 15. Collaudatum donisque magnifice cultum iuvenem dimisit rex; etiam sororis Cynae nuptias pollicitus, quam ex Illyria muliere susceptam Amyntae in matrimonium dederat pater. 16. Et Agrianus quidem promissam operam praestitit; sed morbo correptum, ne pacta mercede fruere-tur, brevi consecuta mors praevenit. 17. Ita cohibitis Autariatis, sine certamine Pelium perventum est, Dessaretiae oppidum, Eordaico flumini imminens. 18. Speciem pugnam expetentium praebebant hostes, et velut manus conserturi extra praesidia sua ferociter procurrerant. Sed priusquam proelium committi posset, refugerunt; licet opportuna loca, silisque et collibus impedita praecepissent. 19. Foe-dum ibi spectaculum Macedonum oculis obiectum

est. Tres pueri, totidemque puellae cum tribus nigris arietibus confusa strage iacebant, quos barbari sacrilego sacro diis suis immolaverant, quo pugnantibus audaciam inspirarent. Sed vindex numen scelestis mentibus pro virtute vecordiam iniecit. 20. Rex intra moenia compulsos ducto exteriori muro intercludere statuerat; quum postridie cum magnis Taulantiorum copiis Glaucias advenit. Ita spe capiendae urbis abiecta, quomodo tuto discederet, cogitabat. 21. Interim Philota cum iumentis castrensibus, et praesidio equitum frumentatum misso, comperit, suos in discrimine versari; quippe Glaucias colles campo circumdatos occupaverat, in occasionem gerendae rei intentus. 22. Igitur adversus oppidanorum eruptionem parte exercitus in castris relicta, cum ceteris copiis impigre profectus est; territisque Illyriis, suos recepit incolumes. 23. Ceterum iter facturo maximum periculum imminebat. Hinc flumen, inde praerupti arduique colles viam coarctabant, relicto itinere, quod multis locis vix quaternos armatos caperet: montium iugis Clitus atque Glaucias sagittariorum et funditorum cohortes magnamque gravis armaturae manum imposuerant. 24. Alexander, ducentis equitibus ante utrumque phalangis cornu collocatis, imperat, ut erigerent hastas; mox signo dato versus hostes, tanquam impetum facturi, infestas protenderent, modo in dextrum, modo in sinistrum latus invicem conversi. 25. Suspensis eo commento hostibus, phalangem raptim progressam nunc in plures acies diducit, nunc divisam colligit; ad extremum cuneo facto, in laeva Illyriorum praesidia strenue infert. 26. Illi, celeritate et peritia Macedonum in stuporem versi, desertis, quos tenuerant, montibus, versus urbem refugerunt. 27. Pauci restiterant in edito colle, quae iam transierat Macedonum agmen. Iis deiectis, Alexander duobus fere millibus Agrianorum sagit-

tariorumque locum capit, phalangi, quam flumen transmittere iusserat, praesidio futurus. 28. Ea re conspecta, universa hostium multitudo iter ad montes arripuit, eo consilio, ut transiecta gravi armatura, extremum agmen, in quo ipse rex transiturus erat, adorirentur. 29. Ille nihil territus, venientes fortiter excipit: simul phalanx sublato clamore, quasi iterum transmisso amne subsidio suis itura, metum incussit hosti. 30. Nam rex, quae evenerunt, futura ratus, praeceperat, ut in adversam ripam delati statim aciem instruerent, laevum cornu, quod a flumine hostibusque propius aberat, in speciem multitudinis quantum possent explicantes. Itaque quum universum exercitum incumbere sibi putarent Taulantii, paullisper retrocesserunt. 31. Id spatium nactus Alexander, suos raptim ad flumen ducit: quo ubi ventum est, ipse inter primos transgreditur; et quum eos, qui agmen claudebant, reversus hostis urgeret, machinis dispositis, quae trans amnem missilia spargerent, eum submovit: simul, qui iam ingressi flumen erant, e mediis aquis tela coniecere. Ita nemine desiderato ceterum iter quietum habuit. 32. Triduum intercesserat, quum hostes, tanquam fugato Macedone metu vacuos, passim nullo ordine tendere, neque more militari vallum fossamve pro castris habere, neque vigilias et stationes obire, nuntiatur. 33. Igitur assumtis sagittariis Agrianisque, et ea Macedonum militum manu, quam Perdicas et Coenos ducebant, noctu superato flumine, celeriter ad eos contendit, reliquo exercitu sequi iusso. 34. Nec exspectato eo, ne occasionem mora consumeret, levis armaturae militem praemittit: mox ipse cum ceteris impetu facto semisonnos et inermes magna strage afficiunt, multos vivos capiunt, reliquos coniiciunt in fugam, et ad Taulantiorum usque montes persequuntur. 35. Clitus in ea consternatione in oppidum Pelium se recepit: deinde sive munimen-

tis urbis, sive suorum animis diffusus, incensa urbe, in Taulantios exsulatum abiit.

XIII. Interea per universam Graeciam diffusus rumor, Alexandrum in Triballis cecidisse, omnes Macedonicis opibus adversos in spem rerum novandarum erexit. 2. Ea quoque in rebus humanis haud postrema calamitas est, quod, utcunque levi auctori, quae facta optamus, tam enixe creduntur, quasi veritati vim afferre possit pertinax et impatiens rationis opinio. 3. Repertus est, qui se inspiciente circumventum regem, et, quo minus ambigeretur, se in ea pugna vulneratum esse, affirmaret: id pronis auribus acceptum vulgatumque, civitati Thebanorum extremae calamitatis initium exstitit. 4. Quippe eo nuntio exciti quidam exsulum, quos a Philippo eiectos diximus, ducibus Phoenice et Prothyte, praefectos Macedonum, qui Cadmeam obtinebant, quum nulla doli suspitione extra arcem progressi essent, obtruncant: civibus ad speciosum liberandae patriae titulum strenue concurrentibus, praesidium obsident; et duplici vallo fossaque, ne commeatus aut auxilia submitti possent, circumdant. 5. Legatis deinde supplicum habitu circum civitates Graeciae missis orabant, ne deesse vellent indigne ereptam libertatem repetentibus. Et Demosthenes quidem veteri in Macedonas odio Athenienses permovit, ut auxilia prompte decernerent. Missa tamen non sunt, quia subito Alexandri adventu percussis expectanda fortunae inclinatio videbatur. 6. Demosthenes privatis copiis Thebanos adiuvit, magnumque armorum numerum gratis subministravit: quibus perarmati, qui Philippo adimente sua amiserant, Cadmeae praesidiariis acriter institerunt. 7. Peloponnesiorum haud invalida manus ad Isthmum convenerat. Ad quos quum Antipater, quem interim, dum abesset, Macedoniae praefecerat rex, misisset petitem, ne

contra commune Graeciae decretum cum professis Alexandri hostibus consilia miscerent; nihilominus Thebanorum oratores admiserunt. 8. Quumque vulgus militum misericordia permoveretur, dux eorum Astylus, Arcas genere, moras nectebat, non tam incepti difficultate territus, quam per avaritiam, ut a festinantibus et necessitate anxii maius stipendium acciperet. 9. Decem talenta poscebantur: ea quum Thebani non conficerent, a Macedonicae factionis hominibus oblata sunt, ut quiesceret. Ita de Arcadum auxiliis Thebanorum spes in nihilum recidit. 10. Alias tamen ex Peloponneso copias, ne adversus Thebas militarent, pecunia Demosthenes avertit. Namque trecenta talenta a Persis accepisse dicebatur, quis ad facessendum Alexandro negotium uteretur. 11. His ita nuntiatis, Alexander praeter Eordaeam et Elymiotin, rupesque Stymphaeas et Paryaeas rapit exercitum; septimoque post die, quam a Pelio movisset, Pellenen Thessaliae oppidum pervenit. Post sextum deinde diem in Boeotiam venit: mox Onchestum, sex circiter passuum millibus a Thebis distantem processit. 12. Inter haec Thebani maiore animo, quam consilio, administratis rebus, omnium ignari agebant, necdum intra Pylas esse credebant Macedonum copias: ipsum vero regem adventare, adeo fidem superabat, ut potius alium Alexandrum Aeropi filium exercitui praeesse contenderent. 13. Rex, ad fanum Iolai positus castris, quod ante Proetidem portam est, poenitentiae eorum locum dare constituerat; quum illi, eruptione facta, in stationes Macedonum invecti, quosdam interficiunt, alios loco pellunt, donec ad ipsa iam castra suggestos emissa regis iussu levis armatura reiecit. 14. Postero die ad portas, quibus in Atticam euntibus iter est, promotus exercitu, ut suis in arce conclusis praesto esset, adhuc cunctabatur, et, si poeniteret erroris, veniam ostentabat.

15. Sed quibus pax placebat, potentia exsulum, eorumque per quos revocati fuerant, opprimebantur: qui, nulla spe salutis reliqua, si Macedones urbe potirentur, patriae ruinis obrui malebant, quam illius incolumitatem suo interitu emere, et ex Boeotarchis nonnullos in consilium traxerant. 16. Quantaque hominum vecordia fuerit, vel hinc cognosci potest, quod Alexandro postulante, ut defectionis auctores dederent, duobus capitibus omnem civitatis noxam expiaturi: 17. ipsi vicissim Philotam et Antipatrum, principes amicorum regis, deposcere sint ausi, et per praeconem pronuntiare, si qui cum magno rege et Thebanis Graecorum libertatem adversus tyrannum asserere vellent, eos apud Thebas refugium habituros. 18. Nec tamen Alexandri imperio oppugnata urbs est; sed, ut Ptolemaeus tradidit, (nam quidam aliter narrant) Perdiccas, qui in ea castrorum parte curabat, quae vallo hostium, quo Cadmeam incluserant, obversa erat, non expectato signo impetum in eos fecit: 19. superatoque munimento, manus cum hoste conserere coepit, et Amynnam, qui cum sua cohorte iuxta ipsum tendebat, ut idem auderet, exemplo permovit. 20. Mox Alexander, suis timens, cum tota copiarum mole adfuit, et leviter armatis perrumpere, suisque auxilio ire iussis, ipse cum reliquis pro vallo substitit. 21. Acri conserto proelio, Perdiccas, dum interius vallum molitur, graviter saucius pugna effertur; et Cretensium sagittariorum multi, cum Eurybota duce suo cadunt. Thebani percussis instant, et ad Alexandrum refugientes insequuntur. 22. Ibi quum rex instructa phalange dispersos et turbatos hostium ordines invaderet; statim versa pugnae fortuna, tanta Thebanorum trepidatio fuit, ut ne ad portas quidem, per quas in urbem se receperant, occludendas mente competerent: simul, qui Cadmeam tenebant, in subiectos arci vicos excurrerunt. 23. Ita nobilissima

Graeciae urbs intra eundem diem oppugnata et capta est. Nullum in ea crudelitatis exemplum praetermissum constat: viros feminasque promiscua strages hausit, nec ab impuberum caede temperatum est. 24. Phocensium Plataeensiumque et Orchomeniorum et Thespiensium ea infamia fuit, quibus olim, dum Thebana res valebat, vicinae civitatis opulentia exitiosa fuerat: Macedones ultra fas belli non saevire. 25. Tandem, ut caedibus abstineretur, proclamatum est, quum iam sex hominum millia periissent: ceteris captis, ad triginta millia liberorum caputum venierunt. 26. Ex omni praeda quadringenta et quadraginta talenta redacta fuisse, Clitarchus tradidit: alii, ex pretio captivorum id pecuniae effectum. Centum talenta, quae Thebanis Thessali debebant, Alexander sociis accepto tulit. 27. Pauci, quos bellum dissuasisse constabat, servitutem effugerunt: item sacerdotes, et quorum hospitio rex paterve eius usus esset. 28. Ex reliquis Timoclea nobilis facinoris mercedem, cum praesenti libertate, famam apud posteros tulit. Inter Thracas, qui Alexandro militabant, quidam equitum ductor post vim mulieri illatam, ubi pretiosissima quaeque oculuisset, minitabundus interrogabat. 29. Illa non tam opum, quam pudoris, damno moesta, avaritiam barbari in occasionem vindictae convertit: ostensoque puteo, in quem mundum suum coniecisse simulabat, hominem cupide eo despicientem subductis pedibus impulit; coniectisque desuper saxis, quum ex angusto profundoque loco adscensum frustra moliretur, obruit. 30. Comprehensa a turmalibus occisi, ad Alexandrum trahitur, ut interfecti ducis poenas daret. 31. Ibi interrogante rege, quaenam esset, et ob quod delictum adduceretur? intrepido vultu et voce, *Theagenis*, inquit, *soror sum, eius, qui pro libertate Graeciae Thebanorum imperator occubuit.* 32. *Iniuriam meam ulta, castitatis meae praedonem*

interemi. Cui si meo supplicio parentari iubeas, scies, honestae mulieri post extortam pudicitiam spiritu nihil vilius esse: quem utcunque expellere festinaveris, sero moriar, pudori patriaeque superstes. 33. Alexander, cognita causa, Thracem iure caesum pronuntiavit; neque sibi placere ingenuis mulieribus vim fieri: collaudatamque feminam, cum omnibus, qui cognatione ipsam attingerent, liberam esse iussit; et quo quisque vellet discedendi potestatem fecit. 34. Percipit et Pindari posteris, in honorem vatis, qui proavum regis Alexandrum carminibus suis inseruerat; ipsiusque domum cremari vetuit. 35. Non enim praesentem tantum virtutem adamavit, verum etiam memoriam magnorum virorum reverentia, et progeniem illorum beneficiis prosecutus est. 36. Nam et postea, quum postremo proelio Darium vicisset, Crotoniatis praedae partem misit, quod Xerxis bello, ceteris Graecorum coloniis de Graecia desperantibus, Phayllo duce triremem unam ad Salaminem mississent: et Plataeenses honore donisque affecit, quia maiores eorum Graecis adversus Mardonium proeliantibus agrum suum dono dederant.

XIV. Hanc Thebanorum cladem multa ostenta praecesserunt. Tribus ante mensibus, quam Alexander advenisset, in fano Cereris, quae Thesmorphoros appellatur, conspecta est araneae tela nigra, quum circa tempus Leuctricae pugnae, qua res Thebana ad summum felicitatis evecta fuit, candida comparuisset. 2. Ad haec sub adventum Macedonum sudantes in foro statuae, eque lacu apud Onchestum tristis mugitus, et prodigioso sanguine fluens Dirce, terrere obstinatos poterant, nisi destinatos sorti suae superbia perdidisset. 3. Quippe maiorum gloriam intuentes, a quorum moribus longe recesserant, et in disparibus artibus eandem sibi fortunam polliciti, patriae ruinam acceleraverunt, quum adversus

triginta peditum, tria equitum millia, eumque veteranum et toties victorem exercitum, paullo plus decem armatorum millibus opponere non essent veriti. 4. Ceterum Alexander, urbe capta, ad consilium sociorum retulit, quomodo ea utendum videretur. Erant inter eos Phocenses, multique ex Boeotis, quibus antiquissimae cum Thebanis discordiae gravibus saepe damnis constiterant: neque, dum Thebae starent, aut odiis suis satisfactum, aut securitati prospectum rebantur. 5. Horum auctoritas valuit, ut muri atque aedificia diruerentur, ager arbitrio regis inter victores divideretur. Ita nobilissimam urbem, non hominum modo clarissimorum, verum etiam deorum natales asserentem sibi, e media Graecia una dies eripuit, postquam octingentos fere annos post oraculum de corvis, eosdem incolas habuisset. 6. Olim enim pulsus a gente Thracum atque Pelasgorum Boeotis edita sors fuerat, *post quartam demum aetatem patrias sedes recepturi, considerent interim, quo loco corvos albos conspicati forent.* 7. Ita quum ad Arnen Thessaliae oppidum venissent, corvis conspectis, quos pueri gypso illeverant, ibi substiterunt. Diruta urbs est ad tibiae cantum, quo modo sexagesimum ante annum Athenas Lysander deleverat. 8. Templis tamen aliisque sacris aedificiis abstineri iussit Alexander, etiam ne quod per incuriam damnum iis daretur, sollicitus. Praeter insitam in deos venerationem recens religio permoverat, quia militum quosdam, Cabirorum fanum, quod ante urbem est, spoliare aggressos, subita tempestas fulminibus et flamma coelesti consumserat. 9. Relictae sunt etiam effigies statuaeque, diis, vel hominibus virtute praecellentibus, per loca publica positae. Proditumque est memoriae, fuisse, qui inter consternationem captae direptaeque urbis aurum in sinus aut amicula statuarum abdiderint, idque salvum repererint, quum vigesimo post anno

Cassander, Antipatri filius, Thebas instauraret. 10. Quod quidem non tam misericordia in profugos fecisse creditur, quam ut Alexandri, quem oderat, gloriam detrectaret. Quamquam autem veterem murorum ambitum urbi restituisset; neque mores antiquos, neque fortunam reddere potuit. Nunquam postea resurrexit, ut convalesceret; sed multis subinde calamitatibus vexata, vix tenuis oppidi speciem ad memoriam nostram retinuit. 11. Poenituisse postea ferunt Alexandrum, quod excisis Thebis velut alterum Graeciae oculum eruisset: utique postquam Cliti caedem, et Macedonum ignaviam, expeditionem in penitiores Indos pertinaciter recusantium, iram Liberi patris interpretatus est, ob afflictam patriam eiusmodi poenas repetentis. 12. Et reperti sunt, qui ipsam regis mortem, non sine vindicta Bacchi, ab ebrietate et vino profectam crederent. 13. His ita perpetratis, Athenas misit, nuntiatum, ut oratores, qui populum adversus Macedonas concitare non desinerent, traderentur; aut si illos amittere gravarentur, eadem contumaciae praemia exspectarent, quorum exemplum in Thebanorum calamitate conspicerent. 14. Ibi quum Phocion, cuius ob integritatem vitae maxima ad populum auctoritas erat, non irritandum adolescentis victorisque animum diceret, hortareturque eos, ad quos periculum maxime pertinebat, ut Lei et Erechtei filias imitati, spiritum pro patriae salute profundere ne dubitarent: 15. Demosthenes, qui nominatim petebatur, surrexit, docuitque, „falli Athenienses, si paucorum deditioe periculo defungi posse crederent: callidos Macedonas eos exposcere, quorum vigilantiam atque virtutem maxime invisam suspectamque haberent: amotis publicae libertatis custodibus, in orbam indefensamque civitatem, tanquam lupos in oves canibus destitutas, impetum facturos esse.“ 16. Multa commiserat in Macedonas De-

mosthenes, ob quae haud iniuria nullum apud eos veniae locum relictum arbitrabatur. Philippo occiso auctor exstiterat, ut Pausaniae sacellum exstrueretur, apud pulvinaria deum supplicationes haberentur, aliaque ob insignem laetitiam decerni solita curarentur. 17. Alexandrum alias puerum, alias prodigiosae vecordiae vocabulo Margiten appellaverat: Persico auro corruptus, omnium fere bellorum, quae contra Alexandrum patremque eius Philippum Graeci depugnauerunt, fax atque concitor fuerat. 18. Attalum, quo graviorem adversarium non habuerat Alexander, Atheniensium societatem pollicitus, ad bellum regi palam inferendum exstimulaverat. 19. Neque civitas Atheniensium mediocriter deliquerat, detractis Philippi statuis, earumque materia in foedos usus conversa, aliisque admissis, quae vulgus imperitum et mobile, nulla futuri cura, ex arbitrio suasuque paucorum animose perpetrat. 20. Sed nihil ex iis, quae prae fracte et contumaciter fecerant, aequè commovit regem, quam in Thebanos humanitas, quos inter patriae ruinam elapsos, contra ipsius edictum receperant, tantum ob eorum vicem doloris prae se ferentes, ut etiam mysteriorum sollemnia, quae in honorem Liberi Patris praecipua religione quotannis celebrant, ob publicam moestitiam intermitterent. 21. Verum cupidine belli Persici, condonare Graecis iniurias suas, quam exsequi, malebat. Igitur quum Demades, qui Philippo quoque gratus acceptusque fuerat, preces civitatis ad eum detulisset, Atheniensibus indulset, ut Demosthene, Lycurgoque, et aliis, quos depoposcerat, retentis, unum Charidemum in exsilium mitterent. 22. Ille ad Persas se contulit, magnoque ipsis usui fuit, donec ob libertatem linguae Darii iussu interfectus est. Alii quoque non postremi nominis viri, odio regis urbe deserta, ad hostes illius profecti, multum negotii Macedonibus exhibuerunt. 23. Post

eum rerum impetum cursumque nemo supererat in Graecia, qui aut viribus suis post Thebanos, (quorum gravis armatura celebris olim fuerat) aut occupata Leucadia, munimentis confideret. 24. Namque Leucadios, situ oppidi et proviso in longam obsidionem commeatu feroces, fame domuit; quum expugnatis, quae circa erant, castellis, homines Leucadiam abire passus, adaucta per singulos dies multitudine, omnem eorum penum exhausisset. 25. Igitur ex Peloponneso quoque legationes venerunt, gratulatum, quod confectis ex animi sententia barbaricis bellis, etiam Graecorum quorundam insolentiam et temeritatem castigasset. 26. Arcades, qui Thebanis auxilio futuri se commoverant, duces, quorum instinctu ad eum furorem prolapsi essent, capitis se condemnasse exponebant. 27. Elei, exsulibus suis reditum concessisse, non ob aliud, nisi quod Alexandro caros accepissent. 28. Et Aetoli excusaverunt, quod in tantis Graeciae turbis, ipsorum quoque gens novorum consiliorum expers non fuisset. 29. Megarenses novi generis honore risum regi, quique circa eum erant, commoverant, referentes, ob studium et beneficia Alexandri in Graecos, Megarensis populi scito civitatem illi decretam esse: donec intellecto, nemini ad eum diem, excepto Hercule, id honoris habitum, laetus accepit. 30. Ceteris respondit, nihil sibi quiete et incolumitate Graeciae antiquius esse: modo in posterum novis rebus abstinerent; praeteritorum veniam facile concedere. 31. Verum Spartanis maxime diffisus, Philiadae liberos Messenen, unde pulsii fuerant, restituit: Pellenen Achaeorum Chaeroni tradidit: Sicyonem, aliaque Peloponnesi oppida per clientes suos habuit, qui consilia Lacedaemoniorum ex propinquo specularentur. 32. Tot tantisque rebus perficiendis pauci menses suffice-

runt: intra quos tam grave atque multiplex bellum levio- re negotio confecit, quam alius paravisset. 33. Ipse quidem eam victoriam celeritati se debere confessus, interroganti, quonam maxime modo Graeciam subegisset? *Nihil cunctando*, respondit.

I. FREINSHEMII
SUPPLEMENTORUM
IN
Q. CURTIUM
LIBER II.

ARGUMENTUM.

Cap. 1. De Persarum rebus et belli apparatu. 2. Alexander orationem habet ad suos de bello illis faciendo. 3. Antipatro praetore Macedoniae relicto, cum exercitu in Asiam proficiscitur. 4. Agrum Trojanum visit; varias urbes occupat. Memnonis Persae consilium; Darii superbia. 5. Persae in pugna ad Granicum fusi. 6. Alexander Ephesum expugnat et alias urbes. 7. Pergit ad alia oppida, Smyrnam, Clazomenas, Miletum. 8. Classem Persarum fundit, suamque dimittit. Cariam ingreditur. 9. Halicarnassum oppugnat, 10. et capit. 11. Pergit in Lyciam; Alexandri Lyncestae insidiae aperiuntur. Fausta Alexandro omina in itinere et alia praesagia narrantur. 12. Pamphyliae oppida capta. Item Pisidiae; quum interim Memnon, Darii praefectus, classe insulas Macedoniamque invasurus, morbo abripitur.

I. Persarum ea tempestate Darius rex erat, paulo ante Philippi necem evectus in id fastigium a Ba-

goa spadone, qui, Ocho rege et deinde filio eius Arse cum tota eorum domo extinctis, imperium, quod sibi vindicare non poterat, sui beneficii fecit, perennem sibi gratiam pollicitus apud eum, quem tanto munere devinxisset. 2. Nec tamen indignus ea fortuna Darius apud populares habebatur: nam etiam a gente regia non alienus erat. Quippe Ostanes Ochi patruus Arsanen genuerat, Arsanes Codmannum. Sic enim vocabatur, dum privatus esset; sed in Cyri solium collocatus, more quodam Persarum, eiurato veteri nomine, Darius appellari voluit. 3. Bello quoque spectatus, caeso ex provocatione hoste, quum adversus Cadusios bellum gereret Ochus, magnam virtutis opinionem pepererat. Hic a conditore regni Cyro decimus imperio Persarum praefuit. 4. Nam Ochus Artaxerxem patrem, ille Darium exceperat. Huic Artaxerxes regnum reliquit, Xerxis filius. Xerxes Dario patri successit, qui Hystaspe genitus, post extinctum in Cambyse Cyri sanguinem, illustri septem Persarum conspiratione, imperium Magis extorsit. 5. Sub his regibus per ducentos et triginta ferme annos res Persarum mira felicitate floruit: acribus initiis, dum rudis ad voluptates natio pro libertate, gloriaque, et opibus animose dimicabat. 6. Procedente tempore, postquam praemia virtutis adepti videbantur, ipsam posthabuere, non tam suis viribus tuti, quam fama potentiae a maioribus partae, usuque divitiarum, quibus haud paullo felicius contra Graecos, quam armis, decertavere. 7. Ad postremum itaque, quum adversus Alexandri vim auro parum proficeretur, omnique externa ope abscedente, sibimet ipsis innitendum esset, animi deliciis et mollitiae fracti effeminatique fortunae ruentis impetum non sustinuerunt. 8. Quippe industriam egestas acuit; affluentiam rerum luxus et inertia sequitur. Igitur audito fine Philippi, cuius fortuna et apparatus exterriti fuerant, metu soluti, Alexandri

adolescentiam despiciebant; contentum fore arbitrati, si securo Pellae obambulare liceret. 9. Verum quum de bellis ipsius victoriisque alia super alia nuntiarentur; contemptum hactenus iuvenem impensius formidantes, summa cura, ut in bellum atrox atque diuturnum, auxilia comparabant. 10. Et quoniam superiorum proeliorum experimentis impari Asiaticum militem Europaeo didicerant, missis in Graeciam conquisitoribus, ad quinquaginta millia egregiae iuventutis mercede conduxerunt. His copiis Memnon Rhodius praetor datus est, qui multis ante bellis fidem virtutemque suam Persis abunde probaverat. 11. Is ad occupandam Cyzicum missus, citatis itineribus, per Phrygiam, qua Troadi committitur, ad Idam montem pervenit, ipso nomine naturam situs sui praeferebat: nam condensa arboribus loca Idas antiqui dixerunt. 12. Exsurgit iste celsiore cacumine, quam ceteri ad Hellespontum montes. In medio specum habet religioso horrore famam in fabulis nactum, ut ibi dearum formas arbiter Troianus spectasse praedicetur, quum imperio patris expositus, in Ida monte adolevisset. 13. Eadem Idaeorum Dactylorum patria esse fertur, qui primi, Magna Matre docente, ambiguum ferri usum, neque minus utile necessitatis laborisque solatium, quam acerrimum furoris instrumentum, invexerint vitae. 14. Illud etiam admiratione dignum proditur, quod circa canis exortum, ventis depressiora turbantibus, in summo Idaei iugi cacumine quietus aër est: 15. quodque multa adhuc nocte terris incubante, solem aiunt conspici, non globi figura, sed in amplissimam latitudinem sparsum, et velut diversis ignium agminibus utrumque montis latus amplexum, coire paulatim, et propinquante iam luce iugero paullo maius spatium implere, paulloque post in solitum orbem collectum destinatum iter percurrere. 16. Credo, per aërem nocturno gelu adstrictum, nul-

lisque ventorum flatibus disiectum, solis orientis, adhuc imperfecta imagine late sparsa, fallax oculis miraculum apparere; donec eo paullatim vi caloris absumto dissipatoque, liber ad ipsum sideris orbem adspectus permittatur. 17. Nam sereno liquidoque coelo radii transmittuntur: ubi coactus aër est, sistit exceptos, et tanquam in speculum incidentes cum incremento splendoris diffundit. 18. Sub Idae radicibus Cyzicenus ager in Propontidem excurrit; ipsum oppidum in mediocri insula situm gemino ponte continenti annectitur. Sed id opus paullo post Alexander molitus est: sub Memnonis expeditionem navibus commeabatur. 19. Qui quum Cyzicenos improviso impetu nequidquam terruisset, muros gnauiter tuentibus oppidanis; eorum regionem hostiliter populatus, magnam inde praedam coëgit. 20. Nec a Macedonum ducibus cessabatur: Parmenio Grynium Aeolidis oppidum expugnat, incolas servituti addicit: deinde Caicum amnem transgressus, Pitanen adoritur, urbem opulentam, et duplici portu accipiendis ab Europa copiis opportunam; sed propero adventu Memnonis statim soluta obsidio est. 21. Calas deinde, qui cum modicis Macedonum atque mercenariorum copiis in Troade res gerebat, cum Persis proelio certavit: et impar hostium multitudini in Rhoeteum se recepit.

II. Interea Alexander, constitutis in Graecia rebus, in Macedoniam reversus, quae tantam belli mollem aggressuro cavenda vel administranda essent, cum amicis deliberabat. 2. Antipater ac Parmenio, aetate et dignitate praecipui, obtestabantur, ne in uno corpore totius imperii salutem fortunae insidii exponeret: quin prius operam daret liberis; et incolumitate patriae firmata, ita demum de incremento eius cogitaret. 3. Quippe praeter Alexandrum nemo ex Philippi sanguine dignus imperio supererat, Cleopatrae sobole per Olympiadem intercepta: Aridaeus

sordibus materni generis, et turbata mente Macedoniam dedecere putabatur. 4. Verum ille quietis impatiens, nihil nisi bellum et ex victoria gloriam assidua cogitatione volvebat. Igitur, *Vos quidem, inquit, ut probos et amantes patriae viros decet, de commodis adversisque illius haud sine causa solliciti estis.* 5. *Arduum enim, quis neget? opus ordimur, quod semel temere coeptum, si eventus arguat, sera poenitentia nequaquam emendaverit.* 6. *Nam antequam vela solvamus, navigare velimus, an quiescere, nostra consultatio est: cum ventis fluctibusque nos crediderimus, in ipsorum arbitrio omnis noster cursus erit.* 7. *Itaque non moleste fero vestram opinionem a sententia mea dissidere; quin potius simplicitatem laudo, vosque precor, ut in iis etiam, de quibus porro referetur, eodem instituto utamini.* 8. *Amici regum, si qui eo nomine digni sunt, non tam gratiam eorum, quam utilitatem atque decus, in consilio habent. Qui aliter fieri censet, quam ipse facturum erat, non instruit consultorem, sed decipit.* 9. *Ceterum ut et vobis consilii mei ratio pateat, certum habeo, nihil minus convenire rebus meis, quam dilationem.* 10. *Omni, quae circa Macedoniam colit, barbarie pacata, extinctisque Graecorum motibus, fortissimum florentissimumque exercitum otio et desidia dilabi patimur; an potius in opulentissimas Asiae regiones inducimus, olim possessionem eius spe complexum, et praemia laborum, quos diu sub patre meo, deinde nobis imperantibus tertium iam annum exhausit, ex Persarum spoliis expetentem?* 11. *Novum adhuc imperium Darii est, et interfecto Bagoa, cuius beneficio regnat, crudelitatis et ingratitude suspicionem apud suos incurrit: quae res optimos eorum, qui parent, odio adversus imperantes implent, et ad obsequia segniores, aut etiam praefractos reddunt.* 12. *Numquid sedebimus, dum auctoritas eius confirmetur, et rebus domi per otium compositis, ultro bellum in Macedoniam transferat? Multa celeri-*

tatis praemia sunt, quae nobis cessantibus ad hostem pertinebunt. 13. Magnum in eiusmodi negotiis momentum post se trahit prima animorum inclinatio: at illa semper occupanti parata est. Quippe nemo cunctanter appetit fortioris gratiam: porro fortior habetur, qui infert bellum, quam qui excipit. 14. Quanto autem existimationis nostrae periculo fallemus spem eorum, qui adolescentibus nobis eum honorem deferendum iudicaverunt, quem maximus imperator, pater meus, post tot virtutis experimenta paullo ante obitum obtinuit? 15. Non enim ideo Graecorum concilium imperium nobis decrevit, ut in Macedonia desides, et ignavis voluptatibus addicti, iniurias olim et nuper Graeco nomini illatas negligeremus: sed ut eorum, quae per summam superbiam improbe et petulanter in nos commiserunt, poenas penderent. 16. Quid dicam de iis Graecorum nationibus, quas late per Asiam diffusas impotentium barbarorum intoleranda servitus premit? Equidem quibus nuper precibus, quibusque argumentis causam eorum Delius Ephesius egerit, quum ipsi memineritis, non repetam. 17. Id sane constat, eos omnes, ut primum signa nostra conspexerint, protinus ad nos esse transituros, et pro liberatoribus assertoribusque suis adversus graves iniquosque dominos quodlibet periculum impigre suscepturos. 18. Quamquam quid nostri pariter hostiumque obliti auxilia circumspicimus adversus gentes, quas etiam paullo lentius vicisse a pudore quam gloria propius abfuerit? 19. Patrum aevo in Asiam profectis Lacedaemoniorum paucis ingentes hostium exercitus frustra restiterunt: Phrygiam, Lydiam, Paphlagoniam, agi ferrique passi; aut quoties vetare voluerunt, ad hostium satietatem caesi sunt: donec a suis revocatus Agesilaus, ob exortos in Graecia tumultus, trepidantibus et consilii incertis animi ex tanto terrore recipiendi spatium concederet. 20. Paucis ante istum annis vix decem Graecorum millia, sine ducibus, sine commeatu, ex intimis

Persici imperii partibus, per tot infestas nationes iter in patriam ferro aperuerunt, quum eos persequeretur universus regis exercitus, quo modo cum Cyro fratre de regno dimicaverat, victorque exstiterat: quem illi quidem ubicunque congressum fuderunt fugaveruntque. 21. *Nos igitur, quibus universa Graecia tot victoriis edomita paret, qui eorum fortissimos aut in acie cecidimus, aut habemus in castris, timebimus scilicet Asiam, quam eorum, quos vicimus, pauci pudendis claudibus affecerunt?* 22. Aliis deinde in eandem sententiam adiectis, adeo permovit animos, ut omnibus assentientibus etiam Parmenio, qui maxime bellum differri voluerat, maxime accelerandum censeret, ultroque iam Alexandrum hortaretur. 23. Itaque omni cura ad maturandam profectionem conversa, ad Diem Macedoniae urbem Iovi Olympio sacrum fecit, institutum ab Archelao, qui post Perdiccam Alexandri filium regnavit. Musis quoque ludos scenicos fecit, per novem dies, pro numero Dearum. 24. Post haec convivium summa magnificentia celebratum est, tabernaculo, quod centum lectos caperet, adornato. Ibi cum amicis, ducibusque, et civitatum legatis accubuit. 25. Per exercitum quoque victimas dividi iussit, aliaque praeberi, quibus destinatus hilaritati dies festivis epulis et faustis instantis belli ominibus transigeretur.

III. Vere novo, contractis undique copiis, in Asiam transiecit, exercitum robore, quam numero, validiorem ducens. Triginta peditum millia Parmenio ducebat: quorum Macedones tredecim expleverant; quinque erant mercede militantium; ceteram multitudinem socii foederatique miserant. Has copias Illyrii Thracesque et Triballi, ad quinque hominum millia sequebantur, additis mille Agrianorum sagittariis. 2. Equitatum Macedonum mille octingentorum Philotas ducebat, et totidem ex Thessalia Calas: a reliqua Graecia sexcenti omnino equites

venerunt, quibus Erigyium praeposuit: agmen ducebat Cassander cum nongentis Thracum atque Paeonum antecursoribus. 3. Hunc exercitum, non ultra quam in triginta dies proviso commeatu, infinitis barbarorum copiis opponere non dubitavit; virtute suorum fretus, qui vincendo senes facti, robore animorum armorumque usu cuilibet multitudini hostium insuperabiles erant. 4. Antipatro, quem cum duodecim millibus peditum, et mille quingentis equitibus Macedoniae Graeciaeque rebus praefecerat, iniunctum, ut continuos in Europa delectus ageret, quibus adversus proeliorum fatique detrimenta exercitus subinde novaretur. Hoc unum sibi exceperat, quum cetera amicis largiretur. 5. Quidquid enim salva maiestate regni abesse poterat, priusquam naves conscenderet, inter suos distribuit. Perdicas praedium, quod dabatur, non accepit, interrogato rege, quid tandem sibi ipsi reliqui faceret? atque illo subiiciente, spes: *Earumdem ergo, inquit, et nos participes erimus, qui tuis auspiciis militamus.* 6. Pauci hunc secuti sunt: per ceteros non stetit, quin interrogatus, ubi thesauri ipsius essent? vere responderet, apud amicos. 7. Sane de summa rerum alea iacta, non absurde collocasse videtur opes, quas habebat: quippe aut victor multo maiores adepturus erat; aut si victus esset, istas quoque amissurus: atque interim alacrioribus ministris utebatur. 8. Neque multum abscedebat praesentibus necessitatibus, cum agros et praedia, et redditus, quorum dies multo post venturi erant, donaret: pecunia in belli usum seposita, cuius quanto minor copia erat, diligentius administrabatur. 9. Quippe Philippo interfecto, minus sexaginta talentis pecuniae signatae, paucaque ex auro et argento pocula in thesauris eius reperta sunt, quum aeris alieni quingenta ferme talenta relinqueret. 10. Quamquam enim iste rem Macedonicam insignibus incrementis auxisset, auri

quoque metallis apud Crenidas, (ipse Philippos appellavit,) ita excultis, ut inde mille talenta annui proventus cogerentur; continuis bellis, neque minus largitionibus, aerarium exhausserat. 11. Macedoniae etiam instaurandae ornandaeque magnos sumtus fecerat, cum pauperrimam accepisset. Ipsum inter initia regni tenuem fuisse, et quum ex quinquaginta drachmis auri poculum haberet, id cubitum euntem capiti subiecisse plerique meminerant. 12. Huius ergo filius bello lacessivit regem Persarum, cui somnum capienti quinque talentorum auri millia pro cervicali, tria argenti pro scabello, sub capite pedibusque lectuli, peculiaribus cubiculis servabantur: quamquam ad paternum aes alienum octingenta insuper talenta, quae ipse mutuo sumserat, adiecisset, ex quibus vix decima portio supererat. 13. Solvisse autem dicitur Timotheo tibiis concinente, summaque militum alacritate, opes barbarorum, quos oppugnatum irent, certa fiducia sibi destinantium. 14. Hoc modo per lacum, quem a vicini montis nomine Cercinitem vocant, ubi classem habebat, in Strymonem invectus, Amphipolin, et deinde ad ostia Strymonis processit: quo trajecto, praeter montem Pangaeum, viam ingressus est, quae Abderam et Maroneam ducit. 15. Nam in litore iter facere instituerat, ut navibus suis, quae iuxta ducebantur, praesidio esset, si Persae forte occurrissent; quippe isti tum etiam maris imperium obtinebant. Ipsi enim modica classis; at apud hostes Cypriae Phoeniciaeque naves, assuetique maritimis rebus classarii, et exercitatissimi remiges erant. 16. Nam Macedonia, nuper tentato maris imperio, nondum abundabat navibus; et a sociis maligne praebebantur. Etiam Athenienses, quum ab ipsis triremes peterentur, tantum XX miserunt, suggerentibus eorum oratoribus, periculum esse, ne classe accepta, contra eos, qui mississent, uteretur. 17. Ex iis locis ad Hebrum flu-

vium contendit: quo haud difficulter transmissio, in Paeticam Thraciae regionem pervenit: inde superato anhe, quem Melanem appellant, vigesimo postquam a domo profectus fuerat die, Seston attigit, in extremis continentis finibus Hellesponto imminentem, qua angustis fluctibus insinuatam mare Asiam ab Europa dirimit. 18. Quippe Macedonia Thraciam coniunctam habet; quae procurrens in ortum duobus capitibus Asiam tangeret, nisi intercedente pelago submoveretur: dextra Hellespontus arcet; ulterius Bosphorus, quem Thracium appellant, Byzantium a Chalcedone separat. 19. Inter has angustias intercepta Propontis iam laxiore spatio iuxta Bithyniam et Ponticas regiones diffunditur. Infra Bithyniam Mysia est, deinde Phrygia, Phrygiamque contingens Lydia, longius a mari remotae. Interius spatiosas regiones celebratae fecunditatis et opulentiae gentes habitant. 20. Litora, quae Thraciae Graeciaeque obversa sunt, Hellespontii; deinde Troës colunt, calamitatibus incluti. Infra hos Aeolis et Ionia per longa litorum spatia Lydiae praetenduntur. Caria deinde cum annexa Doride, magna ex parte mari circumfusa, non minus amplo tractu introrsum recedit. 21. His terris nobilissimae insulae adiacent: Lesbos Aeolica, Chios et Samos Ionicae, et Dorica Rhodus, aliaeque multae, quarum nomina Graecorum monumentis inclaruerunt. 22. Nam antiquis temporibus omnem hanc oram Graecia frequentibus coloniis insederat: quae tum quoque manebant; sed Persarum regi satrapisque subiectae, priscam gentis libertatem barbarica servitute mutaverant. 23. Alexander, ubi Seston pervenit, maximam copiarum partem, Parmenione duce, Abydum in adverso litore sitam petere iubet, attributis ad hoc centum sexaginta triremibus, multisque onerariis: ipse cum reliquis Eleuntem proficiscitur, Protesilao sacrum, cuius ibi sepulcrum aggesto tumulo

tegitur. 24. Circa tumulum crebrae ulmi sunt, quarum mira natura est: quippe ramis, qui Ilium spectant, matutino diei tempore enata folia statim defluunt, quum ceteris stabilis viriditas sit; ita acerbum herois fatum exprimere creduntur, qui in ipso aetatis flore cum Graecis in Asiam profectus, prima Troiani belli victima fuit. 25. Huic tum Alexander inferias dedit, precatus, ut melioribus auspiciis hostile litus tangeret. Inde cum quinquaginta longis navibus Sigeum petiit, portumque, nomen ab Achivis nactum, quorum classem Troianis temporibus exceperat. 26. Quum iam in mediis Hellesponti fluctibus navigaret, (namque suae navis ipse gubernator erat,) taurum Neptuno ac Nereidibus immolat, aureamque phialam, ex qua libaverat, Diis marinis donum, in pelagus abiicit. 27. Iam in portu erat classis, quum rex, coniecta in litus hasta, primus e navi librato corpore terram saltu contigit, testatus, se possessionem Asiae diis bene iuvantibus iusto pioque bello sibi asserere. 28. Arae deinde constitutae sunt, ubi excensionem fecerat, Iovi descensori, Minervaeque et Herculi: eo quoque loco, unde ex Europa solverat, aras exstrui iussit.

IV. Inde processit in campos, ubi veteris Ilii sedes monstrabatur. Ibi dum heroicorum operum monumenta avide perlustrat, quidam ex incolis, Paridis ei lyram pollicitus est. 2. At ille, *nihil, inquit, moror imbellium deliciarum vile instrumentum: at Achillis lyram cedo, fortium virorum laudes eadem personantis manu, qua facta superabat.* 3. Nam Achillem, cuius origine gloriabatur, inprimis mirari solitus, etiam circum cippum eius cum amicis nudus decurrit, unctoque coronam imposuit. 4. Hephaestion Patrocli tumulum coronavit, eundem amicitiae locum apud Alexandrum sibi esse significans, quem is apud Achillem habuisset. Inter multos de Achille sermones duplici nomine beatum sibi videri dixit rex,

quod vivus fidum amicum nactus esset; exstinctus magnum praeconem. Ceteris etiam heroibus, quorum iis in terris sepulcra ostenduntur, parentavit. 5. Sacrificavit et Priamo ad Hercii aram, sive ut placaret manes ab Aeacida interemti; sive ob cognationem, quam sibi cum Iliensibus intercedere arbitrabatur, quia viduam Hectoris Andromachen Neoptolemus in matrimonio habuerat. Minervae, quam praecipua religione venerabatur, studiose sacrum fecit: suspensisque in templo armis suis, alia detraxit, quae a Troiani belli temporibus duravisse dicebantur. 6. Haec ab armigeris praeferrere iubebat, tanquam a propitio numine ad subigendam Asiam commodata: iisque indutum ferunt ad Granicum cum satrapis decertasse. 7. Alioquin elegantibus armis gaudebat, nullius munditiei studiosior. Cetera usum reperio splendida, galea eleganter cristata, utrinque dependentibus pinnis candore et magnitudine insignibus, thorace lineo duplici. Galeam habebat ferream quidem, sed in purissimi argenti speciem splendoremque politam, Theophili opus. 8. Collare ferreum internitentes gemmae distinguebant. Gladio cingebatur acumine et duritie in paucis notabili; augebatque pretium eius, quod in tanto ferri robore, levis et tractanti habilis erat. Huic armaturae interdum amiculum militare iniiciebat, quod genus tum Siculum appellabatur. 9. Ceterum quibusdam horum post id tempus potitus est: nam thorax, quem diximus, inter spolia pugnati ad Isum proelii fuit; gladium Citieorum rex Cyprius dono dedit; Rhodii balteum, quem incomparabili industria conspicuum Helicon fecerat, egregius inter priscos artifices. 10. Neque poenitet talia memorare, quae veteribus scriptoribus digna relatu videbantur; et alioqui magnorum regum dicta factaque, etiam quae leviora haberi solent, non sine fructu aut voluptate recoluntur. 11. Certe arma Alexandri sequens aetas diu

venerata est: quibus adeo pepercit vetustas, ut ex Romanis imperatoribus alius post subacta Pontica regna chlamyde illius triumphum suum ornaret; alius thoracem Alexandri indutus percurreret pontem, quem aemulatione Darii Xerxisque in pelago struxerat. 12. Post haec Alexander a Minervae fano digressus Arisben processit, ubi castra habebant Macedones, qui cum Parmenione transierant. 13. Postero die praeter Percoten et Lampsacon ad Practium flumen contendit, quod ex Idaeis montibus ortum, Lampsacenum Abydenumque agrum interfluit, deinde paulisper ad septemtrionem flexum, in Propontidem exit. 14. Inde Hermotum praetergressus rex, ad Colonas duxit, in mediterraneis Lampsacenorū situm oppidum. Omnibus istis in deditionem acceptis, (nam et Lampsacenis ignoverat) Panegorum misit, qui Priapenorum urbem, quam incolae dedebant, reciperet: 15. Amyntas Arrabaei filius cum quatuor antecursorum turmis, una Apolloniatum, quam Socrates ducebat, speculatum ire iussus est; quippe hostes in propinquo versabantur, summa sollicitudine curaque bellum instruentes. 16. Inter eos rei militaris peritia longe eminebat Memnon. Is magnopere suadebat, ut retrocedentes, omne quod usui hostibus esse posset, longe lateque corrumpere; quidquid in campo herbidum esset, equitatu conculcarent; vicos urbesque incenderent, nihil praeter nudum solum relicturi. 17. Vix unius mensis commeatu instructum venisse Macedonem, deinceps rapto victurum. Ea copia si eripiatur, brevi recessurum esse. Ita parvo impendio toti Asiae salutem quaeri. 18. Triste id quidem: sed in omni negotio, ubi periculum immineat, id spectare prudentes, ut quam minimo damno defungantur. Ita medicos, si correpta parte corporis morbum in ceteras transiici videant, unius membri iactura pro reliqui corporis incolumitate pacisci. 19. Neque id sine

exemplo facturos Persas. Sic olim Darium regem ipsas illas regiones urbesque vastavisse, ne Scythis isthac transituris receptus esset. 20. At si proelio contenderent, de summa rerum aleam iaci. Pulsis semel Persis, omnem eam oram Alexandri fore: victores nihil amplius habituros. 21. Neque hercule parvum discrimen impendere ob vim Macedoniae phalangis, cui suum peditatum, quamquam numero superiorem, frustra opposituri essent. 22. Ipsius deinde regis praesentiam haud parum valere ad victoriam; stimulari milites spe, pudore, gloria in conspectu imperatoris dimicantes: quae omnia haberent Macedones; ipsis abesse Darium. 23. Neminem ambigere, quin bellum in aliena terra gerere praestet, quam in sua: id commodum adepturos, si consilium suum secuti de invadenda Macedonia cogitarent. 24. Nulli ceterorum ducum grata oratio fuit. „Id fortasse Memnoni Rhodio probari posse, cui expediat bellum trahi, quo diutius honoribus stipendiisque regiis perfrueretur; Persis commissos fidei suae populos prodere pudendum videri: neque apud regem excusari posse, qui longe aliam belli gerendi rationem praescripsisset.“ 25. Quippe Darius, audito, Alexandrum ex Macedonia movisse, literas ad praefectos suos miserat, imperans, ut insanientem Philippi adolescentulum, puerili verberare aetatis et conditionis admonitum, deinde purpurea veste indutum quamprimum sibi vinctum adducerent: naves ipsius una cum nautis mari demergerent: milites omnes ad ultima maris Erythraei loca deportarent. 26. Adeo prae superbia futuri securus, et ignarus sortis suae, omnem humanae imbecillitatis sensum exuerat, consanguineum deum se ferens, magis quod potentia non dispar ipsis videretur, quam ob veterem fabulam, qua Persarum reges a Perseo Iovis filio nomen atque genus traxisse ferebantur. 27. Eodem fastu plenam epistolam ad Athenienses paullo ante scribi iusserat,

addideratque, quando Macedonis amicitiam praetulissent, a se deinceps aurum ne peterent: non enim missurum esse, etiam rogantibus.

V. At Alexander, quum inter progrediendum agrum a rege Persarum Memnoni dono datum attigisset, maleficio abstinere iubet, colonisque et fructibus parci: callido commento suspectum facturus hominem industrium, et quem ex omnibus hostium ducibus unum non contemneret, si in suas partes transducere nequivisset. 2. Quumque lenitatem regis admirati quidam, acerrimum callidissimumque Macedonum hostem, quamprimum in potestatem reductus esset, interficiendum, atque interim quibus posset cladibus vexandum esse dicerent: *Quin, inquit, potius beneficiis supplantamus hominem, et amicum ex inimico facimus, eadem virtute et sollertia pro nobis staturum.* 3. Ventum erat in campos Adrasteae, per quos Granicus amnis praecipiti cursu volvitur. Ibi quidam ex speculatoribus, quos cum Hegelochi praemiserat, reversi nunciant, Persas instructis ad proelium ordinibus in ulteriore ripa consistere. 4. Paulisper commoratus, dum de transitu consilium caperet, duces convocari iubet. Plerisque praecipitis et irriti conatus videbatur, fluvium profundum perrumpere, ripam sua natura arduam atque impeditam obtinentibus totequitum peditumque milibus. Nec deerant, qui ingererent, Daesium mensem (is enim agebatur, Iunio respondens) infaustum res gerentibus apud Macedonas haberi. 5. De periculo non anxius, superstitionem haud contempsit: gnarus, quantum in rudibus animis valeret etiam vanae religionis opinio. Igitur edixit, ut repetito prioris mensis nomine, pro Daesio alter Artemisius haberetur. 6. Et quo efficacius confirmarentur attonitae mentes, Aristandrum (nam is forte pro transitu sacrificabat) secreto moneri iubet, ut excepturam exta manum inscriberet medicamento, literis inver-

sis, quas impositum iecur recenti adhuc calore attraheret, rectasque exprimeret. Iis significabatur, Alexandro victoriam concedere Deos. 7. Vulgatum id miraculum tanta futuri spe omnes implevit, ut post haec tam certa coelestis favoris pignora nihil dubitandum conclamarent. Ita in maximam bene gerendae rei fiduciam astu inducti, victoriam, quia suam esse arbitrabantur, rapuerunt. 8. Rex impetu animorum utendum ratus, quamquam monente Parmenione, ut saltem proximam lucem opperiretur, (iam enim maior diei pars effluserat,) statim transduxit copias, Parmenionis sollicitudinem ioco prosecutus, erubescendum Hellesponto fore, si illo superato rivum hunc transire cunctarentur. 9. Tredecim equitum turmae cum ipso rege per obluctantes undas vix enisae, priusquam stabile certumque solum attigissent, aut ordines inter transeundum luxatos instaurassent, circumfuso Persarum equitatu urgebantur. 10. Quippe quum repudiato Memnonis consilio pugnare placuisset, (nam Arsites Phrygiae satrapa, ne unum quidem tugurium eorum, qui sibi subessent, incendi se passurum, affirmaverat; inque eius sententiam a ceteris itum erat) ad Granicum amnem cum centum peditum millibus, viginti equitum consederant, flumine pro munimento usuri, et vicissim eam velut Asiae portam venienti Alexandro obseraturi. 11. Cuius adventu cognito, equitatum, in quo robur erat virium, ita collocant, ut contra dextrum Macedonum cornu, quod ipse rex ducebat, (nam sinistrum Parmenioni commiserat,) Memnon cum filiis et Arsane Persa consisterent: in eadem parte Arsites curabat cum Paphlagonum equitum auxiliis: in subsidiis Spithridates erat, gener regis, Libyae Ioniaeque satrapa, Rhoesace fratre et Hyrcanis equitibus comitatus. 12. In dextra acie Rheomithrem duo Medorum millia, totidemque Bactriani sequebantur: medium agmen Pharnaces reginae frater, Arbu-

palesque Artaxerxis ex Dario nepos, et Mithrobarzanes Cappadociae praetor regebant: iis Niphates Petanesque, cum Arsace et Atizye, variarum gentium turmas applicuerant. 13. Ii tum multitudine et loco potiores graviter premebant hostem, acrisque pugna conserebatur, maximo omnium regis periculo, quem armis manuque et imperiis conspicuum plures petebant. 14. Sed tragula quidem, quae in promiscuo pugnae ardore desinentis loricae plicis inciderat, vulnus haud intulit: ceterum a Rhoesace et Spithridate, fortissimis ducum, simul impetitus, extremum discrimen adiit. 15. Dum enim lancea in thorace Spithridatis confracta, conatumque destituente, gladium stringit; frater illius a latere adequitans acinacem incauto impingit, tanto nisu, ut cristam galeae et pinnarum alteram decuteret, aciesque gladii summos regis capillos perstringeret. 16. Iamque repetito ictu, qua discussa cassis nudum caput ostendebat, descendere parabat; quum illum Clitus occupat, qui animadverso regis periculo amenti similis advolaverat, interceptumque barbari brachium cum ipso gladio deiicit. Simul Alexandri ense Spithridates occubuit. 17. Nihilo tamen segnus repugnabant Persae: donec interitu ducum, quorum plerique iam ceciderant, consternati, et quia iam etiam phalanx Macedonum transierat amnem, equos in fugam averterunt. 18. Neque pedestris acies diu restitit: equitatum suum ad obterendum hostem satis superque validum arbitrati, potius de praeda, quam de discrimine, cogitabant. Ita subito eventu deprehensorum caedes magis, quam proelium, fuit. 19. Mercenarii tamen, quibus Omares praeerat, occupato quodam tumultu strenue se tuebantur, quia conditionibus in fidem venturos ille non receperat. 20. Ergo Macedonum plures in eo conflictu desiderati sunt, quam equestri proelio ceciderant: ipse quoque rex, dum inter primos impetum in eos facit,

tam propinquus discrimini fuit, ut equum, cui tum insidebat, ictu gladii per latus adacto confossum amisit. 21. Quibus rebus vehementer irritatus, equitatu simul et phalange circumdatos occisione occidit, exceptis duobus fere millibus, qui in deditionem venerunt. 22. In universum caesa sunt ex hostibus viginti peditum millia, duo equitum: captorum par ferme numerus fuit. Ex ducibus Memnon effugit, cum Arsace, Rheomithre et Atizye: ceteri honestis vulneribus occubuerunt. Arsites, quum in Phrygiam se recepisset, pudore et poenitentia, quod huius cladis causa non immerito haberetur, sibi manus intulit. 23. Alexander paucos quidem, sed promptissimos, eo proelio perdidit. Triginta admodum pedites, septuaginta quinque equites ceciderant. Igitur ut ostenderet, omnibus in utraque fortuna apud se virtuti praemium fore, superstites Persarum spoliis dicit: occisorum corpora cum armis ceteroque cultu magnifice sepelit: parentibus eorum liberisque vacationem munerum concedit. 24. Vulneratorum etiam cura ambitiose acta est, quum ipse rex obeundo tentoria et inspiciendo singulos sollicitudinem suam pro gregariis etiam militibus ostentaret, ac, gravem cuiusque casum munificentia laudibusque aut promissis solaretur. 25. Quae comitas in omnia deinceps pericula fidissimos ei praestitit: nec quisquam recusavit spiritum pro eo rege profundere, qui neque vitam suorum inopem neque mortem inhonoratam pateretur. 26. Insignis prae ceteris honor fuit viginti quinque equitum ex turma amicorum, quos primo statim congressu ex iniquo loco pugnantes multitudo Persarum oppresserat. 27. Nam Lysippo, a quo uno, propter hominis peritiam, in aere fingi voluerat, imperavit, ut equestres ipsis statuas faceret: quas apud Dion Macedoniae oppidum collocatas, post longam aetatem, abolito Macedonum regno, Q. Metellus Romam transtulit. 28. Primum huius vi-

ctoriae decus penes ipsum regem fuit. Aciem optime instruxerat, observataque loci natura, obliquos per flumen ordines duxerat, ne statim, quum ex aqua evasissent, a Persis invaderentur. Turbatos deinde territosque excitavit, hortatus, ut saltem semel adhuc strenue adorirentur hostes. 29. Neque minus manu fortiter usus erat: multos lancea, alios ense confecerat: primique ex hostibus fugam arripuerunt, qui contra ipsum constiterant. 30. Consilium quoque ipsius audaci specie, plus tamen rationis, quam temeritatis, habuit. Pugnatueros adversus hostem novum, numeroque longe superiorem, etiam desperatione armare voluerat, ut praecisam obiectu, fluminis fugam conspicati, omnem salutis spem in victoria collocarent. 31. Thessalorum etiam, (nam id robur equitatus erat,) insignis eo die opera exstitit. Neque ceteri officio suo defuerunt, praesertim equites: nam equestri potissimum proelio transacta res est; pedites e vestigio cesserunt. 32. Ceterum Alexander Persarum etiam nobilissimos sepulturae tradidit; et quotquot ex Graecis mercenariis hostibus merentes ceciderant: qui autem eorum vivi in potestatem redacti fuerant, eos per Macedoniam in ergastula distribui iussit, quod contra commune Graecorum decretum pro barbarorum dominatione adversus patriam pugnavissent. 33. Thebanos tamen dimisit, qui excisa urbe, ademptis agris necessitate magis, quam sponte, peccassent: iam enim tot illorum calamitatibus expleta odia misericordiae locum fecerant. 34. Post haec de manubiis trecentos clypeos selegit, qui Minervae Atheniensi dedicarentur, superbo cum titulo: „Alexandrum Philippi filium Graecosque, exceptis Lacedaemoniis, de barbaris Asiam incolentibus suspendisse.“ 35. Id eo fecerat, ut communicata victoriae laude Graecis ad ceteras belli necessitates obsequentioribus uteretur: simul Lacedaemoniorum contumaciam traducebat, qui

seorsum initis consiliis a cetero Graeciae corpore abrupti, tantique decoris expertes mansissent. 36. Neque matris, quam eximia pietate semper coluit, oblitus, pocula, purpuram, aliaque id genus pretiosa spolia, paucis dentis, ad illam transmisit.

VI. Post hoc proelium denuo ad Ilium profectus Alexander, deae gratias egit, quae gravissimi belli discrimen aditurum, armis et omnibus iuvisset. 2. Quippe superiori tempore quum statim post transmissum Hellespontum eo contendisset, uti supra retulimus, ante fanum Minervae statuam equestrem humi prostratam vidit, Ariobarzanis ora referentem, qui Phrygiae quondam satrapa fuerat. 3. Idque omen interpretatus Aristander illustrem ex equestri pugna victoriam promiserat Alexandro, maxime, si haud procul Phrygia dimicaretur: ipsius etiam dextra nobilem hostium ducem casurum. Neque fefellit spem vatis eventus proelii, stratusque regis ense Spithridates praedictionis fidem implevit. 4. Igitur et templum donariis exquisite coluit, et Ilio, quod tum haud multum supra modici pagi speciem eminebat, nomen urbis addidit: utque id cum dignitate tueretur, reliquit, qui instaurandae eius ampliandaeque curam agerent, liberamque et immunem esse iussit. 5. Quumque delubrum deae pro religione loci nimis angustum neglectumque videret, eximium illi templum exstruere postea statuit. Sed hoc aliaque magnifica meditantem, fatum occupavit; neque successores exsecuti sunt. 6. Ceterum illa victoria totam Asiam cis Taurum et Euphraten aperuit regi. Attoniti insperata clade, non copiis modo, sed et ducibus amissis, nullam praeterquam in clementia victoris spem habebant; eamque festinata deditioe certatim promereri satagebant. 7. Phrygiam Arsites voluntario exitu vacuam fecerat: ei Calas Thessalorum ductor praeponitur. Ex montanis quoque locis plerique descenderunt, seque et sua

dedentes Alexandro. Eos in fidem acceptos domum remisit: Zelitisque ignovit, quos a Persis coactos adversus ipsum militasse cognoverat. 8. Tributum omnibus impositum est, quod Dario pendere consuevissent: idque postea constanter servavit, quum ceteras Asiae regiones subigeret. Omne peregrinum imperium invidiae subiectum esse noverat, etiam quum domestico mitius est; at si vetera subditorum onera novis cumulentur, intolerandum haberi. 9. Igitur monenti cuidam, longe plus tributorum vectigaliumque ex tanto imperio redigi posse, respondit: „etiam olitorem se odisse, qui radicitus excinderet olera, quae carpere debuisset.“ 10. Dascyleum praesidio Persarum teneri audiverat. Eo Parmenionem misit, quem oppidani statim receperunt, quum audito Macedonum adventu, Persae excessissent. Ipse Sardes processit, caput omnium, quae praefectis orae maritimae Persarum reges parere iusserant. 11. Iamque haud amplius septuaginta stadiis ab urbe aberat, quum ad eum Mithrenes venit, cui tutelam arcis Sardianae Darius crediderat, cum principibus Sardonorum, urbem arcemque, et pecuniam, quae in ea custodiebatur, tradituri. 12. Quibus benigne exceptis, ad Hermum fluvium progreditur, viginti fere stadiis ab urbe distantem. Ibi castris positus, Amyntam Andromenis filium ad recipiendam arcem praemittit. 13. Ea praelo loco sita, difficili undique aditu, adversus quamcunque vim teneri poterat, etiamsi murus, qui triplici munimento illam circumibat, abfuisset. Ergo felicitati suae gratulatus, quod amplissimas res animo volventem, arx munitissima longa obsidione non implicasset, Iovi Olympio templum ibi ponere decrevit. 14. Quumque sollicite circumspiceret, quinam locus accipiendae aedi maxime opportunus foret, confestim exorta vehemens tempestas multo imbri partem arcis perfudit, ubi vetus Lydorum regia fuerat. Eam itaque sedem

nutu Deorum destinari credens, templum ibi consti-
 tuti iussit. 15. Arci deinde Pausaniam ex amicorum
 cohorte praeponit, attributis Argivorum auxiliis:
 ceteras sociorum copias cum Cala et Alexandro
 Aeropi filio in Memnonis praefecturam immittit.
 Vectigalibus tributisque colligendis Niciam quen-
 dam praeficit; Asandrum Philotae filium Lydiae,
 quibus finibus Spithridates tenuisset. Dati ad id
 equites cum expeditis cohortibus, quot in praesentia
 suffecturi putabantur. 16. Lydos omnes suis
 legibus libere uti permisit; et quia Sardianos Dia-
 nae, quam Coloënem vocant, cultui deditos cogno-
 verat, illius templo ius asyli gratificatus est. Mi-
 threnen honorifice secum habuit, ut eius exemplo et
 alios ad proditionem illiceret: procedente tempore
 et Armeniam homini regendam commisit. 17. Ce-
 terum repertis in arce libellis, in quibus inter cetera
 perscriptae erant largitiones, ob bellum Macedoni-
 bus in Graecia conflandum a satrapis factae, cogno-
 vit, Demosthenem eam ob causam magnum auri pon-
 dus accepisse; cuius etiam epistolae ibi servabantur.
 18. Sed quia pace cum Atheniensibus inita transacta
 res erat, nihil ea de re palam conquestus est; cete-
 rum intentiore cura agitandum censuit, quomodo ad-
 versus efficacem viri eloquentiam Athenae in officio
 continerentur, sua defectione universam Graeciam
 in partes tracturae. Nemo occurrebat Phocione di-
 gnior, cuius mira innocentia, et ob constantiam vir-
 tutis honorata paupertas erat. 19. Eum ergo, pri-
 mum ob usum, deinde ut hominis magnanimitatem
 multis experimentis cognovit, admiratione virtutis
 ita coluit, ut quum post eversum Darii imperium ani-
 mo elatus, neminem iam salute dignaretur, ad quem
 scribebat, eximium eum honorem duobus tantum,
 Antipatro et Phocioni, habuerit. 20. Constat, huic
 aliquando centum talenta dono misisse regem: dein-
 de optionem fecisse inter quatuor haud ignobiles

Asiae urbes unam eligendi. Cius, Elaea, Mylassaque et Gergetho fuere: quidam ultimo loco Patara nominant. 21. At ille nihil horum accepit: sed, ne tanti regis amicitiam fastidiose sprevisse videretur, petiit, ut Echekratides sophista, et Athenodorus Imbrius, cum Demarato et Spartone Rhodiis, qui in arce Sardoniana captivi tenebantur, custodia liberarentur. 22. Sed haec in sequens tempus excurrere. Tum ad Ephesum itum est, quam accepto cladis Persicae nuntio praesidarii deseruerant, duabus Ephesiorum triremibus aucti. Erat inter eos Amyntas Antiochi filius, qui ex Macedonia profugerat, nulla quidem iniuria affectus, sed quod periculum a rege metueret: quem quia invisum exosumque habebat, illius animum ex suo metiebatur. 23. Quarto postquam Sardibus movisset die Ephesum introiit Alexander; restitutisque exsulis, qui paucorum dominatione pulsati fuerant, rempublicam populo tradidit. Ille libertatis diu desideratae compos, eos, qui Memnonem advocavissent, quique templum Dianae spoliassent, inque eo Philippi statuam deiecissent, aut Heropythi monumentum effodissent, quod liberatori civitatis in foro positum fuerat, ad supplicium poscit. 24. Ex quibus Pelagon cum fratre Syrphace et patruelibus, ex ipsa aede, in quam confugerant, rapti sunt, statimque lapidibus obruti. Iamque in caedes et iniurias ibatur; quum Alexander, inhibita vulgi licentia, ulterius eo de negotio inquiri, aut cuique molestiam exhiberi vetuit. Id optimis quibusque saluti fuit, quos per causam veri fictive criminis, ipsorum dignitas aut opulentia, furibundae plebis odiis avaritiaeque obiecisset. 25. Inter haec Magnetes et Tralliani legatos mittunt, imperium accepturi. Eo Parmenione cum quinque peditum milibus, equitibusque ducentis ire iusso, Alcimalum cum paribus fere copiis circum Aeolicas Ionicasque Persici iuris urbes mittit. 26. Utrique iniunctum,

ut abolito paucorum dominatu, popularem ubique statum introducerent: quippe multitudinem suis rebus studere compererat, obque eam rem tyrannos a barbaris impositos, per quos coerceretur. 27. Per eos dies, dum Ephesi commoratur Alexander, ut ex instantibus curis recrearet animum, frequenter in officinam Apellis ventitavit, a quo uno effigiem suam penicillo exprimi volebat, tanto favore complexus, ut dilectissimam pellicum, amore eius deperire sentiens artificem, dono dederit. 28. Pancasta vocabatur, ex Larissa nobili Thessaliae urbe genus ducens: amabatque eam rex ardenti affectu ob formae pulchritudinem, et quoniam adolescenti prima mulierum ad libidinem placuerat. 29. Hoc ut magnanimitatem Alexandri non dedecet, ita non crediderim, in officina imperite multa disserentem ab Apelle mordaci dicerio repressum fuisse. Nam id neque maiestati tanti regis, neque modestiae pictoris, hominis non stupidi nec indocti, convenisset: et Alexander, liberalibus studiis ab extrema aetate imbutus, etiam de artibus, quas non calleret, haud inepte iudicare didicerat. 30. Illud propius vero est, quod alii tradiderunt, quendam ex Ephesiae Dianae sacerdotibus, quos Megabyzos appellari mos erat, reprehensum: quum quidem ei diceret Apelles: *quoad tacuisti, aurum hoc atque purpura venerabilem te faciebant imperitis; at nunc de rebus, quas non intelligis, incipientem loqui, etiam pueri rident, qui colores terunt.* 31. In ea urbe longe celeberrimam aedem, ut supra relatum est, Herostratus incenderat. Ea tum summa Ephesiorum cura maximisque impensis instaurabatur. 32. Quorum studiis iuvandis Alexander tributa, quae Persis dare consueverant, Dianae pendi iussit: confirmavitque ius asyli, quod antiquitus etiam Liberum patrem Herculemque servavisse cognoverat; addito etiam spatio, ut quaquaversum in unius stadii amplitudinem extenderetur. 33. Postea

quoque, quum Asiam perpacasset, scripsit Ephesiis, se omnes sumtus, qui in id aedificium facti essent, restitutum; quique porro requirerentur, praebiturum de suo: ita tamen, ut ipsius nomen instaurato operi inscriberetur. 34. Idque deprecari sunt Ephesii. Quo tempore, quia Alexandro petenti aliquid denegare arduum erat, legatus eorum ad adulationem confugit, qua maxime expugnabilem norat, dixitque, „dedecere culmen ipsius, si diis aliquid consecraret, quum ipse deus esset: nam eum honorem ab hominibus haberi potiori naturae.“ 35. Ea gloriae contentio inter maximum regem et unam civitatem fuit. Obtinuerunt Ephesii; et maluerunt ingenti pecunia carere, quam instaurati templi titulo regi cedere. 36. Nam quantos in id opus sumtus contulerint, vel ex una tabula aestimare licet, quam ibi dedicaverunt, viginti talentis auri redemptam. Alexander erat, fulmen tenens, quem inimitabili dexterritate Apelles expresserat, quatuor tantum coloribus usus, quo maius peritis miraculum esset.

VII. Sub idem tempus antiqui splendoris sedem Smyrnaei receperunt, postquam Lydorum armis excisa vetere Smyrna, quadringentos per annos vicatim habitavissent. Restituit eam rex viginti ferme stadiis a solo antiquae urbis, somnio monitus. 2. Solebat Alexander, quum a maioribus negotiis vacaret, otium venando eximere. Forte exercito corpore fessus in Pago monte obdormiverat: ibi per quietem visus est audire Nemeses, (quarum in proximo fanum erat,) imperantes, ut eo ipso loco urbem conderet, inque eam Smyrnaeos deduceret. 3. Id insomnium mox Clarii Apollinis oraculum confirmavit, Smyrnaeis consulentibus prospere cessuram migrationem promittens. Ita fundamenta novae urbis imperio regis iacta sunt; absolutae gloriam Antigonus tulit, quum ipsum paullo post Alexander Lydiae Phrygiaeque, et vicinis regionibus, praeposuisset.

4. In Smyrnaeo sinu Clazomenii habitant, qua angustissimum est solum, quod procurrentes in mare terras per sexaginta ferme stadia continenti adnectens, peninsulae speciem efficit. 5. Alterum isthmi latus ex adverso Clazomeniorum Teos occupat. In extremo peninsulae cornu Erythrae sunt, tum quoque fatidicis mulieribus inclytæ: iuxta quas mons altissimus Mimas, insulae Chiorum oppositus mare prospectat; deinde paullatim depressior, haud procul angustiis Clazomeniorum in aequales campos desinit. 6. Eam loci naturam contemplatus Alexander, faucibus intercisis auferre continenti decrevit, ut Erythris et Mimanti mare circumfunderet, ac superiorem inferioremque sinum coniungeret. 7. Id unum regi ex sententiâ successisse negant, quum ceteros eius conatus fortuna enixe iuvaret: abiitque res in religionem, nec fas esse mortalibus existimatum est, mutare faciem, quam natura locis indiderit: utique postquam alios similia molitos ubique successus destituit. 8. Clazomenas tamen, mole duorum studiorum aggesta, continenti iunxit, quas olim metu Persarum Clazomenii in insulam transtulerant. Sed hæc quidem opera regiis praefectis commissa sunt. 9. Ipse sacrificiis Ephesi magnifice celebratis, in honorem deae cum universo exercitu, qui aderat, in armis decucurrit: postero deinde die cum perditatu, quem secum habebat, assumtis Thracum equitibus, et quatuor amicorum turmis, inter quas et regia erat, Miletum contendit. 10. Quippe Hegesistratus, praesidii praefectus, literis ad eum missis, spem deditiois fecerat: sed postquam Persarum classem in propinquo versari cognoverat, mutata sententiâ oppidum Dario conservare nitebatur. 11. Nam et commeatum telorumque, et si qua alia ad tolerandam obsidionem requiruntur, magnam habebat copiam, et propugnatorum multitudine abundabat, quia Memnon, quum ex proelio Miletum perfu-

gisset, multis ibi suorum relictis praesidium firmaverat. 12. Igitur infesto agmine suggestus, exteriorem urbem, ut ipsi vocabant, ex itinere cepit: nam oppidani militesque, ne vires spargerent, in interiorem urbem concesserant, auxilium suorum, quod haud procul abesse rebantur, opperituri. 13. Verum vanam expectationem fecit Macedonicae classis adventus, quae Nicanore duce Laden insulam supra Miletum sitam occupavit: deinde quum iam hostium classis ad Mycalen montem haereret, ipsum Milesiorum portum ingressa Persici auxilii spem oppidanis ademit. 14. Neque prohibebant barbari, quamquam numero navium longe praestarent: quippe paullo minus quadringentis habebant, quum Nicanor tantum sexaginta supra centum adduxisset. 15. Interea Glaucippus, princeps civitatis, ad Alexandrum missus, petito, ut urbem et portus Macedonibus Persisque communes esse pateretur, triste responsum retulerat, „Non se venisse in Asiam, ut acciperet, quod alii concederent; sed ut quisque haberet, quod ipse reliquisset: itaque scirent, omnium fortunarum arbitrium meliori permittendum, aut in proximam lucem de eo certandum esse.“ 16. Sed qui in civitate erant, primum invadentium impetum fortiter retuderunt, caesis inter alios duobus Hellanicae filiis, quae nutrix Alexandri fuerat, et Clitum, qui rege servato eximium decus meruit, fratrem habebat. 17. Sed quum dolore iraque incensi hostes machinis admotis magnam murorum partem deiecissent, iamque in oppidum irrupturi viderentur, conspectisque in portu Macedonum triremibus, novus terror ingrueret; pars scutis incubantes in parvam insulam urbi obiacentem enataverunt, alii scaphis conscensis, quum idem molirentur, in ipso portus aditu ab hostium navigiis intercepti sunt. 18. Alexander, oppido in potestatem redacto, contra eos, qui insulam tenebant, naves expediti iussit, quibus impositae proris scalae fereban-

tur, ut in abruptam insulae oram, velut in muros hostilis oppidi, transcenderet miles. 19. At quum mercenarios Graecos, qui eo confugerant, quamvis haud plures trecentis essent, ultima pati paratos conspiceret, misertus virorum fortium, et qui pro fide in eos, a quibus conducti erant, haud procul exitio abessent, iis pepercit, et secum militare iussit. 20. Barbaros in urbe deprehensos in servitutem redegit: Milesiis, qui superfuerant, libertatem restituit, ob veterem urbis gloriam. Tantum enim aliquando opibus gloriaque Miletus floruerat, ut per vicina maria supra septuaginta colonias deduxerit; 21. multis quoque civibus nobilis, qui in sacris certaminibus palmam adepti, patriae celebritatem auxerant: nam eiusmodi victoriae, more quodam Graecorum, inter prima virtutis decora censentur. 22. In quem iocatus Alexander, magna multitudine statuarum inspecta, *ubi erant istorum lacerti*, inquit, *quum Persarum iugum recepistis?* quippe vir strenuus, et ad bellandi usum cuncta referens, ignominiosum ducebat, debitum seriis certaminibus robur ad voluptatem inertis vulgi inani ostentatione consumere. 23. Interea milites, quia vi introitum erat, obvia quaeque diripientes, ad fanum Cereris pervenerant: quod quum exspoliaturi quidam irrupissent, ignis ex penetralibus aedis repente emicans, sacrilegorum oculos exstinxit. 24. Hic etiam progenitorum suorum monumenta Alexander reperit, inspecto fonte, cuius aqua ex ipso scaturiginis labro hausta salsum saporem habet, eadem dulcissima, quum profluxit in rivulos. Achilleum Milesii nominant inque eo lustratum heroem rumor tenuit, quum Strambelum Telamonis filium Lesbiis auxilium ferentem oppressisset. 25. Apud Milesios Didymeis Apollinis oraculum erat, divitiis famaue celebre. Id tum Seleucus, cuius maximae post Alexandrum opes fuere, de reditu in Macedoniam consuluisse dicitur, et responsum accepisse, „ut, Euro-

pa valere iussa, Asiam complecteretur.“ 26. Aliud subinde miraculum attentum habuit regem, cuius curiosum ingenium, et cognoscendi avidum, novitate rerum mire afficiebatur. Amatam a delphine puerum ex Iasso, quod haud procul Mileto in insula situm oppidum est, acceperat; eiusque vocem agnovisse piscem, et quoties evocaretur, vehi cupientem excepisse dorso. Igitur gratum acceptumque Neptuno hominem interpretatus rex, sacerdotio eius dei illum praefecit.

VIII. Occupata hunc in modum Mileto, quum adhuc barbarorum numerosa classis in mari vagaretur, et fiducia multitudinis suae, quodque peritia rei nauticae Macedonas anteiret, hostem ad navale proelium provocaret, obque ipsum urbis portum, in quem naves suas abduxerat rex, frequenter obversaretur; 2. Alexander Philotam cum equitatu et tribus peditum cohortibus ad Mycalen montem mittit, ubi Persicarum navium statio erat, ut exscendere volentes submoveret, neque aquari lignarive, aut cetera necessaria e terra petere permetteret. 3. Ea res barbaros in maximas angustias coniecit: obsessis similes haerebant in portu, neque terram ubi volebant capere, aut necessariis rebus refici poterant. Itaque consilio habito, Samum averterunt cursum, petitoque inde comeatu, Miletum revecti ante ostium portus instructa acie constiterunt. 4. Inter haec quinque Persarum naves in portu quodam, qui inter parvam illam insulam, de qua supra dictum est, et stationem Macedonicae classis medius erat, multa hostium navigia conspicati, plenis velis eo ferebantur: nam maximam sociorum navalium partem ob varios usus abesse coniecerant, vacuarumque navium haud difficilem occupationem fore arbitrabantur. 5. At rex iis, qui aderant, celeriter in decem triremes impositis, obviam ire hostibus iubet. Illi tum numero navium, tum inopinata re perterriti,

quum ultro se peti conspicerent ab iis, quos imparatos oppressuri venerant, terga vertunt: una tamen navis, quae lassios vehebat, deprehensa est; ceterae velociores ad suam classem effugerunt. Ita nullo eorum, quae intenderant, effecto, Mileto discessum est. 6. Alexander, quum suam classem neque hostili parem, et ad alios usus supervacuam sibi cerne-
ret, multique et graves ad eam sumtus requirerentur, dimittere eam statuit, paucis navium retentis, quibus ad obsidiones urbium machinae tormentaue portarentur. 7. Dissuaserat illud Parmenio, monueratque, ut navali proelio contenderetur. Macedonibus enim victoribus magnum ad cetera emolumentum accessurum esse: at victos nihil sane amissuros, nam imperium maris iam tum esse penes Persas; et litora facile tutaturos, qui pedestribus copiis plus possent. 8. Quoque expeditius, quod videbatur, obtineret, idem, qui consilium dederat, exsequi illud paratum ostendebat, conscensusque navibus, quam rex iussisset, discriminis partem capessere. Confirmabatur etiam augurio, quod superioribus diebus a tergo regiae classis aquila in litore consistens apparuisset. 9. Contra Alexander *falli Parmenionem* asseverabat, *qui paucas suorum naves tantae hostium multitudini, imperitosque remiges et rudes classiarios, exercitatissimis hominibus, reiue nauticae peritissimis, obiciendos duceret.* 10. *Se quidem virtuti suorum non diffidere, ceterum scire, illam in navalibus pugnis minimum conferre ad victoriam. Multo enim plura ventorum fluctuumque ludibriis permitti, quae gubernatorum atque remigum peritia vitaret, aut suis partibus opportuna redigeret.* 11. *Nec in ipsarum navium constructione nihil aut parum situm: ita Macedonum conatus vanos fore, quum eos barbari impune aut eludere, aut etiam, si casus daretur, opprimere possent.* 12. *Neque vero exiguum id detrimentum futurum. Totam Asiam arrecturam animos, si inter initia belli clades*

accepta foret. Plerosque mortalium ita comparatos esse, ut eum rerum eventum expectandum putent, quem ex principio successuum spe aut formidine praeceperunt. Et ne de Asia dubitemus, inquit, quis mihi praestabit, Graecos in fide mansuros, si felicitatem illam exspiravisse credant, quam, si verum amamus, unam in nobis reverentur? 13. Plane ad fortunam meam pertinere arbitror, quod aquila pone classem conspecta est, idque boni successus omen accipio: sed hoc manifesto promittit augurium, nos hostium naves e continente expugnaturus esse; nam praesaga victoriae ales, non in navibus, sed in litore constitit, nec magis eventum, quam locum ostendit belli. 14. Nam si, ut coepimus, maritimas urbes nostri iuris efficimus, Persarum classis ultro dilabetur: neque enim supplementum, aut commeatus, aut securae etiam stationes in promptu erunt; et si haec adimas, quo plus in mari habent virium, eo celerius consumentur. Atque sic implebimus fidem vaticinii, quod aereae tabulae inscriptum nuper ex quodam in Lycia fonte ebullivisse comperimus, instare terminum Persici imperii. 15. Ita dissoluta classe, Pontum adiacentesque Ponto regiones praetoribus suis subiugandas reliquit; ipse institutum iter prosecutus, in Cariam movit: nam eo magnam vim hostium confluisse cognoverat. 16. Quippe Halicarnassus, natura loci munitissima, duplicique arce tuta, spem praebebat, Macedonem, torrentis more ruentem, ea urbe tanquam crepidine opposita coerceri posse. Maxima in Memnone spes erat, qui omnia ad ferendam obsidionem opportuna summa cura praeparabat. Nuper enim a Dario maritimae orae totiusque classis praetor creatus erat. 17. Nam homo callidus temporumque prudens, quum se, omnes Persicos duces bellicis artibus superantem, unam ob causam infra meritum honorari intelligeret, quod Graecus genere, et olim Macedonicae regiae hospes de prodicione suspectus haberi poterat,

uxorem suam liberosque ad Darium misit, quasi de securitate illorum sollicitus, revera ut his velut obsidibus fiduciam regis obligaret. 18. Ceterum Alexander, Cariam introgressus, omnia inter Miletum et Halicarnassum oppida brevi in potestatem redegit. Pleraque enim Graecis incolis habitabantur, quibus immunitatem suasque leges restituere consueverat, ob liberandos eos in Asiam venisse professus. 19. Neque minorem mox a barbaris iniit gratiam, comiter excepta Ada, regii generis muliere, quae iter per ea loca facientem convenerat, illiusque fidem implorans in regnum restitui oraverat. Nam Hecatomnus Cariae rex tres filios habuit, duas filias: ex quibus maximus natus Mausolus Artemisiam duxerat: minor ex sororibus Ada fratri Hidrieo nupsit. 20. Sed Mausolo quidem soror eademque coniux successit, more gentis, quo in matrimonium regnumque sociari fas est iisdem parentibus genitos: at postquam Artemisia desiderio defuncti extabuit, Hidrieus regno potitus, et sine sobole mortuus, Adae reliquit imperium. 21. Hanc Pexodarus expulit, qui unus de Hecatomni filiis supererat: et quamquam is decessisset, exclusa manebat, quia Orontobaten, nobilem Persam, Pexodarus generum adsciverat, ut in novo et vi partito imperio illius opibus et gratia protegeretur: atque ille, extincto socero, velut dotale regnum retinebat. 22. Eam iniuriam deplorans mulier, simul Alindis deditis, (munitissimum id castellum erat), impetravit, ut nomen filii, quod deferebat, lubens acciperet, strenuamque ei operam ad antiquae dignitatis decus mature recipiendum polliceretur. Neque promisso fides defuit; expugnataque deinde Halicarnasso, totam illi Cariam parere iussit. 23. Interim fama benigne exceptae reginae, per omnem illum tractum diffusa, multas civitates Alexandro conciliavit; nam pleraeque a necessariis aut familiaribus Adae tenebantur: ii per legatos obtulerant aureas coronas, fu-

turosque in fide ac potestate regis, et imperata facturos, promiserunt. 24. Dum haec ita geruntur, exquisitae artis saporisque cibos atque bellaria sollicitate confici curabat Ada, eaque cum ipsis coquis et cupediariis regi dono mittebat, tanquam bene merenti gratiam relaturo, si muniis armorum fessum fatigatumque Asiatici luxus deliciis exciperet. 25. At ille prudens intemperantiam gulae seria tractanti intemperativam esse, benevolentiae quidem muliebri comiter gratias egit; ceterum non attinuisse respondit, ut pro ipso sollicita esset, meliores habente coquos, quibus ipsum olim paedagogus suus Leonidas instruxisset: ad prandium iter antelucanum, ad coenam frugale prandium.

IX. Iam tota ferme Caria in ditionem Alexandri concesserat; sed caput regni Halicarnassus firmo praesidio tenebatur. Itaque diuturnam obsidionem fore coniectans, commeatum et machinas, quae ad oppugnationem pertinerent, navibus eo deportari iubet: ipse cum pedestri exercitu quinto ab urbe stadio castra communit. 2. Deinde muros adortum iuxta portam, qua Mylassa iter est, improvisa oppidanorum eruptio excepit: sed Macedonibus fortiter conserentibus manum, quibusdam suorum amissis haud magno negotio reiecti sunt. 3. Pauci deinde dies intercesserant, quum Alexander obiecta spe Myndensium oppido per prodicionem potiundi, nocte intempesta cum parte copiarum proficiscitur. Sed nihil quoquam movente, admota gravi armatura murum suffodi imperat: neque enim scalas aut machinas attulerat, quum oppugnandi consilio urbem non accessisset. 4. Et illi quidem, una turrium deiecta, nihil tamen aperuerunt loci, quo intra perirerent. Nam forte ita prociderat turris, ut, quam murorum partem stans protexerat, non minus ruina sepiret: 5. civesque summa ope resistebant, et ab Halicarnassensibus adiuuebantur, quos, addito vicinae civitatis

periculo, maritimo itinere Memnon submiserat. Ita conatus Macedonum irritus fuit. 6. Alexander, ad obsidionem Halicarnassi reversus, ante omnia fossam, triginta maxime cubitos latam, altam quindecim, quam hostes pro urbe duxerant, expleturus, tres testudines apparatus, quibus protectus miles materiam terramque sine noxa congereret. Aequata fossa, turres machinasque, quibus muri sternuntur, admo- veri iussit. 7. Iamque strata moeniorum parte, qua ruinae viam aperiebant, in urbem penetrare niteban- tur; sed hostes, quum ob multitudinem integri sub- inde fessis succederent, ducumque praesentia ad omnia audenda confirmarentur, strenue repugna- bant. 8. Luce per varia certamina consumta, quum diurno labore fatigatos hostes Memnon segnius cu- stodias agere crederet, cum valida manu prorumpit oppido, ignemque operibus iniicit. Sed Macedoni- bus ad incendium concurrentibus, quum hi extin- guere flammam conarentur, illi auferrent, et prohibentibus vim intentarent, acre proelium coortum est. 9. Quippe Macedones robore virtutis et assuetudine periculorum longe praestantes hostibus, numero ap- paratuque Persarum urgebantur: et quia haud pro- cul muris res gerebatur, ballistis catapultisque per moenia dispositis eminus impetiti, inulta vulnera ac- cipiebant. 10. Atrox inter haec utrinque clamor, hortantium suos, increpantium adversos; tum sau- ciorum et morientium gemitus, inter nocturnas tene- bras omnia terrore tumultuque impleverant: auge- bantur haec vocibus ceterae multitudinis, quae dum alii pugnant, operi intenta, muris, qui pulsu machi- narum corruerant, reparandis occupabatur. 11. Tan- dem acrius adnisi Macedones hostem intra moenia redegerunt, centum septuaginta interfectis, inter quos et Neoptolemus, qui cum Amynta fratre ad Da- rium perfugerat, occubuit. 12. Macedonum non quidem ultra sedecim perierunt; sed trecenti ferme

vulnerati sunt, quia nocturna pugna fuerat, neque adversus caecos ictus et incidentia temere tela quidquam satis provideri potuerat. 13. Post aliquot deinde dies levis et ludicra res ingenti certamini causam praebuit, orto initio a duobus veteranis ex Perdiccae agmine. Ii contubernales quum essent, unaque genio indulgissent, ut fit inter sermones familiares, iactantia militari sua fortia facta vicissim extolentes, altercari coeperant, uter alteri anteferretur; 14. quum alter eorum, *quid inani strepitu verborum foedamus honestissimam contentionem?* inquit. *Non cui lingua, sed cui dextra sit melior, hoc agitur. Et adest occasio: ea optime de controversiis nostris iudicabit. Age, si vir es, exeuntem sequere.* 15. Vino et ambitione incaluerant; itaque privato consilio arma capiunt, et ad muros iuxta arcem, quae Mylassis obversa est, excurrunt. Horum temeritate animadversa, statim ex oppido globus hostium effunditur. Illi firmato gradu certamen conserunt, propius incurrentes gladiis excipiunt, in recedentes tela coniciunt. 16. Sed adversus multos, et ex superiore loco dimicantes, haud diu impunita duorum audacia fuisset; nisi conspecto ipsorum periculo, commilitonum pauci primo, deinde alii atque alii laborantibus subvenissent: eodem modo et oppidanis subinde ad locum, ubi pugnabatur, confluentibus. 17. Ita nunc his, nunc illis robore numeroque superioribus, varie pugnatum est: donec Alexander cum manu, quae circa ipsum erat, progressus, metum hostibus incussit, statimque intra munimenta compulsi sunt, nec multum abfuit, quin hostes simul irrumperent. 18. Forte enim intentis omnibus in ea, quae ante urbem gerebantur, moenia negligenter servari contigerat: et duae turres cum continenti murorum parte crebris arietum ictibus cesserant; tertia quoque, laxata iam et concussa compage, fodientibus haud in longum resistere potuisset. 19. At quia tumultuarium id

proelium, neque universus exercitus instructus fuerat, opportunitas eius rei e manibus amissa est. 20. Alexander, quamquam ea res opinione Graecorum de victoria concedentis videretur, corpora suorum, qui sub ipsis moenibus oppetierant, induciis postulatis ab hoste repetere, quam inhumata dimittere, maluit. 21. At qui cum Persis erant, Ephialtes et Thrasybulus Athenienses, quum plus apud ipsos odium adversus Macedonas, quam humanitatis ratio, valeret, negabant indulgendum hoc esse infestissimis hostibus. 22. Non tamen permoverunt Memnonem, quin Graecorum moribus indignum esse diceret, sepulturam invidere caesis hostibus: armis et viribus in adversos et obsistentes utendum, neque contumeliis pugnandum in eos, quos bonis malisque nostris sua dies exemisset. 23. Sane praeter alias Memnonis virtutes etiam moderatio eius insignis fuit. Neque enim per recordiam conviciis insectari hostem pulchrum ducebat; sed virtute et consiliis vires illius animosque contundere. 24. Igitur quum aliquando in agmine quendam ex mercenariis nonnulla contumeliose et petulanter in Alexandrum iacientem audisset, conversa hasta hominem pulsans, *non te conduxī, inquit, ut malediceres Alexandro, sed ut adversus illum dimicares.*

X. Interea obsessi summo studio securitati suae providentes, pro diruto muro alium interiorem ex cocto latere eduxerunt, non recta regione, sed in nascentis lunae figuram sinuatum: eaque res, quum inter multos distributum munus esset, celerrime confecta est. 2. Hunc murum Alexander postero statim die machinis quassare coepit, quo minore negotio recens adhuc opus labefactaret. In eo labore occupatis Macedonibus, iterum ex urbe valida eruptio facta est: cratiumque, quibus opera tegebantur, nonnihil, et unius turris lignae partem flamma comprehendit. 3. Ne ad cetera opera transiret incendium,

Philotas et Hellanicus obstiterunt, quibus in eam diem machinarum custodia cesserat: et Alexander, mature conspectus, tantum trepidationis iniecit hostium animis, ut omissis facibus, quibus armati procurrerant, quidam etiam arma iacentes, effusa fuga oppidum repeterent. 4. Inde vim facile propellebant, adiuti commoditate loci, quem multo aequiorem obtinebant; et quia murus, sicut diximus, ita constructus erat, ut quamcunque partem inuasisset hostis, non a fronte tantum, sed ex utroque laterum, missilibus appeti posset. 5. Post haec Persarum duces, quum omnia sibi in dies arctiora esse viderent, constaretque non abscessurum Macedonem, donec urbis potiretur, de summa rerum consilium habebant. Ibi Ephialtes, vir animi corporisque robore in paucis conspicuus, incommoda longae obsidionis disseruit: 6. negabatque exspectandum, donec paullatim accisis viribus exhausti fractique cum ipsa urbe in victoris arbitrium concederent; sed dum aliquid virium superesset, cum robore conductitii militis erumpendum, et alacribus animis cum hoste confligendum esse. 7. Consilium suum, quo in speciem audacius esset, eo plus in exsequendo facilitatis habiturum. Hostibus enim alia omnia exspectantibus, et adversus casum, de quo nihil dubitarent, imparatis, superfusum iri suos. 8. Neque Memnon, quamquam cauta consilia speciosis praeferre solitus, restitit. Nam etiamsi nihil novaretur, nulla propinqua auxilii spe tristem obsidionis exitum fore prospiciebat; et, ut in tanto discrimine, non inconsultum rebatur, experiri virum acrem, et qui velut instinctu quodam ad extrema audenda ageretur. 9. Igitur Ephialtes, duobus millibus ex omni mercenariorum numero delectis, faces mille parare iubet, primaque luce adesse, et armatos exspectare imperium. Coepta die quum Alexander iterum muro lateritio machinas admovisset, instarentque Macedones operi,

Ephialtes, porta subito patefacta, dimidium suorum immittit cum facibus; ipse cum ceteris denso agmine subsequitur, ut hostes incendium prohibituos submoveret. 10. Alexander, intellecto quid ageretur, aciem celeriter instruit, subsidia delecto milite firmat. Quumque alios ad exstinguendum ignem ire iussisset, in eos, qui cum Ephialte advenerant, impetum facit. 11. At ille insigni corporis robore, quotquot conferre pedem audebant, obtruncans, suos voce, nutu, et inprimis exemplo, ad virtutem animabat. Neque parum molestiae e muris exhibebatur hosti: quippe turrim centum cubitorum obsessi erexerant, tormentisque commode dispositis hastas et saxa iaculabantur. 12. Inter haec ex diversa parte urbis (ipsi Tripylon vocabant) duce Memnone alius oppidanorum globus, qua minime expectabatur, erupit: tantusque tumultus incessit castris, ut ipse etiam rex consilii incertus efficeretur. Sed animi magnitudine, et opportunis imperiis omnia pericula propulsabat; et fortuna in tempore subvenit. 13. Igitur et qui machinas incenderant, a Macedonibus, qui ibi curabant, quique a rege missi subsidio venerant, cum magna clade repulsi sunt; et Memnonem Ptolemaeus exceptit Philippi filius, regii corporis custos, praeter propriam manum Addaei Timandrique cohortibus stipatus: 14. eaque parte egregie vicerunt Macedones, quamquam Ptolemaeum Addaeumque, et sagittariorum ducem Clearchum cum quadraginta ferme manipularibus amisissent; et hostes cum tanta trepidatione recesserunt, ut angustum pontem, quem ad fossam superandam construxerant, multitudo festinantium ruperit, iis, qui supersteterant, in praeceps devolutis. 15. Ex quibus nonnulli a suis conculcati interierunt; alios Macedones ex superiore loco telis confixere. Multi, quibus ista calamitas pepercerat, sub ipsa urbis porta necem invenerunt: quippe exterritis omnibus, me

tuentibusque, ne una Macedones irrumperent, porta praepropere occlusa magnam oppidanorum partem ad exitium hosti tradidit. 16. Inter haec Ephialtes, non spe magis quam desperatione formidabilis, cum regiis ferociter dimicabat: et ancipitem fecisset victoriam, ni laborantibus suis seniores Macedonum mature succurrissent. Ii in castris habebantur immunes operum periculorumque, nisi ubi necessitas exigeret, quum stipendiis praemiisque nihilominus perfruerentur. Meruerant eum honorem fortibus factis, et sub superioribus regibus ipsoque Alexandro bellicis laboribus aetate exacta. 17. Ii, quum suos periculis territos detrectare pugnam, et receptui locum circumspicere intelligerent, Atharia quodam duce, in primam aciem provolant; accensoque quod elanguerat proelio, iuniores conviciis et pudore flagitii ad resumendos animos compellunt. 18. Ita simul acerrimo nisu incumbentibus omnibus, quum aemulationem suam hostium damnis exercerent, momento temporis inclinata fortuna, Ephialtes cum plurimis fortissimisque suorum caesus, reliqui in urbem repulsi sunt. 19. Introierant etiam Macedonum multi, et oppidum vi capiebatur, quum receptui cani rex iussit; sive ut urbi parceret, sive praecipiti iam in vesperam die, noctem et occultas ignotis locis insidias metuebat. 20. Hoc proelium praecipuas obsessorum vires consumsit. Igitur Memnon, re cum Orontobate, qui urbem tenebat, ceterisque ducibus deliberata, nocte intempesta turrim ligneam et porticus, ubi tela servabantur, incendunt, aedificiisque muro vicinis ignem supponunt: quo celeriter concepto, quum et ex porticibus turrique flamma vento agitata accederet, late fuderunt incendium. 21. Oppidanorum militumque validissima pars arcem in insula sitam occupavit; alii in Salmacidem se contulere: alterius arcis id nomen, inditum a fonte, qui ibi est, vulgatissimae famae. Reliquam multitudi-

nem resque pretiosas duces avexerunt in Con insulam. 22. Alexander, indicio transfugarum, et obiecta oculis specie, quae in urbe gesta fuissent cognitae, quamquam media nocte, Macedonas in urbem irruere, et quos incendium augentes deprehendissent, interficere; si qui domi se continerent, ab eorum caede temperare, iubet. 23. Luce oborta arces a Persis et mercenariis insessas contemplatus, quum obsidionem earum longi operis futuram suspicaretur, neque pretium putaret, capite gentis expugnato, duabus arcibus assidentem, agendi tempus per otium et inertiam terere; 24. urbem ipsam excindit, arces muro fossaque circumseptas Ptolemaeum observare iubet, quem cum tribus millibus peregrinorum militum, et equitibus ducentis ad Cariam tuendam relinquebat. Is non longo post tempore, copiis cum Asandro Lydiae praetore coniunctis, Orontobatem acie vicit: et Macedonibus ira taedioque diuturnioris morae, oppugnationi acriter incumbentibus, arces in potestatem redactae sunt. 25. At rex, Phrygiam continentesque provincias animo complexus, Parmenionem cum amicorum turmis, et auxiliariis equitibus, Thessalisque, quibus Alexander Lyncestes praeerat, Sardes mittit, ut inde in Phrygiam irrueret, venturoque exercitui commeatum et pabulum ex hostico pararet. Data ad hoc plaustra, quae simul ducerentur. 26. Quum deinde multos Macedonum, paullo ante eam expeditionem ductis uxoribus, desiderium earum impatienter ferre cognovisset; Ptolemaeum Seleuci filium corporis custodem iis praefecit, domumque deducere iussit, cum uxoribus hibernaturos. Duo quoque ex ducibus, Coenos atque Meleager, ob eandem causam una profecti sunt. 27. Id regi magnae apud milites commendationi fuit, promptioresque deinde eos ad longinquam militiam reddidit, quum sui rationem habitam viderent, sperarentque, deinceps etiam ad suos visendos subinde

commeatum impetraturos esse. 28. Ducibus iniunctum est, ut interim, dum in Macedonia morarentur, strenue delectus agerent; quantasque maximas possent equitum peditumque copias, cum iis, qui tum abibant, sub initium veris adducerent. 29. Animadverso autem, exercitum Asiaticis moribus infici, magnamque vulgo per castra impudicorum multitudinem haberi, probrosos omnes conquiri iussit, et in parvam quandam Ceramici sinus insulam seposuit: haesitque infamia loco, et ob eius rei memoriam Cinaedopolis appellatur.

XI. His ita gestis, insistens consilio suo, ut, omni maritima ora sui iuris effecta, classem hostium inutilem redderet, Hyparnis receptis, quae arcem tenentes mercenarii dederant, in Lyciam contendit. 2. Ibi pacta cum Telmissensibus amicitia, Xanthoque flumine transmissa, cognominem anni urbem, Pinaraque et Patara, nobilia iis regionibus oppida, cum aliis minoribus circiter triginta, in fidem accipit: rebusque satis in praesens compositis, in Myliada procedit. 3. Phrygiae maioris portio Mylias est; sed Persarum regibus placuerat Lyciae eam tribui. Eam dum recipit, adfuere Phaselitarum legati, amicitiam orantes, aureamque coronam hospitale donum afferebant: idem petebant multarum urbium oratores ex inferiore Lycia. 4. Itaque rex, praemissis, quibus oppida sua Phaselitae Lyciique traderent, paucis post diebus Phaselin profectus est. Oppugnabant illi tum maxime validum praesidium, quod in ipsorum ditione Pisidae construxerant, multasque inde iniurias intulerant accolis. Id adventu Alexandri brevi captum fuit. 5. Apud Phaselitas plusculos dies, ut seque et exercitum reficeret, quieti dedit. Invitabat etiam tempus anni; quippe media iam hiems difficiles progredienti vias effecerat. 6. Ibi per hilaritatem et epulas laxato animo, quum statuan Theodecti a civibus suis in foro positam vi-

disset, ut a coena temulentus surrexerat, saltabundus eo processit, frequentesque ei coronas iniecit. Nam Theodecten, quum Aristotelem una audiret, familiarem gratumque habuerat. 7. Sed otiosos iuvenilis animi lusus atrox a Parmenione nuntius cito discussit. Comprehenderat ille Persam quendam Asisinem nomine, a rege Dario palam quidem ad Atyzium Phrygiae satrapam missum, sed cum occultis mandatis, ut Alexandrum Lyncesten captata occasione secreto conveniret, eique, si destinata effecisset, Macedoniae regnum et mille insuper auri talenta polliceretur. 8. Nam is, cum Amynta transfuga scelesto consilio inito, occidendi regis partes sibi sumserat. Oderat eum tum aliis de causis, tum quod Heromenem et Arrabaeum, fratres huius Alexandri, inter paternae necis conscios supplicio affecisset. 9. Et quamquam ipse poena exemptus, multisque postea honoribus ornatus, non simplex beneficium regi deberet; insita animo ferocia et dominandi cupidine nihil nefas putabat, per quod ad regnum via sterneretur. 10. Re in consilium deducta, facilitatem regis arguebant amici, *quod hominem in manifesto maleficio deprehensum, non modo punire non sustinisset, verum etiam praemiis et honoribus auctum optimae equitatus parti praeposuisset. Quem deinceps ei fidum futurum, si praeter impunitatem propior amicitiae gradus, maximae dignitates, honorificae praefecturae, parricidii merces essent?* 11. Igitur mature emendandum, quod nimia lenitate peccatum esset, priusquam ille, consilium emanasse sentiens, Thessalorum mobiles animos ad res novandas induceret. Non contemnendum esse periculum, quo maius ne excogitari quidem possit: neque spernenda deorum ostenta, qui regem de cavendis insidiis evidenter monuissent. 12. Nuper enim, dum Halicarnassum obsidens, post longos magnosque labores meridiatione reficitur, hirundo, nota auspiciis avis, magno cum garritu circum caput

quiescentis volitaverat, et modo in hoc, modo illud lectuli latus se demiserat, turbulentio rem solito cantum exorsa. 13. Et rex quidem defatigato corpore non penitus excussit somnum, sed tamen avem continuo strepitu molestam sentiens, manu obiter repulit. Illa adeo non exterrita est, ut etiam in ipsius capite consederit, neque prius strepere desierit, quam ab experrecto demum abacta est. 14. Idque sic interpretatus fuerat Aristander, ut instare periculum diceret ab amico regis; sed insidias in occulto non mansuras: hoc enim monere naturam avis, quae prae ceteris homini familiaris, eademque supra modum garrula esset. 15. His itaque diligenter expensis, quum indicium Asisinis cum vatis responso convenire cerneret, meminissetque, se matris literis anxie monitum, ut ab hoc homine sibi caveret, nihil ultra differendum ratus, quid fieri vellet, Parmenioni significat: nam, ut diximus, cum ipso in Phrygiam iverat Lyncestes Alexander. 16. Sed ne quo casu consilium regis parum in tempore proderetur, literas scribi non placuit; sed per hominem fidum atque honoratum mandata perferri. Electus est Amphoterus Crateri frater: qui quum Macedonicum habitum Phrygio mutasset, assumtis Pergensibus aliquot itineris gnaris, ad Parmenionem occultus penetrat. 17. Ita Alexander comprehenditur: et quum ob veterem suam familiaeque dignitatem et gratiam diu dilatus esset, tertio post anno, dum a Philotae consciis supplicium sumitur, societate criminis et poena sontium in exitium abreptus periit. 18. Regi ex Phaselide moventi supra detectas insidias propitius numinis favor alio statim beneficio patuit. Parte exercitus ad Pergensium urbem per montes praemissa, ceteros ipse per litus ducebat, qua Climax mons Pamphylio mari imminens, angustam euntibus semitam relinquit, quoties mare tranquillum est; at quum aestus incubuit, fluctibus operitur; idque hieme frequens et

prope perpetuum est. 19. At Alexander, nihil aequae ac moram metuens, exercitum per aequa, per iniqua, eodem ardore atque impetu rapiebat. Continui per eos dies austri flaverant, qui mare in litus propellentes, omnia itineris vestigia altis paludibus opplent: assiduae etiam magnaeque pluviae, ut ventis istis spirantibus solet, ruebant. 20. Sed adventante Alexandro subito exortus aquilo coelum purgavit imbribus, undas reiecit in mare, et Macedonibus transitum aperuit. Sic quoque unius diei itinere per incerta vada emergendum fuit, aqua ad umbilicum ferme pertingente. 21. Tantam in periculis Alexandri fiduciam, uti ab ipsius ingenio profectam non dubito, ita frequentibus prodigiis et ominibus auctam confirmatamque fuisse crediderim, postquam decreto numinis, clarissimis maximisque rebusse destinari coniecit. 22. Adhuc in Macedonia degenti species humana augustior apparuisse dicitur monentis, ut ad evertendum imperium Persicum quamprimum in Asiam sequeretur: atque in memoriam insomnii revocatum esse regem, quum in Phoenice res gereret, obvio Iudaeorum sacerdote, in quo recognovit ornatum, quem pridem in obiecta imagine per quietem viderat. 23. Nam inter obsidionem Tyri vicinis regionibus populisque deditioem et delectus imperaverat. Sed Iudaei, qui Hierosolyma famosam urbem tenebant, foedus cum Dario causati, Macedonum amicitiam detrectabant. 24. Eam gentis contumaciam puniturus, in Iudaeam infesto agmine perrexit. At Hierosolymitani, ut regis iram lenirent, cum uxoribus liberisque supplices in occursum venientis effunduntur. Sacerdotes primi ibant tenuissima bysso amicti: hos deinde populus candido et ipse vestitu sequebatur. Agmen ducebat Iaddus, summus sacrorum antistes, cum sollemni ornatu. 25. Appropinquantis pompae venustatem speciemque miratus rex, equo desiliens, solus processit, adoratoque Dei no-

mine, quod aureae laminae insculptum cidaris pontificia praeferebat, ipsum quoque reverenter salutavit. 26. Improvisa res omnium, qui cum eo advenerant, animos in stuporem dedit. Iudaei ex propinqui exitii metu non in spem incolunitatis modo, sed inopinatae gratiae fiduciam erecti circumibant regem, laudes gratulationemque et vota miscentes. 27. Contra Syrorum reguli, qui ob crebras acerbasque cum Iudaeis simultates Alexandrum secuti fuerant, inimicorum suppliciis, ut rebantur, infesti animi libidinem expleturi, stupebant, dubii, verane essent, quae intuerentur, an aliquod oculorum ludibrium vana imagine sopitos sensus falleret. 28. Neque minus Macedonas insolentia spectaculi suspensos habuit: donec propius accedens Parmenion interrogare ausus est, quid ita externis caerimoniis honorem deferret, quem a tam foeda gente etiam recipere vix tanto rege dignum esset? Atque ille insomnium suum retulit. 29. Deinde urbem ingressus, in pulcherrima aede ritu recepto sacrum Deo fecit, et dona templo intulit. Inspexit etiam sacros gentis codices, quibus continebantur diu ante perscripta vaticinia: inter quae Tyrum Macedonibus cessuram, et Persas a Graeco quodam debellatum iri, clare significabatur. 30. Eum se fore interpretatus, Iudaeis concessit, ut domi forisque suis legibus ritibusque libere uterentur; et quia septimum quemque annum agriculturae exsortem agunt, etiam tributorum ista portione solverentur. 31. Naturam quoque regionis admiratus, quae aliis fructibus inter praestantissimas dives, opobalsamum sola producit, Andromachum iis regionibus praeposuit: quem Samaritani, perpetui Iudaeorum hostes, paullo post atrociter necaverunt. Sed haec quidem post Tyrum Gazamque expugnatas gesta sunt; nos per occasionem praecepimus.

XII. Ceterum angustiis ad mare Pamphylium superatis, Alexander Pergis profectus in itinere obvios

habuit Aspendiorum legatos ex principibus civitatis. Ii petentes, ne praesidium recipere cogerentur, quinquaginta talenta in stipendium militum, et quantum equorum tributi nomine regi Persarum alere consueverant, promiserunt. 2. Inde rex ad Sidetas, qui Melanem amnem accolunt, progressus est; Cumaeorum ex Aeolide genus, sed sermone barbaro; nam Graecus exoleverat, non diuturnitate temporis, ut accidit; verum maiores suos, ut in eas regiones venerunt, repente oblitos patriae linguae, novam et antea inauditam sonuisse memorabant. 3. Side recepta, quae Pamphylicae metropolis erat, Syllium ibatur, tutum natura situs oppidum, et tam peregrino milite, quam barbarorum accolentium firma manu egregie munitum. Ea res, et quia Aspendios rebelare nuntiabatur, avertit iter: Aspendumque ductus est exercitus. 4. Illi, subita Macedonum irruptione territi, desertis quae in plano erant aedificiis, in arcem concessere. Alexander, vacua urbe potitus, sub ipsa arce castra communit: et quum peritissimos architectos haberet, apparatu oppugnationis obsessos ad pacem prioribus conditionibus repetendam compulit. 5. Nihil ad maiora properanti optatius accidere potuisset, quam ut loci haud contemnendi longa obsidione non detineretur; ne tamen impunita defectorum temeritas esset, potissimos civium obsides tradi, pecuniaeque imperatae nec exsolutae summam duplicari praecepit: adiectum est, ut satrapae, quem Alexander praefecisset, obedirent, annua Macedonibus tributa solverent, et de agro, unde vicinos vi eiecisse arguebantur, iudicio contenderent. 6. His ita gestis remensus iter, quod ad Pergensium oppidum ferebat, inde perrexit in Phrygiam. Sed per ista loca ducenti superandae erant angustiae, quas iuxta Telmissum, urbem Pisidarum, duo montes ex adverso concurrentes efficiunt, ita strictis faucibus, ut portarum similitudinem referant: easque barbari

armata manu utrinque insederant. 7. Alexander in ipso aditu castra poni iubet, ratus, quod evenit, Telmissenses castris locatis periculum differri credentes non diu haesuros in angustiis, sed modico in illis relicto praesidio ceteros in urbem recessuros esse. 8. Igitur occasione haud segniter usus, protinus sagittarios et funditores, quodque ex gravi armatura maxime expeditum erat, inducit; et praesidio barbarorum deturbato, ante ipsam urbem castra collocat. 9. Ibi legatos Selgensium audit, qui ob vetustas cum vicinis Telmissensibus similtates, quamquam eiusdem nationis essent, amicitiam ac auxilia offerebant regi. Quibus perbenigne exceptis, ne in obsidione unius urbis tempus tereret, Sagalassum castra movit, validam urbem et iuventutis robore firmatam. Quum enim omnes Pisidae bellicosi sint, Sagalassenses prae ceteris pugnaces habentur. 10. Ii, quum etiam a Telmisso foederatae sociaeque copiae venissent, viris magis quam moenibus confisi, in vicino colle instruxerant aciem, et praemissos ab Alexandro velites opportunitate loci adiuti repulerant; sed Agriani resistebant, quis propinqua iam Macedonum phalanx, et ante prima signa rex conspectus audaciam addiderat. 11. Maximus militi labor fuit per ardua conniti: postquam aequioribus paullo locis consistere datum est, semerum montanorum vulgus haud aegre disiecere. Ex Macedonum ducibus Cleander desideratus est, cum viginti ferme militibus: barbarorum ad quingentos cecidere; ceteros expedita fuga, et locorum notitia protexit. 12. Fugientibus tamen institit rex, contentione, quanta poterat tam grave agmen: eodemque impetu urbs eorum capta est. Per cetera deinde Pisidiae munita loca circumtulit bellum: quorum nonnulla pugnando cepit; alia conditionibus in fidem venerunt. 13. Telmissum expugnatam, ob pertinaciam civium, solo aequavit: populo libertatem ademit; et paullo post cum

aliis quibusdam Pisidiae civitatibus, Celaenarum praefecturae contribuit. 14. Pacatis hunc in modum asperrimis nationibus, in Phrygiam processit, qua Ascanius lacus est, cuius aqua sua sponte concre-scens, necessitate salis e longinquo petendi solvitac-colas. 15. Dum ea geruntur, Memnon, suarum par-tium reliquiis undique collectis, ut inhaerentem Asiae Alexandrum extorqueret, ad bellum Graeciae Macedoniaeque inferendum cogitationes convertit. 16. Quippe Darius, in hoc uno spem reponens, qui victo-ris impetum sua virtute suaque prudentia diutissime ad Halicarnassum moratus esset, summae rerum praefecerat eum, magnamque pecuniae vim transmi-serat. 17. Itaque mercenariorum manu quanta poterat conducta, cum trecentarum navium classe li-bero mari vagabatur; et quae tantis conatibus adver-sa vel aequa futura essent, sollerti aestimatione pen-sabat. 18. Interea locis, quae minus anxie custo-diebantur, occupatis, (inter quae et Lampsacus fue-rat,) insulas aggressus est, quibus Macedones, quam-quam utrinque continenti potirentur, ob inopiam na-vium auxilium ferre non poterant. 19. Iuvit consi-lium ducis animorum mira ubique dissensio, quum aliis ad Alexandrum libertatis auctorem res trahenti-bus, non deessent, qui, Persicis opibus aucti, prop-riam sub veteribus dominis potentiam, quam libe-rata republica eandem omnium aequalitatem mallent. 20. Igitur Athenagoras et Apollonides ex Chiorum optimatibus, re cum Phisino Megareoque et aliis suae factionis hominibus communicata, Memnonem arcessunt. Ita Chius proditione capitur, et praesi-dio ibi collocato, urbanarum rerum administratio Apollonidi sociisque traditur. 21. Inde Lesbum pe-tens, Antissam, Pyrrham et Eressum nullo negotio capit; Methymnae Aristonicum tyrannum imponit, totamque insulam, excepta Mitylene nobilissima ur-be, in potestatem redigit. 22. Ea multis diebus ob-

sidionem constanter pertulit: nec ab ipso Memnone capta est. Ille enim quum iam magnis operibus urbem circumvallasset, et ocluso portu, naviumque stationibus per opportuna loca dispositis, ne qua subsidio venientibus aditus pateret, providisset; pestilenti morbo correptus, praeclaram Persarum spem, irreparabili cum ipsorum damno, deseruit. 23. Sed quum se iam morti vicinum intelligeret, Pharnabazo, sororissuae filio, quem Artabazo pepererat, imperium suum tradidit, donec Darius, re comperta, aliter statueret. 24. Hic cum Autophradate classis praefecto munia partitus, eo tandem obsessos adegit, ut, securo praesidii discessu pacto, columnas, quis foederis cum Alexandro leges insculptae erant, subverterent; Darioque fidem polliciti, dimidiam exsulum suorum partem reciperent. 25. At Persae non integra fide pactis stetere; sed introductis in urbem militibus, Lycomedem Rhodium praeesse iusserunt: Diogeni, qui ob studia in Persas exsulaverat, patriae tyrannis tradita est. Pecunia deinceps privatim ab opulentissimo quoque per vim ablata: neque eo minus imperatum tributum, quod commune Mitylenaeorum penderet.

Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER III.

ARGUMENTUM.

1. Celaenarum urbe et arce recepta, primariam Phrygiae urbem Alexander ingreditur, in qua fatalem Gordii nodum solvit, ac deinde obviam Dario ire statuit. 2. Exercitus Persici illustratio: de quo quum Darii iussu Charidemus Atheniensis verum liberumque protulisset iudicium, capite multatus est. 3. Thymodes Pharnabazo, hic Memnoni succedit. Darii somnium, eiusque varia interpretatio. Pompae Persarum regum, orto sole demum procedentium, tum copiarum Alexandri descriptio. 4. Desertas ab Arsane, Darii praefecto, Ciliciae fauces Alexander opportune occupat. 5. Quum in Cydnum flumen abluendi corporis gratia intempestive descendisset, gravissime morbo corripitur. 6. Mox a fido sapientique medico Philippo, pristinae valetudini restituitur. 7. Vegetior factus, Darium aggredi cogitat, Sisinemque Persam, imprudentia delinquen-

tem, occidi iubet. 8. Darii ante pugnam consilia: tum exercitus Persici consternatio, proximae internecionis praesagium. 9. Utriusque aciei descriptio. 10. Alexandri oratio ad milites. 11. Pugna ad Isson, in qua centena millia peditum ac decem millia equitum Persarum occumbunt, reliquis fuis fugatisque. 12. Matris et uxoris Darii, nec non aliarum captivarum, luctum levat Alexander. 13. Darii gazam immensam cum ingenti nobilium numero praefectus Damasci Parmenioni tradit.

I. Inter haec Alexander, ad conducendum ex Peleponneso militem Cleandro cum pecunia misso, Lyciae Pamphiliaeque rebus compositis, ad urbem Caelenas exercitum admovit. 2. Mediam illa tempestate interfluebat Marsyas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclytus. 3. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens, in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit: inde diffusus circumiectos rigat campos, liquidus et suas dumtaxat undas trahens. 4. Itaque color eius placido mari similis, locum poëtarum mendacio fecit: quippe traditum est, nymphas, amore amnis retentas, in illa rupe considerare. 5. Ceterum quam diu intra muros fluit, nomen suum retinet: at quum extra munimenta se evolvit, maiore vi ac mole agentem undas Lycum appellant. 6. Alexander quidem urbem destitutam a suis intrat: arcem vero, in quam confugerant, oppugnare adortus, caduceatorem praemisit, qui denuntiaret, ni dederent, ipsos ultima esse passuros. 7. Illi caduceatorem in turrim, et situ et opere multum editam, perductum, quanta esset altitudo, intueri iubent, ac nuntiare Alexandro, non eadem ipsum et incolas aestimatione munimenta metiri: se scire inexpugnabiles esse; ad ultimum, pro fide morituros. 8. Ceterum ut circumsideri arcem et omnia sibi in dies artiora esse viderunt, sexaginta dierum inducias pacti, ut, nisi intra eos auxilium Darius ipsis misisset, dederent urbem:

postquam nihil inde praesidii mittebatur, ad praestitutam diem permisere se regi. 9. Superveniunt deinde legati Atheniensium, petentes, ut capti apud Granicum amnem redderentur sibi. Ille non hos modo, sed etiam ceteros Graecos restitui suis iussurum respondit, finito Persico bello. 10. Ceterum Dario imminens, quem nondum Euphraten superasse cognoverat, undique omnes copias contrahit, totis viribus tanti belli discrimen aditurus. 11. Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus; pluribus vicis, quam urbibus frequens. 12. Tunc habebat quondam nobilem Midae regiam; Gordium nomen est urbi, quam Sangarius amnis interfluit, pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem. 13. Inter haec maria angustissimum Asiae spatium esse comperimus, utroque in artas fauces compellente terram. Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet; ac nisi tenue discrimen obiiceret, maria, quae nunc dividit, committeret. 14. Alexander, urbe in suam ditionem reducta, Iovis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium Midae patrem vectum esse constabat, adspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. 15. Notabile erat iugum adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis, et celantibus nexus. 16. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiae potiturum, qui inexplicabile vinculum solvisset; cupido incessit animo sortis eius implendae. 17. Circa regem erat et Phrygum turba, et Macedonum: illa expectatione suspensa, haec sollicita ex temeraria regis fiducia: quippe, serie vinculorum ita adstricta, ut, unde nexus inciperet quove se conderet, nec ratione nec visu percipi posset, solvere aggressus iniecerat curam, ne in omen verteretur irritum inceptum. 18. Ille, nequidquam diu luctatus cum latentibus nodis, *nihil*, inquit, *interest, quomodo solvantur*: gladioque ruptis omnibus loris,

oraculi sortem vel elusit vel implevit. 19. Quum deinde Darium, ubicunque esset, occupare statuisset, ut a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellesponti, copiis autem praefecit Hegelochum, Lesbum et Chium et Con praesidiis hostium liberaturos. 20. His talenta ad belli usum quingenta attributa: ad Antipatrum et eos, qui Graecas urbes tuebantur, sexcenta missa: ex foedere naves sociis imperatae, quae Hellesponto praesiderent. 21. Nondum enim Memnonem vita excessisse cognoverat; in quem omnes intenderat curas, satis gnarus cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moveretur. 22. Iamque ad urbem Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito, Paphlagoniam intrat. Huic iuncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt; 23. omnisque haec regio paruit regi: datisque obsidibus, tributum, quod ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur, impetraverunt. 24. Calas huic regioni praepositus est: ipse, assumtis qui ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petiit.

II. At Darius, nuntiata Memnonis morte haud secus quam par erat motus, ommissa omni alia spe, statuit ipse decernere: quippe quae per duces suos acta erant, cuncta damnabat, ratus, pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam. 2. Igitur castris ad Babylonem positis, quo maiore animo capesserent bellum, universas vires in conspectum dedit: et circumdato vallo, quod decem millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniiit. 3. Orto sole ad noctem agmina, sicut descripta erant, intravere vallum. Inde occupaverunt emissa Mesopotamiae campos: equitum peditumque propemodum innumerabilis turba, maiorem quam pro numero speciem gerens. 4. Persarum erant centum millia: in quibus eques triginta millia implebat. Medi decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. 5. Barcanorum equitum duo millia fuere, armati bipen-

nibus levibusque scutis, cetrae maxime speciem reddentibus: peditum decem millia pari armatu sequebantur. 6. Armenii quadraginta millia miserant peditum, additis septem millibus equitum. Hyrcani egregii, ut inter illas gentes, sex millia expleverant, additis equitibus militatura. 7. Derbices quadraginta millia peditum armaverant: pluribus aere aut ferro praefixae hastae; quidam lignum igni duraverant. Hos quoque duo millia equitum ex eadem gente comitata sunt. 8. A Caspio mari octo millium pedester exercitus venerat: ducenti equites cum his erant. Ignobiles aliae gentes duo millia peditum, equitum duplicem paraverant numerum. 9. His copiis triginta millia Graecorum mercede conducta, egregiae iuventutis, adiecta sunt. Nam Bactrianos, et Sogdianos, et Indos, ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri. 10. Nec quicquam illi minus, quam multitudo militum, defuit. Cuius tum universae ad spectu admodum laetus, purpuratis solita vanitate spem eius infantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum, et ob exilium infestum Alexandro, (quippe Athenis iubente eo fuerat expulsus,) percontari coepit, satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem? 11. At ille, et suae sortis et regiae superbiae oblitus, *Verum, inquit, et tu forsitan audire nolis: et ego, nisi nunc dixero, alias nequidquam confitebor.* 12. *Hic tanti apparatus exercitus, haec tot gentium et totius Orientis excita sedibus suis moles finitimis tuis potest esse terribilis: nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia, quantam qui oculis non subiecere, animis concipere non possunt.* 13. *Sed Macedonum acies, torva sane et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos et conserta robora virorum tegit. Ipsi phalangem vocant, peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt: ad nutum momentis intenti, sequi signa, ordines servare didicere.*

14. *Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis, quam milites callent.* 15. *Ac ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, quem occupant, satiat: tempora somni artiora quam noctis sunt.* 16. *Iam Thessali equites et Acarnanes Aetoli- que, invicta bello manus, fundis, credo, et hastis igne duratis repellentur? Pari robore opus est. In illa terra, quae hos genuit, auxilia quaerenda sunt: argentum istud atque aurum ad conducendum militem mitte.* 17. *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac supplicem, tunc quum maxime utilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium.* 18. *Ille, ne tum quidem libertatis oblitus, habeo, inquit, paratum mortis meae ultorem: expetet poenas mei consilii sprete ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni tam subito mutatus, documentum eris posteris, homines, quum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere.* 19. *Haec vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant. Sera deinde poenitentia subiit regem, ac vera dixisse confessus, eum sepeliri iussit.*

III. *Thymodes erat Mentoris filius, impiger iuvenis: cui praeceptum est a rege, ut omnes peregrinos milites, in quibus plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet, opera eorum usurus in bello: ipsi Pharnabazo tradit imperium, quod ante Memnoni dederat.* 2. *Anxium de instantibus curis, agitabant etiam per somnum species imminentium rerum, sive illas aegritudo sive divinatio animi praesagientis accersit.* 3. *Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt; et paullo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset; equo deinde per Babylonem vectus, subito cum ipso equo oculis esse subductus.* 4. *Ad haec vates varia interpretatione*

curam distrinxerant; alii laetum id regi somnium esse dicebant, quod castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico et vulgari habitu perductum esse vidisset. 5. Quidam contra augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere: quem regnum Asiae occupaturum esse, haud ambigere, quoniam in eodem habitu Darius fuisset, quum appellatus est rex. 6. Vetera quoque omina, ut fit, sollicitudo revocaverat: Darium enim in principio imperii vaginam acinacis Persicam iussisse mutari in eam formam, qua Graeci uterentur; protinusque Chaldaeos interpretatos, imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus. 7. Ceterum ipse et vatum responso, quod edebatur in vulgus, et specie, quae per somnum oblata erat, admodum laetus, castra ad Euphraten moveri iubet. 8. Patrio more Persarum traditum est, orto sole demum procedere. Die iam illustri, signum e tabernaculo regis buccinâ dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. 9. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi sacrum et aeternum vocabant, argenteis altaribus praeferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant. 10. Magos trecenti et sexaginta quinque iuvenes sequebantur, puniceis amictibus velati, diebus totius anni pares numero; quippe Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. 11. Currum deinde Iovi sacratum albentes vehebant equi: hos eximiae magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur. Aureae virgae et albae vestes regentes equos adornabant. 12. Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque caelata. Sequebatur haec equitatus duodecim gentium, variis armis et moribus. 13. Proximi ibant quos Persae Immortales vocant, ad decem millia. Cultus opulentiae barbarae non alios magis honestabat: illi

aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. 14. Exiguo intervallo, quos cognatos regis appellant, decem et quinque millia hominum. Haec vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis quam decoris armis conspicua erat. 15. Doryphori vocabantur proximum his agmen, soliti vestem excipere regalem. Hi currum regis anteibant, quo ipse eminens vehebatur. 16. Utrumque currus latus deorum simulacra ex auro argentoque expressa decorabant: distinguebant internitentes gemmae iugum; ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. Inter haec auream aquilam, pinnas extendenti similem, sacrauerant. 17. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureae tunicae medium album intextum erat: 18. pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant; et zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemma vagina erat. 19. Cidarim Persae regium capitis vocabant insigne: hoc caerulea fascia albo distincta circumibat. 20. Currum decem millia hastatorum sequebantur: hastas argento exornatas, spicula auro praefixa gestabant. 21. Dextra laevaue regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regis quadringenti sequebantur. 22. Intervallo deinde unius stadii, matrem Darii Sysigambim currus vehebat; et in alio erat coniux. Turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. 23. Quindecim deinde, quas armamaxas appellant, sequebantur. In his erant liberi regis, et qui educabant eos, spadonumque grex, haud sane illis gentibus vilis. 24. Tum regiae pellices trecentae sexaginta vehebantur, et ipsae regali cultu ornatuque. Post quas pecuniam regis sexcenti muli et trecenti cameli vehebant, praesidio sagitta-

riorum prosequente. 25. Propinquorum amicorumque coniuges huic agmini proximae, lixarumque et calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quisque ducibus, qui cogere agmen, leviter armati. 26. Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat, equis virisque non auro, non discolori veste, sed ferro atque aere fulgentibus. 27. Agmen et stare paratum, et sequi: nec turba, nec sarcinis praegrave: intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum. Et castris locus, et exercitui commeatus suppetebant. 28. Ergo Alexandro in acie miles non defuit: Darius, tantae multitudinis rex, loci, in quo pugnavit, angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat.

IV. Interea Alexander, Abistamene Cappadociae praeposito, Ciliciam petens cum omnibus copiis [in] regionem, quae Castra Cyri appellatur, pervenerat. Stativa illic habuerat Cyrus, quum adversus Croesum in Lydiam exercitum duceret. 2. Aberat ea regio quinquaginta stadia ab aditu, quo Ciliciam intramus: Pylas incolae dicunt, arctissimas fauces, munimenta quae manu ponimus naturali situ imitante. 3. Igitur Arsames, qui Ciliciae praeerat, reputans quid initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium sero exsequi statuit: igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat: quidquid usui esse potest, corrumpit; sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus. 4. Sed longe utilius fuit, angustias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare praesidio, iugumque opportune itineri imminens obtinere, unde inultus subeuntem hostem aut prohibere aut opprimere potuisset. 5. Nunc paucis, qui calibus praesiderent, relictis, retro ipse concessit, populator terrae, quam a populationibus vindicare debuerat. Ergo qui relictis erant, proditos se rati, ne conspectum quidem hostis sustinere voluerunt, quum vel pauciores locum obtinere potuissent. 6. Nam-

que perpetuo iugo montis asperi ac praerupti Cilicia includitur; quod quum a mari adsurgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum litus excurrit. 7. Per hoc dorsum, qua maxime introrsum mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt; quorum uno Cilicia intranda est; campestris eadem, qua vergit ad mare, planitiem eius crebris distinguentibus rivis: Pyramus et Cydnus, inclyti amnes, fluunt. 8. Cydnus non spatio aquarum sed liquore memorabilis: quippe leni tractu a fontibus labens, puro solo excipitur: nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. 9. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amoenitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare evadit. 10. Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes, Lyrnessi et Thebes; Typhonis quoque specus, et Corycium nemus, ubi crocum gignitur; ceteraque, in quibus nihil praeter famam duraverat. 11. Alexander fauces iugis, quae Pylae appellantur, intravit. Contemplatus locorum situm, non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem suam: obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui in subeuntes propellerent. 12. Iter vix quaternos capiebat armatos; dorsum montis imminebat viae, non angustae modo, sed plerumque praeruptae, crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium manant. 13. Thracas tamen leviter armatos praecedere iusserat, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes erumperet. Sagittariorum quoque manus occupaverat iugum: intentos arcus habebant, moniti, non iter ipsos inire, sed proelium. 14. Hoc modo agmen pervenit ad urbem Tarson, cui tum maxime Persae subiiciebant ignem, ne opulentum oppidum hostis invaderet. 15. At ille, Parmenione ad inhibendum incendium cum expedita manu praemisso, posteaquam barbaros ad-

ventu suorum fugatos esse cognovit, urbem a se conservatam intrat.

V. Mediam Cydnus annis, de quo paullo ante dictum est, interfluit; et tunc aestas erat, cuius calor non aliam magis quam Ciliciæ oram vapore solis accendit: et diei fervidissimum tempus coeperat. 2. Pulvere ac sudore simul perfusum regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste deposita, in conspectu agminis (decorum quoque futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum,) descendit in flumen; 3. vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt: pallor deinde suffusus est, et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. 4. Exspiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt. Ingens sollicitudo, et paene iam luctus, in castris erat. 5. Flentes querebantur, in tanto impetu cursuque rerum, omnis aetatis ac memoriae clarissimum regem non in acie saltē, non ab hoste deiectum, sed abluentem aqua corpus, ereptum esse et extinctum. 6. Instare Darium, victorem, antequam vidisset hostem. Sibi easdem terras, quas victores peragrassent, repetendas: omnia aut ipsos, aut hostes populos: per vastas solitudines, etiamsi nemo insequi velit, euntes, fame atque inopia debellari posse. 7. Quem signum daturum fugientibus? quem ausurum Alexandro succedere? Iam ut ad Hellespontum fuga penetrarent, classem, qua transeant, quem praeparaturum? 8. Rursus in ipsum regem misericordia versa, illum florem iuventae, illam vim animi, eundem regem et commilitonem divelli a se et abripi, immemores sui querebantur. 9. Inter haec liberius meare spiritus coeperat: allevabat rex oculos, et paullatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat: laxataque vis morbi ad hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. 10. Animum au-

tem aegritudo corporis urgebat; quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur. Vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi e manibus, obscuraque et ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. 11. Admissisque amicis pariter et medicis: *In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire videor, et qui ultro intuli bellum, iam provocor.* 12. *Darius ergo quum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet.* 13. *Lenta remedia et segnes medicos non expetunt tempora mea: vel mori strenue, quam tarde convalescere, mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quam belli remedium quaerere.* 14. Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas eius. Ergo pro se quisque precari coepere, ne festinatione periculum augetet, sed esset in potestate medentium: 15. inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem eius etiam a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis. 16. Quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronuntiari iusserat. Itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experi remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

VI. Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem secutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puero comes et custos salutis datus, non ut regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. 2. Is non praeceps se, sed strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potionem medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum eius placebat, praeter ipsum, cuius periculo pollicebatur. 3. Omnia quippe facilius, quam moram, perpeti poterat: arma et acies in oculis erant, et victoriam in eo positam esse arbitrabatur, si tantum ante signa stare

potuisset: id ipsum, quod post diem tertium medicamentum sumturus esset (ita enim medicus praedixerat) aegre ferens. 4. Inter haec a Parmenione, fiddissimo purpuratorum, literas accipit, quibus ei denuntiabat, ne salutem suam Philippo committeret. Mille talentis a Dario, et spe nuptiarum sororis eius esse corruptum. 5. Ingentem animo sollicitudinem literae incusserant; et quidquid in utramque partem aut metus aut spes subiecerat, secreta aestimatione pensabat. 6. *Bibere perseverem? ut, si venenum datum fuerit, ne immerito quidem, quidquid acciderit, evenisse videatur? Damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est, alieno me mori scelere, quam metu meo.* 7. Diu animo in diversa versato, nulli, quid scriptum esset, enuntiat: epistolamque, sigillo anuli sui impressam, pulvino, cui incumbebat, subiecit. 8. Inter has cogitationes biduo absumto, illuxit a medico destinatus dies: et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. 9. Quo viso, Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam a Parmenione missam sinistra manu tenens, accipit poculum, et haurit interritus; tum epistolam Philippum legere iubet; nec a vultu legentis movit oculos, ratus, aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere. 10. Ille, epistola perlecta, plus indignationis quam pavoris ostendit: proiectisque amiculo et literis ante lectum, *Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur.* 11. *Crimen parricidii, quod mihi obiectum est, tua salus diluet. Servatus a me vitam mihi dederis; oro quaesoque, omisso metu patere medicamentum concipi venis. Laxa paullisper animum, quem intempestiva sollicitudine amici sane fideles, sed moleste seduli turbant.* 12. Non securum modo haec vox, sed etiam laetum regem ac plenum bonae spei fecit. Itaque, *Si Dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quo maxime modo animum*

velles experiri meum, alio profecto voluisses, sed certiore quam expertus es, ne optasses quidem. 13. *Hac epistola accepta, tamen, quod dilueras, bibi: et nunc credo, te non minus pro tua fide, quam pro mea salute esse sollicitum.* Haec elocutus dextram Philippo offert. 14. Ceterum tanta vis medicaminis fuit, ut, quae secuta sunt, criminationem Parmenionis adiuverint. Interclusus spiritus arcte meabat. Nec Philippus quidquam inexpertum omisit. Ille fomenta corpori admovit; ille torpentem nunc cibi nunc vini odore excitavit. 15. Atque ut primum mentis compotem esse sensit, modo matris sororumque, modo tantae victoriae appropinquantis admonere non destitit. 16. Ut vero medicamentum se diffudit in venas, et sensim toto corpore salubritas percipi potuit; primo animus vigorem suum, deinde corpus quoque exspectatione maturius recuperavit. Quippe post tertium diem, quam in hoc statu fuerat, in conspectum militum venit. 17. Nec avidius ipsum regem, quam Philippum, intuebatur exercitus: pro se quisque dextram eius amplexi, grates habebant, velut praesenti deo. Namque haud facile dictu est, praeter ingenitam illi genti erga reges suos venerationem, quantum huius utique regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint. 18. Iam primum nihil nisi divina ope aggredi videbatur: nam quum esset praesto ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. 19. Aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia eius opera honestabat. Et quae leviora haberi solent plerumque in re militari, gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos; cultus habitusque paullulum a privato abhorrens; militaris vigor: 20. quis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

VII. At Darius, nuntio de adversa valetudine eius accepto, celeritate, quanta poterat tam grave agmen,

ad Euphratem contendit: iunctoque eo pontibus, quinque tamen diebus traiecit exercitum, Ciliciam occupare festinans. 2. Iamque Alexander, viribus corporis receptis, ad urbem Solos pervenerat: cuius potitus, ducentis talentis nomine multae exactis, arci praesidium militum imposuit. 3. Vota deinde pro salute suscepta per ludum atque otium reddens, ostendit, quantâ fiduciâ Barbaros sperneret: quippe Aesculapio et Minervae ludos celebravit. 4. Spectanti nuntius laetus affertur ex Halicarnasso: Persas acie a suis esse superatos: Myndios quoque, et Caunios, et pleraque tractus eius suae facta ditionis. 5. Igitur edito spectaculo ludicro, castrisque motis, et Pyramo amne ponte iuncto, ad urbem Mallon pervenit: inde alteris castris ad oppidum Castabalum. 6. Ibi Parmenio regi occurrit, quem praemiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat. 7. Atque ille angustiis eius occupatis, et praesidio modico relicto, Isson quoque desertam a Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, praesidiis cuncta firmavit: occupatoque itinere, sicut paullo ante dictum est, idem et auctor et nuntius venit. 8. Isson deinde rex copias admovit: ubi consilio habito, utrumne ultra progrediendum foret, an ibi opperendi essent novi milites, quos ex Macedonia adventare constabat; Parmenio non alium locum proelio aptiorem esse censebat. 9. Quippe illic utriusque regis copias numero futuras pares, quum angustiae multitudinem non caperent: planitiem ipsis camposque esse vitandos, ubi circumiri, ubi accipi acie opprimi possent. Timere, ne non virtute hostium, sed lassitudine sua vincerentur. Persas recentes subinde successuros, si laxius stare potuissent. 10. Facile ratio tam salubris consilii accepta est. Itaque inter angustias saltus hostem opperiri statuit. 11. Erat in exercitu regis Sisenes Perses:

quondam a praetore Aegypti missus ad Philippum, donisque et omni honore cultus, exsilium patria sede mutaverat: secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. 12. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cuius signum haud sane notum erat, tradidit. Nabarzanes praetor Darii miserat eam, hortabaturque Sisenem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet: magno id ei apud regem honori fore. 13. Has literas Sisenes, utpote innoxius, ad Alexandrum saepe deferre tentavit: sed quum tot curis apparatuque belli regem videret urgeri, aptius subinde tempus exspectans, suspicionem initi scelesti consilii praebuit. 14. Namque epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam, ignoti annuli sigillo impresso, Siseni dari iusserat, ad aestimandam fidem barbari. 15. Qui quia per complures dies non adierat regem, scelesto consilio eam visus est suppressisse, et in agmine a Cretensibus, haud dubie iussu regis, occisus est.

VIII. Iamque Graeci milites, quos Thymodes a Pharnabazo acceperat, praecipua spes, et propemodum unica, ad Darium pervenerant. 2. Hi magno pere suadebant, ut retro abiret, spatiososque Mesopotamiae campos repeteret. Si id consilium damneret; at ille divideret saltem copias innumerabiles, ne sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur. 3. Minus hoc consilium regi, quam purpuratis eius displicebat: ancipitem fidem, et mercede venalem proditionem imminere; et dividi non ob aliud copias velle, quam ut ipsi in diversa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro. 4. Nihil tutius fore, quam circumdatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non inultae perfidiae futuros. 5. At Darius, ut erat sanctus et mitis, se vero tantum facinus negat esse facturum, ut suam secutos fidem, suos milites, iubeat trucidari. Quam deinde

amplius nationum exterarum salutem suam credituram sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? 6. Neminem stolidum consilium capite luere debere. Defuturos enim, qui suaderent, si suasisse periculosum esset. Denique ipsos quotidie ad se vocari in consilium, variasque sententias dicere; nec tamen melioris fidei haberi, qui prudentius suaserint. 7. Itaque Graecis nuntiari iubet: „ipsum quidem benevolentiae illorum gratias agere; ceterum, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum. Fama bella stare; et eum, qui recedat, fugere credi. 8. Trahendi vero belli vix ullam esse rationem. Tanta enim multitudini, utique quum iam hiems instaret, in regione vasta, et invicem a suis atque hoste vexata, non suffectura alimenta. 9. Ne dividi quidem copias posse servato more maiorum, qui universas vires semper discrimini bellorum obtulerint. 10. Et hercule terribilem antea regem, et absentia sua ad vanam fiduciam elatum, posteaquam adventare se senserit, cautum pro temerario factum, delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quae, strepitu praetereuntium audito, silvarum latebris se occuluerint. 11. Iam etiam valetudinis simulatione frustrari suos milites. Sed non amplius ipsum esse passurum detrectare certamen. In illo specu, in quem pavidi recessissent, oppressurum esse cunctantes.“ Haec magnificentius iactata, quam verius. 12. Ceterum pecunia omni rebusque pretiosissimis Damascus Syriae cum modico praesidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit, insequentibus more patrio agmen coniuge et matre. Virgines quoque cum parvo filio comitabantur patrem. 13. Forte eadem nocte et Alexander ad fauces, quibus Syria aditur, et Darius ad eum locum, quem Amanicas Py-las vocant, pervenit. 14. Nec dubitavere Persae, quin Isso relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Nam etiam saucii quidam et invalidi, qui

agmen non poterant persequi, excepti erant. 15. Quos omnes, instinctu purpuratorum, barbara feritate saevientium, praecisis adustisque manibus circumduci, ut copias suas noscerent; satisque omnibus spectatis, nuntiare quae vidissent regi suo, iussit. 16. Motis ergo castris, superat Pinarum amnem, in tergis, ut credebat, fugientium haesurus. At illi, quorum amputaverat manus, ad castra Macedonum penetrant, Darium, quam maximo cursu posset, sequi nuntiantes. 17. Vix fides habebatur. Itaque speculatores in maritimas regiones praemissos explorare iubet, ipsene adesset, an praefectorum aliquis speciem praebuisset universi venientis exercitus. 18. Sed quum speculatores reverterentur, procul ingens multitudo conspecta est. Ignes deinde totis campis collucere coeperunt, omniaque velut continenti incendio ardere visa: quum incondita multitudo maxime propter iumenta laxius tenderet. 19. Itaque eo ipso loco metari suos castra iusserat; laetus, quod omni expetiverat voto, in illis potissimum angustiis decernendum fore. 20. Ceterum, ut solet fieri, quum ultimi discriminis tempus adventat, in sollicitudinem versa fiducia est. Illam ipsam fortunam, qua adspirante res tam prospere gesserat, verebatur, nec iniuria ex his, quae tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat. Unam superesse noctem, quae tanti discriminis moraretur eventum. 21. Rursus occurrebant maiora periculis praemia: et, sicut dubium esset, an vinceret, ita illud utique certum esse, honeste et cum magna laude moriturum. 22. Itaque corpora milites curare iussit, ac deinde tertia vigilia instructos et armatos esse. Ipse in iugum editi montis adscendit, multisque collucentibus facibus patrio more sacrificium Diis praesidibus loci fecit. 23. Iamque tertium, sicut praeceptum erat, signum tuba miles acceperat, itineri simul paratus et proelio: strenueque iussi procedere, oriente luce pervenerunt

ad angustias, quas occupare decreverant. 24. Darium triginta inde stadia abesse praemissi indicabant. Tunc consistere agmen iubet; armisque ipse sumtis, aciem ordinabat. Dario adventum hostium pavidus agrestes nuntiaverunt, vix credenti occurrere etiam, quos ut fugientes sequebatur. 25. Ergo non mediocris omnium animos formido inceserat: quippe itineri quam proelio aptiores erant, raptimque arma capiebant. Sed ipsa festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, maiorem metum incussit. 26. Alii iniugum montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent: equos plerique frenabant. Discors exercitus, nec ad unum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbaverat. 27. Darius initio montis iugum cum parte copiarum occupare statuit, et a fronte et a tergo circumiturus hostem; a mari quoque, quo dexterum eius cornu tegebatur, alios obiecturus, ut undique urgeret. 28. Praeter haec viginti millia praemissa cum sagittariorum manu, Pinarum amnem, qui duo agmina interfluebat, transire, et obicere sese Macedonum copiis iusserat: si id praestare non possent, retrocedere in montes, et occulte circumire ultimos hostium. 29. Ceterum destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit: quippe alii prae metu imperium exsequi non audebant, alii frustra exsequebantur, quia, ubi partes labant, summa turbatur.

IX. Acies autem hoc modo stetit. Nabarzanes equitatu dextrum cornu tuebatur, additis funditorum sagittariorumque viginti fere millibus. 2. In eodem Thymodes erat, Graecis peditibus mercede conductis triginta millibus praepositus. Hoc erat haud dubium robur exercitus, par Macedonicae phalangi acies. 3. In laevo cornu Aristomedes Thessalus viginti millia barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. 4. Ipsum regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum

equitum, adsueta corporis custodiae, et pedestris acies quadraginta millia sequebantur. 5. Hyrcani deinde Medique equites: his proximi ceterarum gentium, dextra laevaue dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est, instructum, sex millia iaculatorum funditorumque antecedeabant. 6. Quidquid in illis angustiis adiri poterat, impleverant copiae; cornuaque hinc a iugo, illinc a mari stabant: uxorem matremque regis et alium feminarum gregem in medium agmen acceperant. 7. Alexander phalangem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte constituit. Dextrum cornu Nicanor, Parmenionis filius, tuebatur: huic proximi stabant Coenos, et Perdicas, et Meleager, et Ptolemaeus, et Amyntas, sui quisque agminis duces. 8. In laevo, quod ad mare pertinebat, Craterus et Parmenio erant; sed Craterus Parmenioni parere iussus. Equites ab utroque cornu locati: dexterum Macedones Thessalis adiunctis, laevum Peloponnenses tuebantur. 9. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque et Cretenses ante agmen ibant, et ipsi leviter armati. 10. At iis, qui praemissi a Dario iugum montis insederant, Agrianos opposuit, ex Graecia nuper advectos. Parmenioni autem praeceperat, ut, quantum posset, agmen ad mare extenderet, quo longius abesset montibus, quos occupaverant barbari. 11. At illi, neque obstare venientibus, nec circumire praetergressos ausi, funditorum maxime adspectu territi profugerant; eaque res tutum Alexandro agminis latus, quod ne superne inceretur timuerat, praestitit. 12. Triginta et duo armatorum ordines ibant; neque enim latius extendi aciem patiebantur angustiae. Paulatim deinde se laxare sinus montium, et maius spatium aperire coeperant; ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam a lateribus circumfundi posset equitatus.

X. Iam in conspectu, sed extra teli iactum, utraque acies erat; quum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. 2. Redditur et a Macedonibus, maior exercitus numero, iugis montium vastisque saltibus repercussus: quippe semper circumiecta nemora petraeque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato sono referunt. 3. Alexander ante prima signa ibat, identidem manusuos inhibens, ne impensius ob nimiam festinationem concitato spiritu capesserent proelium. 4. Quumque agmini obequitaret, varia oratione, ut cuiusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis, non ipsius magis, quam suo ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur. 5. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus imposituros iugum: Macedonum provincias Bactra et Indos fore. Minima esse, quae nunc intuerentur; sed omnia victoria aperiri. 6. Non in praeruptis petris Illyriorum et Thraciae saxis sterilem laborem fore; spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus; totam aciem suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli. 7. Victor ad haec Atheniensium Philippus pater vocabatur: domitaeque nuper Boeotiae, et urbis in ea nobilissimae ad solum dirutae species repraesentabatur animis. Iam Granicum amnem, iam tot urbes, aut expugnatas, aut in fidem acceptas, omniaque, quae post tergum erant, strata et pedibus ipsorum subiecta memorabat. 8. Quum adierat Graecos, admonebat, ab iis gentibus illata Graeciae bella, Darii prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam terramque poscentium, ut neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent. 9. Dein Deum templam ruinis et ignibus esse deleta, urbes eorum expugnatas, foedera humani divinique iuris violata, referebat.

Illyrios vero et Thracas, raptò vivere adsuetos, aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri iubebat, praedam, non arma gestantem. 10. Irent, et imbellibus feminis aurum viri eriperent. Aspera montium suorum iuga, nudosque colles, et perpetuo rigentes gelu, ditibus Persarum campis agrisque mutarent.

XI. Iam ad teli iactum pervenerant, quum Persarum equites ferociter in laevum cornu hostium inventi sunt. Quippe Darius equestri proelio decernere optabat, phalangem Macedonici exercitus robur esse coniectans. Iamque etiam dextrum Alexandri cornu circumibatur. 2. Quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenue transfert. 3. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, praefectum eorum occulte circumire tergum suorum iubet, Parmenionique coniungi, et quod is imperasset, impigre exsequi. 4. Iamque ipsi in medium Persarum undique circumfusi, egregie se tuebantur; sed conferti, et quasi cohaerentes, tela vibrare non poterant: simul ut erant emissa, in eosdem concurrentia implicabantur, levique et vano ictu pauca in hostem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigre stringunt. 5. Tum vero multum sanguinis fusum est. Duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent. Non timido, non ignavo cessare tum licuit: collato pede, quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. 6. Tum denum ergo promovebant gradum, quum hostem prostraverant. At illos novus excipiebat adversarius fatigatos: nec vulnerati, ut alias solent, acie poterant excedere, quum hostis instaret a fronte, a tergo sui urgerent. 7. Alexander non ducis magis, quam militis munia exsequabatur, opimum decus caeso rege expetens. Quippe Darius curru sublimis

eminebat, et suis ad se tuendum, et hostibus ad incessendum, ingens incitamentum. 8. Ergo frater eius Oxathres, quum Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum regis obiecit, armis et robore corporis multum super ceteros eminens, animo vero et pietate in paucissimis. Illo utique proelio clarus, alios improvide instantes prostravit, alios in fugam avertit. 9. At Macedones, qui circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero similis ruinae strages erat. Circa currum Darii iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, adverso corpore vulneribus acceptis. 10. Inter hos Atizyes, et Rheomithres, et Sataces praetor Aegypti, magnorum exercituum praefecti, noscitantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque, non quidem multi, sed promptissimi tamen, caesi sunt: inter quos Alexandri dexterum femur leviter mucrone perstrictum est. 11. Iamque qui Darium vehebant equi, confossi hastis et dolore efferati, iugum quaterre et regem curru excutere coeperant: quum ille, veritus ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, et in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur: insignibus quoque imperii, ne fugam proderent, indecore abiectis. 12. Tum vero ceteri dissipantur metu; et qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt, arma iacentes, quae paullo ante ad tutelam corporum sumpserant: adeo pavor etiam auxilia formidabat. 13. Instabat fugientibus eques a Parmenione missus, et forte in illud cornu omnes fuga abstulerat. At in dextro Persae Thessalos equites vehementer urgebant. 14. Iamque una ala ipso impetu proculcata erat: quum Thessali, strenue circumactis equis dilapsi, rursus in proelium redeunt, et sparsos in-compositosque victoriae fiducia barbaros ingenti caede

prosternunt. 15. Equi pariter equitesque Persarum, serie laminarum graves, agmen, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur: quippe in circumagendis equis suis Thessali multos occupaverant. 16. Hac tan prospera pugna nuntiata, Alexander, non ante ausus persequi barbaros, utrimque iam victor instare fugientibus coepit. 17. Haud amplius regem quam mille equites sequebantur; quum ingens multitudo hostium caderet. Sed quis aut in victoria, aut in fuga copias numerat? Agebantur ergo a tam paucis pecorum modo; et idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur. 18. At Graeci, qui in Darii partibus steterant, Amynta duce (praetor hic Alexandri fuerat, tunc transfuga) abrupti a ceteris, haud sane fugientibus similes evaserant. 19. Barbari longe diversam fugam intenderunt: alii, qua rectum iter in Persidem ducebat; quidam circumitu rupes saltusque montium occultos petivere; pauci castra Darii. 20. Sed iam illa quoque hostis victor intraverat, omni quidem opulentia ditia. Ingens auri argentique pondus, non belli sed luxuriae apparatus, diripuerant milites. Quumque plus raperent, passim strata erant itinera vilioribus sarcinis, quas in comparatione meliorum avaritia contempserat. 21. Iamque ad feminas perventum erat; quibus quo cariora ornamenta sunt, violentius detrahebantur: nec corporibus quidem vis ac libido parcebat. 22. Omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, castra repleverant; nec ulla facies mali deerat, quum per omnes ordines aetatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur. 23. Tunc vero impotentis fortunae species conspici potuit; quum ei, qui tum Dario tabernaculum exornaverant, omni luxu et opulentia instructum, eadem illa Alexandro, quasi venturo domino, reservabant. Namque id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent. 24. Sed omnium oculos ani-

mosque in semet adverterant captivæ mater coniunxque Darii: illa non maiestate solum, sed etiam ætate venerabilis: hæc formæ pulchritudine, nec illa quidem sorte corrupta. Receperat in sinum filium, nondum sextum ætatis annum egressum, in spem tantæ fortunæ, quantam paullo ante pater eius amiserat, genitum. 25. At in gremio anus aviæ iacebant adultæ virgines duæ, non suo tantum, sed etiam illius moerore confectæ. Ingens circa eas nobilium feminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores, reginas dominasque, veris quondam, tunc alienis nominibus, vocantes. 26. Illæ, suæ calamitatis oblitæ, in utro cornu Darius stetisset, quæ fortuna discriminis fuisset, requirebant. Negabant se captas, si viveret rex. Sed illum, equos subinde mutantem, longius fuga abstulerat. 27. In acie autem caesa sunt Persarum peditum centum millia, decem [verò millia interfecta] equitum. At a parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuere, triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt: equitum centum quinquaginta interfecti. Tantulo impendio ingens victoria stetit.

XII. Rex, diu Darium persequendo fatigatus, posteaquam et nox appetebat, et eum assequendi spes non erat, in castra paullo ante a suis capta pervenit. 2. Invitari deinde amicos, quibus maxime adsueverat, iussit; quippe summa dumtaxat cutis in femine perstricta, non prohibebat interesse convivio; quum repente e proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro ululatu planctuque permixtus, epulantes conterrit. 3. Cohors quoque, quæ excubabat ad tabernaculum regis, verita, ne maioris motus principium esset, armare se coeperat. 4. Causa subiti pavoris fuit, quod mater uxorque Darii cum captivis mulieribus nobilibus, regem, quem interfectum esse credebant, ingenti genitu eiulatuque deflebant. 5.

Unus namque e captivis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius, sicut paullo ante dictum est, ne cultu prodere-
tur, abiecerat, in manibus eius, qui repertum ferebat, agnovit: ratusque, interfecto detractum esse, falsum nuntium mortis eius attulerat. 6. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunae Darii et pietati earum illacrimasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardeis tradiderat, peritum Persicae linguae, ire ad consolandas eas iusserat. 7. Veritus deinde, ne proditor captivarum iram doloremque gravaret, Leonnatum ex purpuratis suis misit, iussum indicare, falso lamentari eas Darium vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, pervenit, missumque se a rege nuntiari iubet. 8. At ii, qui in vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in tabernaculum currunt, vociferantes, adesse supremam horam, missosque qui occiderent captas. 9. Itaque, ut quae nec prohibere possent, nec admittere auderent; nullo responso dato, tacitae opperiebantur victoris arbitrium. 10. Leonnatus exspectato diu qui se introduceret, posteaquam nemo procedere audebat, relictis in vestibulo satellitibus, intrat in tabernaculum. Ea ipsa res turbaverat feminas, quod irrupisse, non admissus videbatur. 11. Itaque mater et coniunx provolutae ad pedes, orare coeperunt, ut, priusquam interficerentur, Darii corpus ipsis patrio more sepelire permitteret: functas supremo in regem officio se impigre morituras. 12. Leonnatus, et vivere Darium, et ipsas non incolumes modo, sed etiam apparatu pristinae fortunae reginas fore. Tum demum mater Darii allevari se passa est. 13. Alexander postero die, cum cura sepultis militibus, quorum corpora invenerat, Persarum quoque nobilissimis eundem honorem haberi iubet, matrique Darii permitti, quos vellet, patrio more sepeliret. 14. Illa paucos arcta propin-

quitate coniunctos, pro habitu praesentis fortunae humari iussit; apparatus funerum, quo Persae suprema officia celebrarent, invidiosum fore existimans, quum victores haud pretiose cremarentur. 15. Iamque iustis defunctorum corporibus solutis, praemittit ad captivas, qui nuntiarent, ipsum venire: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephæstione intrat. 16. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus; secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat; quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindictatum ab eo videretur: et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. 17. Ergo reginae illum regem esse ratae, suo more veneratae sunt. Inde spadonibus captivis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis advoluta est pedibus eius, ignorationem nunquam antea visi regis excusans. Quam manu adlevans rex, *non errasti*, inquit, *mater: nam et hic Alexander est.* 18. Equidem, hac contentia animi si ad ultimum vitae perseverare potuisset, feliciorum fuisse crederem, quam visus est esse, quum Liberi patris imitaretur triumphum; ab Helle-sponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus. 19. Vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta: abstinuisset inter epulas caedibus amicorum: egregiosque bello viros, et tot gentium secum domitores, indicta causa veritus esset occidere. 20. Sed nondum fortuna se animo eius superfuderat. Itaque orientem eam moderate et prudenter tulit; ad ultimum magnitudinem eius non cepit. 21. Tunc quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et contentia et clementia vinceret. 22. Virgines enim reginas excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse, parente genitae forent: coniugem eiusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit,

ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet: 23. omnem cultum reddi feminis iussit: nec quidquam ex pristinae fortunae magnificentia captivis, praeter fiduciam, defuit. 24. Itaque Sysigambis, rex, inquit, mereris, ut ea precemur tibi, quae Dario nostro quondam precatæ sumus: et, ut video, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaveris. 25. Tu quidem matrem me et reginam vocas: sed ego me tuam famulam esse confiteor. Et praeteritæ fortunæ fastigium capio, et præsentis iugum pati possum: tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia, quam sævitia, vis esse testatum. Rex bonum animum habere eas iussit. 26. Darii deinde filium collo suo admovit. Atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus, cervicem eius manibus amplectitur. Motus ergo rex constantia pueri, Hephaestionem intuens, quam vellem, inquit, Darius aliquid ex hac indole hausisset! 27. Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa Pinari annis, Iovi atque Herculi Minervæque sacratis, Syriam petit; Damascum, ubi regis gaza erat, Parmenione præmisso.

XIII. Atque is, quum præcessisse Darii satrapam comperisset, veritus, ne paucitas suorum spernere-tur, accersere maiorem manum statuit. 2. Sed forte in exploratores ab eo præmissos incidit natio Mardus, qui ad Parmenionem perductus, literas ad Alexandrum, a præfecto Damasci missas, tradit ei; nec dubitare eum, quin omnem regiam supellectilem cum pecunia traderet, adiecit. 3. Parmenio, asservari eo iusso, literas aperit: in quibus erat scriptum, ut mature Alexander aliquem ex ducibus suis mitteret, cum manu exigua. Itaque re cognita, Mardum datis comitibus ad proditorem remittit. Ille, e manibus custodientium lapsus, Damascum ante lucem intrat. 4. Turbaverat ea res Parmenionis animum insidias timentis; et ignotum iter sine duce non audebat ingre-

di: felicitati tamen regis sui confisus, agrestes, qui duces itineris essent, excipi iussit. Quibus celeriter repertis, quarto die ad urbem pervenit, iam metuente praefecto, ne sibi fides habita non esset. 5. Igitur, quasi parum munimentis oppidi fidens, ante solis ortum pecuniam regiam, (gazam Persae vocant,) cum pretiosissimis rerum efferri iubet, fugam simulans, re vera, ut praedam hosti offerret. 6. Multa millia virorum feminarumque excedentem oppido sequebantur; omnibus miserabilis turba, praeter eum, cuius fidei commissa fuerat. Quippe quo maior proditoris merces foret, obiicere hosti parabat gratiorem omni pecunia praedam, nobiles viros, praetorum Darii coniuges liberosque; praeter hos urbium Graecarum legatos, quos Darius velut in arce tutissima, in proditoris reliquerat manibus. 7. Gangabas Persae vocant humeris onera portantes: hi quum frigus tolerare non possent, (quippe et procella subito nivem effuderat, et humus rigebat gelu) tum adstrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro et purpura insignes, induunt, nullo prohibere auso, quum fortuna regis etiam humillimis in ipsum licentiam faceret. 8. Praebuere ergo Parmenioni non spernendi agminis speciem; qui intentiore cura suos, quasi ad iustum proelium, paucis adhortatus, equis calcaria subdere iubet, et acri impetu in hostem invèhi. 9. At illi, qui sub oneribus erant, omissis illis, per metum capessunt fugam: armati quoque, qui eos prosequerantur, eodem metu arma iactare, ac nota diverticula petere coeperunt. 10. Praefectus, quasi et ipse conterritus, [simulans] cuncta pavore compleverat. Iacebant totis campis opes regiae: illa pecunia stipendio ingenti militum praeparata: ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium feminarum: aurea vasa, aurei fraeni, tabernacula regali magnificentia ornata: 11. vehicula quoque a suis destituta, ingentis opulentiae plena, facies etiam praedantibus tristis,

si qua re avaritia moveretur. Quippe tot annorum incredibili et fidem excedente fortuna cumulata tunc alia stirpibus dilacerata, alia in coenum demersa eruebantur: non sufficiebant praedantium manus praedae. 12. Iamque etiam ad eos, qui primi fugerant, ventum erat: feminae pleraeque parvos trahentes liberos ibant. Inter quas tres fuere virgines, Ochi, qui ante Darium regnaverat, filiae, olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractae, sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna. 13. In eodem grege uxor quoque eiusdem Ochi fuit, Oxathrisque (frater hic erat Darii) filia, et coniunx Artabazi, principis purpuratorum, et filius, cui Ilio-neo fuit nomen. 14. Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritimae orae rex dederat, uxor cum filio excepta est: Mentoris filiae tres: ac nobilissimi ducis Memnonis coniunx et filius. Vixque ulla domus purpurati fuit tantae cladis expers. 15. Lacedaemonii quoque et Athenienses, societatis fide violata, Persas secuti; Aristogiton, Dropides et Iphicrates, inter Athenienses genere famaue longe clarissimi; Lacedaemonii Pausippus et Onomastorides, cum Monimo et Callicratide, ii quoque domi nobiles. 16. Summa pecuniae signatae fuit talentorum duo millia et sexaginta; facti argenti pondus quingenta aequabat. Praeterea triginta millia hominum, cum septem millibus iumentorum, dorso onera portantium, capta sunt. 17. Ceterum Dii tantae fortunae proditorem celeriter debitâ poenâ persecuti sunt. Namque unuse consciis eius, credo regis vicem etiam in illa sorte reveritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito: quippe et ultus inimicum erat, et nondum in omnium animis memoriam maiestatis suae exolevisse cernebat.

Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER IV.

ARGUMENTUM.

1. Alexander literis a Dario superbe scriptis regie respondet. Abdolonimum Sidoniis regem praeficit. Amyntas transfuga, miro modo a Persis ipsis occiditur. Variarum variis locis praefectorum Darii clades. 2. Tyrus urbs, incolis Alexandrum recipere recusantibus, obsidetur; 3. quae obsidio dubiis belli eventibus admodum nobilitata est. 4. Tandem victa, maxima hominum strage facta, luctuoso deformatur incendio. 5. Darii iterata de pace submissiorque legatio ab Alexandro repudiatur; quo facto Graeci eum corona aurea donant: ille per praefectos plerasque Persarum provincias in potestatem suam redigit. 6. Ad bellum dum se accingit Darius, Alexander Gazam expugnat: eiusque praefectum Batim crudeli afficit supplicio. 7. Dein Aegyptum pergit, et adit Iovis Hammonis oraculum. 8. In Aegypto Alexandriam condit;

Memphim petit, et res Aegypti ordinat. 9. Darius ad Arbela pervenit, eoque invito Alexander Tigrim superat. 10. Milites, ob lunae defectum turbatos, per Aegyptios vates confirmat Alexander. Persas vastatores coniciit in fugam. Darii uxor captiva, moerore confecta, supremum diem claudit, unde Alexandri lacrimae. Darii suspiciones, luctus et vota. 11. Pacem tertio quaesitam Darius non impetrat; immo ad deditiōnem, aut ad bellum ab Alexandro provocatur. 12. Ad proelium dum Persarum se exercitus parat, Macedones Panico quodam defuncti terrore arma alacriter capessunt. 12. Consilia de nocturno proelio Parmenionis et Polypercontis Alexander damnat: somnoque reffectus, interrito vultu suos ad pugnam accendit. 14. Alexandri ad Graecorum, Dariique ad Persarum exercitus ante pugnam orationes. 15. Cruenti ad Arbela proelii descriptio. Victor Alexander Darium victum persequitur. 16. Parmenio in discrimine constitutus, Alexandrum retrahit. Tandem integra victoria potiti Macedones, reliquos Persas, multis suorum millibus desideratis, fuga sibi quaerere salutem cogunt.

1. **D**arius, tanti modo exercitus rex, qui triumphantis magis, quam dimicantis more, currusublimis inierat proelium; per loca, quae prope immensis agminibus impleverat, iam inania et ingenti solitudine vasta, fugiebat. 2. Pauci regem sequebantur: nam nec eodem omnes fugam intenderant; et deficientibus equis, cursum eorum, quos rex subinde mutabat, aequare non poterant. 3. Onchas [deinde] pervenit, ubi exceperē eum Graecorum quatuor millia, cum quibus ad Euphratem contendit, id demum credens fore ipsius, quod celeritate praeripere potuisset. 4. At Alexander Parmenionem, per quem apud Damascum recepta erat praeda, iussum eam ipsam et captivos diligenti asservare custodia, Syriae, quam Coelen vocant, praefecit. 5. Novum imperium Syri, nondum belli cladibus satis domiti,

aspernabantur: sed celeriter subacti, obedientes imperata fecerunt. Aradus quoque insula deditur regi. 6. Maritimam tum oram, et pleraque longius etiam a mari recedentia, rex eius insulae Strato possidebat: quo in fidem accepto, castra movit ad urbem Marathon. 7. Ibi illi literae a Dario redduntur; quibus, ut superbe scriptis, vehementer offensus est. Praecipue eum movit, quod Darius sibi regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adscripserat. 8. Postulabat autem magis quam petebat, „ut, accepta pecunia, quantamcunque tota Macedonia caperet, matrem sibi ac coniugem liberosque restitueret: de regno, aequo, si vellet, Marte contenderet. 9. Si saniora consilia tandem pati potuisset, contentus patrio, cederet alieni imperii finibus: socius amicusque esset. In ea se fidem et dare paratum et accipere.“ 10. Contra Alexander in hunc maxime modum rescripsit: *Rex Alexander Dario. Cuius nomen sumpsisti, Darius, Graecos, qui oram Hellesponti tenent, coloniasque Graecorum Ionias, omni clade vastavit: cum magno deinde exercitu mare traiecit, illato Macedoniae et Graeciae bello.* 11. *Rursus [rex] Xerxes gentis eiusdem, ad oppugnandos nos cum immanium barbarorum copiis venit: qui, navali proelio victus, Mardonium tamen reliquit in Graecia, ut absens quoque popularetur urbes, agros ureret.* 12. *Philippum vero parentem meum quis ignorat ab his interfectum esse, quos ingentis pecuniae spe sollicitaverant vestri? Impia enim hel-la suscipitis, et quum habeatis arma, licemini hostium capita: sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere voluisti.* 13. *Repello igitur bellum, non infero: et Diis quoque pro meliore stantibus causa, magnam partem Asiae in ditionem redegi meam: te ipsum acie vici. Quem etsi nihil a me impetrare oportebat, [quod petieras,] utpote qui ne belli quidem in me iura servaveris; tamen si veneris supplex, et matrem et coniugem et liberos sine pretio*

recepturum te esse promitto. *Et vincere et consulere victis scio.* 14. *Quodsi te nobis committere times, dabimus fidem, impune venturum.* De cetero, quum mihi scribes, memento non solum regi te, sed etiam tuo, scribere. 15. Ad hanc perferendam Thersippus est missus. Ipse in Phoenicem descendit, et oppidum Byblon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum est, urbem vetustate famaue conditorum inclutam. 16. Regnabat in ea Strato, Darii opibus adiutus: sed quia deditionem magis popularium, quam sua sponte fecerat, regno visus indignus: Hephaestionique permissum, ut, quem eo fastigio Sidone dignissimum arbitraretur, constitueret regem. 17. Erant Hephaestioni hospites, clari inter suos, iuvenes: qui, facta ipsis potestate regnandi, negaverunt quemquam patrio more in id fastigium recipi, nisi regia stirpe ortum. 18. Admiratus Hephaestio magnitudinem animi, spernentis quod alii per ignes ferrumque peterent, *Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset, regnum fastidire, quam accipere.* Ceterum date aliquem regiae stirpis, qui meminert, a vobis acceptum habere se regnum. 19. At illi, quum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri ob nimiam regni cupiditatem adulantes, statuunt, neminem esse potioem, quam Abdolonimum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiae annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. 20. Causa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusserat, non exaudiebat. 21. Subito deinde, de quibus ante dictum est, cum regiae vestis insignibus hortum intrant, quem forte steriles herbas eligens, Abdolonimus repurgabat. 22. Tunc rege eo salutato, alter ex his: *Habitus, inquit, hic, quem cervis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est.* Ablue corpus illuvie aeternisque sordibus squa-

lidum: cape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et quum in regali solio residebis, vitae necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris huius status, in quo accipis regnum; immo hercule, propter quem. 23. Somnio similis res Abdolonimo videbatur: interdum, satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percontabatur. Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et iniecta vestis purpura auroque distincta, et fides a iurantibus facta, serio iam rex, iisdem comitibus in regiam pervenit. 24. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit: aliorum studium, aliorum indignatio eminebat: ditissimus quisque humilitatem inopiamque eius apud amicos Alexandri criminabatur. 25. Admitti eum rex protinus iussit; diuque contemplatus, *corporis, inquit, habitus famae generis non repugnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris?* Tum ille, *utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim! Hae manus suffecere desiderio meo: nihil habenti nihil defuit.* 26. Magnae indolis specimen ex hoc sermone Abdolonimi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei iussit, sed pleraque etiam ex Persica praeda: regionem quoque urbi appositam ditioni eius adiecit. 27. Interea Amyntas, quem ad Persas ab Alexandro transfugisse diximus, cum quatuor millibus Graecorum, ipsum ex acie persecutis, fuga Tripolim pervenit. Inde, in naves militibus impositis, Cyprum transmisit: et quum in illo statu rerum id quemque, quod occupasset, habiturum arbitraretur, velut certo iure possessum; Aegyptum petere decrevit, utrique regi hostis, et semper ex ancipiti mutatione temporum pendens. 28. Hortatusque milites ad spem tantae rei, docet, Satacem praetorem Aegypti cecidisse in acie: Persarum praesidium et sine duce esse, et invalidum: Aegyptios, semper praetoribus eorum infestos, pro sociis ipsos, non pro hostibus aestimatuos. 29. Omnia

experiri necessitas cogebat: quippe quum primas spes fortuna destituit, futura praesentibus videntur esse potiora. Igitur conclamant, duceret, quo videretur. Atque ille utendum animis, dum spe calerent, ratus, ad Pelusii ostium penetrat, simulans a Dario se esse praemisum. 30. Potitus ergo Pelusii, Memphim copias promovit: ad cuius famam Aegyptii, vana gens, et novandis quam gerendis aptior rebus, ex suis quique vicis urbibusque ad hoc ipsum concurrunt, delenda praesidia Persarum. Qui territi, tamen spem obtinendi Aegyptum non amiserunt. 31. Sed eos Amyntas proelio superatos, in urbem compellit; castrisque positus, victores ad populandos agros eduxit: ac velut in medio positus omnibus, hostium cuncta agebantur. 32. Itaque Mazaces, quamquam infelici proelio suorum animos territos esse cognoverat, tamen palantes et victoriae fiducia incautos ostentans, perpulit, ne dubitarent ex urbe erumpere, et res amissas recuperare. 33. Id consilium non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit. Ad unum omnes cum ipso duce occisi sunt. Has poenas Amyntas utrique regi dedit, nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quam illi, quem deseruerat. 34. Darii praetores, qui proelio apud Isson superfuerant, cum omni manu, quae fugientes secuta erat, assumpta etiam Cappadocum et Paphlagonum iuventute, Lydiam recuperare tentabant. 35. Antigonus, praetor Alexandri, Lydiae praeerat: qui, quamquam plerosque militum ex praesidiis ad regem dimiserat, tamen, barbaris spretis, in aciem suos eduxit. Eadem illic quoque fortuna partium fuit; tribus proeliis alia atque alia regione commissis, Persae funduntur. 36. Eodem tempore classis Macedonum, ex Graecia accita, Aristomenem, qui ad Hellesponti oram recuperandam a Dario erat missus, captis eius aut demersis navibus superat. 37. A Milesiis deinde Pharnabazus praefectus Persicae clas

sis pecunia exacta, et praesidio in urbem Chium introducto, centum navibus Andrum, et inde Syphnum petiit. Eas quoque insulas praesidiis occupat; pecunia mulctat. 38. Magnitudo belli, quod ab opulentissimis Europae Asiaeque regibus in spem totius orbis occupandi gerebatur, Graeciae quoque et Cretae arma commoverat. 39. Agis Lacedaemoniorum rex, octo millibus Graecorum, qui ex Cilicia profugi domos repetierant, contractis, bellum Antipatro Macedoniae praefecto moliebatur. 40. Cretenses, has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum praesidiis occupabantur. Sed leviora inter illos fuere discrimina; unum certamen, ex quo cetera pendebant, intuente fortuna.

II. Iam tota Syria, iam Phoenice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant; habebatque rex castra in continenti, a quo urbem angustum fretum dirimit. 2. Tyrus, et claritate et magnitudine ante omnes urbes Syriae Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream legati donum afferebant; commeatusque large et hospitaliter ex oppido advenxerant. 3. Ille dona, ut ab amicis, accipi iussit; benigneque legatos allocutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare velle se dixit: Macedonum reges credere, ab illo Deo ipsos genus ducere: se vero, ut id faceret, etiam oraculo monitum. 4. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem, in ea sede, quam Palaetyron ipsi vocent: ibi regem Deo sacrum rite facturum. 5. Non tenuit iram Alexander, cuius alioqui potens non erat. Itaque, *vos quidem, inquit, fiducia loci, quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis: sed brevi ostendam, in continenti vos esse. Proinde sciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum.* 6. Cum hoc responso dimissos monere amici coeperunt, ut regem, quem Syria, quem Phoenice recepisset, ipsi quoque

urbem intrare paterentur. At illi, loco satis fisi, obsidionem ferre decreverant. 7. Namque urbem a continenti quatuor stadiorum fretum dividit, Africo maxime obiectum, crebros ex alto fluctus in litus evolvens. 8. Nec accipiendo operi, quo Macedones continenti insulam iungere parabant, quidquam magis, quam ille ventus, obstabat. Quippe vix leni et tranquillo mari moles agi possunt; Africanus vero prima quaeque congesta pulsu illisa maris subruit: nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae per nexus operum manantes, et ubi acrior flatus existit, summi operis fastigio superfusae. 9. Praeter hanc difficultatem haud minor alia erat; muros turresque urbis praealtum mare ambiebat: non tormenta, nisi e navibus procul excussa, emitti; non scalae moenibus applicari poterant: praeceps in salum murus pedestre interceperat iter: naves nec habebat rex, et, si admovisset, pendentes et instabiles missilibus arceri poterant. 10. Inter quae haud parva dictu res Tyrriorum fiduciam accendit. Carthaginiensium legati ad celebrandum anniversarium sacrum more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. 11. Hortari ergo Poeni coeperunt, ut obsidionem forti animo paterentur; brevi Carthagine auxilia ventura. Namque ea tempestate magna ex parte Punicis classibus maria obsidebantur. 12. Igitur bello decreto, per muros turresque tormenta disponunt: arma iunioribus dividunt; opificesque, quorum copia urbs abundabat, in officinas distribuunt. Omnia belli apparatu strepunt: ferreae quoque manus (harpagonas vocant) quas operibus hostium iniicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata, praeparabantur. 13. Sed quum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impositum esset, admotisque foliis ignem flatu accenderent, sanguinis rivi sub ipsis flammis exstitisse dicuntur, idque omen in Ma-

cedonum metum verterunt Tyrii. 14. Apud Macedonas quoque quum forte panem quidam militum frangeret, manantis sanguinis guttas notaverunt; terroreque rege, Aristander, peritissimus vatum, respondit, si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum: contra, quum ab interiore parte manaverit, urbi, quam obsidere destinassent, exitium portendere. 15. Alexander quum et classem procul haberet, et longam obsidionem magno sibi ad cetera impedimento videret fore; caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, misit: quos Tyrii contra ius gentium occisos praecipitaverunt in altum. Atque ille suorum tam indigna nece commotus, urbem obsidere statuit. 16. Sed ante iacienda moles erat, quae urbem continenti committeret. Ingens ergo animos militum desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope posset impleri: quae saxa tam vasta, quas tam proceras arbores posse reperiri? exhaustas esse regiones, ut illud spatium aggeraretur: et exaestuare semper fretum, quoque artius volutetur inter insulam et continentem, hoc acrius furere. 17. At ille, haudquaquam rudis tractandi militares animos, speciem sibi Herculis in somno oblatam esse pronuntiat, dexteram porrigentis: illo duce, illo aperiente in urbem intrare se visum. Inter haec, caduceatores interfectos, gentium iura violata, referebat: unam esse urbem, quae cursum victoris morari ausa esset. 18. Ducibus deinde negotium datur, ut suos quisque castiget: satisque omnibus stimulatis, opus orsus est. Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere praebente: materies ex Libano monte ratibus et turribus faciendis vehebatur. 19. Iamque a fundo maris in altitudinem montis opus excreverat; nondum tamen aquae fastigium aequabat; et, quo longius moles agebatur a litore, hoc magis, quidquid ingerebatur, praealtum absorbebat mare: 20. quum Tyrii, parvis navigiis

admotis, per ludibrium exprobrabant, illos armis inclutos, dorso sicut iumenta, onera gestare. Interrogabant etiam, num maior Neptuno esset Alexander? Haec ipsa insectatio alacritatem militum accendit. 21. Iamque paullulum moles aqua eminebat, et simul aggeris latitudo crescebat, urbique admovebatur; quum Tyrii, magnitudine molis, cuius incrementum eos ante fefellerat, conspecta, levibus navigiis nondum commissum opus circumire coeperunt; missilibus quoque eos, qui pro opere stabant, incessere. 22. Multis ergo impune vulneratis, quum et remove et appellere scaphas in expedito esset, ad curam semet ipsos tuendi ab opere converterant. 23. Igitur rex munientibus coria velaque iussit obtendi, ut extra teli iactum essent: duasque turres ex capite molis erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. 24. Contra Tyrii navigia procul a conspectu hostium litori appellunt, expositisque militibus, eos, qui saxa gestabant, obruncant. In Libano quoque Arabum agrestes, incompositos Macedonas aggressi, triginta fere interficiunt, paucioribus captis.

III. Ea res Alexandrum dividere copias coëgit: et ne segniter assidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque praefecit; ipse cum expedita manu Arabiam petiit. 2. Inter haec Tyrii navem magnitudine eximia, saxis arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam remis concitaverunt; et quum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad molem successit: tunc, prora eius accensa, remiges desiliere in scaphas, quae ad hoc ipsum praeparatae sequebantur. 3. Navis autem, igne concepto, latius fundere incendium coepit; quod, priusquam posset occurri, turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit. 4. At qui desilierant in parva navigia, faces, et quidquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum

turres, sed etiam summa tabulata, conceperant ignem: quum ii, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim, armis omissis, in mare semet ipsi immitterent. 5. At Tyrii, qui capere eos quam interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati, impune navigiis excipi possent. 6. Nec incendio solum opera consumpta; sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatae se laxavere, saxaque interfluens unda medium opus rupit. 7. Prostratis igitur lapidum cumulis, quibus iniecta terra sustinebatur, praeceps in profundum ruit; tantaeque molis vix ulla vestigia invenit [ab] Arabia rediens Alexander. Hic, (quod in adversis rebus solet fieri,) alius in alium culpam referebat, quum omnes verius de saevitia maris queri possent. 8. Rex novi operis molem orsus, in adversum ventum non latere, sed recta fronte direxit; quod cetera opera, velut sub ipso latentia, tuebatur: latitudinem quoque aggeri adiecit, ut turres in medio erectae procul teli iactu abessent. 9. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum iaciebant; deinde saxis onerabant; rursus cumulo eorum alias arbores iniiciebant: tum humus aggerebatur; superque alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus iunxerant. Nec Tyrii, quidquid ad impediendam molem excogitari poterat, segniter exsequebantur. 10. Praecipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad molem usque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes; quae ubi secutae erant, pleraque secum in profundum dabant: tum levatos onere stipites truncosque arborum haud aegre moliebantur: deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso, sequebatur. 11. Aegro animi Alexandro, et utrum perseveraret an abi-

ret, satis incerto, classis Cypro advenit; eodemque tempore Cleander, cum Graecis militibus in Asiam nuper advectus. Centum et octoginta navium classem in duo dividit cornua: laevum Pnytagoras, rex Cypriorum, cum Cratero tuebatur; Alexandrum in dextero quinquereimis regia vehebat. 12. Nec Tyrrii, quamquam classem habebant, ausi navale inire certamen, triremes omnes ante ipsa moenia opposuerunt: quibus rex invectus, ipsas demersit. 13. Postera die classe ad moenia admota, undique tormentis, et maxime arietum pulsu muros quatit: quos Tyrrii raptim obstructis saxis refecerunt; interiorem quoque murum, ut, si prior fefellisset, illo se tuerentur, undique orsi. 14. Sed undique vis mali urgebat: moles intra teli iactum erat; classis moenia circumibat; terrestri simul navalique clade obruebantur. Quippe binas quadriremes Macedones inter se ita iunxerant, ut prorae cohaerent; puppes intervallo, quantum capere poterant, distarent. 15. Hoc puppium intervallum, antennis asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleverant: sic instructas quadriremes ad urbem agebant: inde missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. 16. Media nox erat, quum classem, sicuti dictum est paratam, circumire muros iubet: iamque naves urbi undique admovebantur, et Tyrrii desperatione torpebant, quum subito spissae nubes intendere se coelo, et quidquid lucis internitebat, effusa caligine extinctum est. 17. Tum inhorrescens mare paullatim levare, deinde, acriori vento concitatum, fluctus cedere, et inter se navigia collidere. Iamque scindi coeperant vincula, quibus connexae quadriremes erant, ruere tabulata, et cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere. 18. Neque enim concerta navigia ulla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat;

et, quod in huiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius everberatum mare, veluti eripientibus navigia classicis cessit: appulsaque sunt litori, lacerata pleraque. 19. lisdem diebus forte Carthaginiensium legati triginta superveniunt, maius obsessis solatium, quam auxilium: quippe domestico bello Poenos impediri; nec de imperio, sed pro salute dimicare, nuntiabant. 20. Syracusani tunc Africam urebant, et haud procul Carthaginis muris locaverant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quamquam ab ingenti spe destituti erant; sed coniuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius quidquid accideret laturo, si carissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent. 21. Quumque unus e civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis; molemque a Macedonibus iactam in salo, in silvestrem saltum esse mutatam: 22. quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda prout metu, aurea catena devinxere simulacrum, araeque Herculis, cuius numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi. Syracusis id simulacrum devexerant Poeni, et in maiore locaverant patria; multisque aliis spoliis urbium a semet captarum, non Carthaginem magis, quam Tyrum ornaverant. 23. Sacrum quoque, quod equidem Diis minime cordi esse crediderim, multis seculis intermissum, repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur; quod sacrilegium verius quam sacrum, Carthaginienses a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis suae fecisse dicuntur. Ac nisi seniores obstitissent, quorum consilio cuncta agebantur, humanitatem dira superstitio vicisset. 24. Ceterum efficacior omni arte imminens necessitas,

non usitata modo praesidia, sed quaedam etiam nova admovit. Namque ad implicanda navigia, quae muros subibant, validis asseribus corvos et ferreas manus [cum uncis ac falcibus] illigaverant, ut, quum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus iniicerent. 25. Unci quoque et falces ex iisdem asseribus dependentes, aut propugnatores aut ipsa navigia lacerabant. Clypeos vero aeneos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena coenoque decocto, e muris subito devolvebant. 26. Nec ulla pestis magis timebatur: quippe ubi loricam corpusque fervens arena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, et quidquid attigerat, perurebat: iacientesque arma, laceratis omnibus, quis protegi poterant, vulneribus inulti patebant: corvi vero et ferreae manus tormentis emissae plerosque rapiebant.

IV. Hic rex fatigatus statuerat, soluta obsidione, Aegyptum petere. Quippe quum Asiam ingenti celeritate percurrisset, circa muros unius urbis haerebat, tot maximarum rerum opportunitate dimissa. 2. Ceterum tam discedere irritum, quam morari pudebat; famam quoque, qua plura, quam armis, everterat, ratus leviolem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset. Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures naves admoveri iubet, delectosque militum imponi. 3. Et forte bellua inusitatae magnitudinis, super ipsos fluctus dorso eminens, ad molem, quam Macedones iecerant, ingens corpus applicuit; diverberatisque fluctibus allevans semet, utrimque conspecta est: 4. deinde a capite molis rursus alto se immersit; ac modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita, haud procul munimentis urbis emersit. 5. Utrisque laetus fuit belluae adspectus: Macedones iter iaciendo operi monstrasse eam augurabantur; Tyrii, Neptunum occupati maris vindicem arripuisse belluam ad molem brevi profecto ruituram; laetique omine eo,

ad epulas dilapsi, oneravere se vino: quo graves, orto sole navigia conscendunt, redimita coronis floribusque: adeo victoriae non omen modo, sed etiam gratulationem praeceperant. 6. Forte rex classem in diversam partem agi iusserat, triginta minoribus navigiis relictis in litore: e quibus Tyrii duobus captis, cetera ingenti terruerant metu; donec, suorum clamore audito, Alexander classem litori, a quo fremitus acciderat, admovit. 7. Prima a Macedonum navibus quinqueremis, velocitate inter ceteras eminentis, occurrit: quam ut conspexere Tyrii, duae e diverso in latera eius invectae sunt; in quarum alteram quinqueremis eadem concitata, et ipsa rostro icta est, et illam invicem tenuit. 8. Iamque ea, quae non cohaerebat, libero impetu evecta, in aliud quinqueremis latus invehebatur; quum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam, quae quinqueremi imminebat, tanta vi impulsus est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi. 9. Plures deinde Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat; quum Tyrii inhibentes remis, aegre evellere navem, quae haerebat, portumque omnia simul navigia repetunt. Confestim rex insecutus, portum quidem intrare non potuit, quum procul e muris missilibus submoveretur; naves autem omnes fere aut demersit, aut cepit. 10. Biduo deinde ad quietem dato militibus, iussisque et classem et machinas pariter admovere, et undique territis instare, ipse in altissimam turrim ascendit, ingenti animo, periculo maiore. 11. Quippe regio insigni et armis fulgentibus conspicuus, unus praecipue telis petebatur. Et digna prorsus spectaculo edidit: multos e muris propugnantes hasta transfixit, quosdam etiam cominus gladio clypeoque impulsos praecipitavit: quippe turris, ex qua dimicabat, muris hostium propemodum cohaerebat. 12. Iamque crebris arietibus saxorum compage laxata, munimenta defecerant, et classis in-

traverat portum, et quidam Macedonum in turres hostium desertas evaserant: quum Tyrii, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus aedium obseratis occupant liberum mortis arbitrium; nonnulli ruunt in hostem, haud inulti tamen perituri: 13. magna pars summa tectorum obtinebat, saxa, et quidquid manibus fors dederat, ingredientes subeuntibus. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis iniici iubet. 14. His per praecones pronuntiatis, nemo tamen armatus opem a Diis petere sustinuit: pueri virginesque templa compleverant; viri in vestibulo suarum quisque aedium stabant, parata saevientibus turba. 15. Multis tamen saluti fuere Sidonii, qui intra Macedonum praesidia erant. Hi urbem quidem inter victores intraverant, sed cognationis cum Tyriis memores, (quippe utramque urbem Agenorem condidisse credebant,) multos Tyriorum, etiam protegentes, ad sua perduxere navigia: quibus occultati Sidona devecti sunt. Quindecim millia hoc furto subducta saevitiae sunt. 16. Quantumque sanguinis fusum sit, vel ex hoc existimari potest, quod intra munita urbis sex millia armatorum trucidata sunt. 17. Triste deinde spectaculum victoribus ira praebuit regis. Duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi per ingens litoris spatium pependerunt. 18. Carthaginensium legatis pepercit, addita denuntiatione belli, quod praesentium rerum necessitas moraretur. 19. Tyrus septimo mense, quam oppugnari coepta erat, capta est; urbs et vetustate originis, et crebra fortunae varietate ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, sed quodcunque classes eius adierunt, ditionis suae fecit. Et, si famae libet credere, haec gens literas prima aut docuit, aut didicit. 20. Coloniae certe eius paene orbe toto diffusae sunt: Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades

ad Oceanum. Credo, libero commeantes mari, saepiusque adeundo ceteris incognitas terras, elegisse sedes iuventuti, qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terrae, (nam hoc quoque traditur,) cultores eius fatigati, nova et externa domicilia armis sibimet quaerere cogebantur. 21. Multis ergo casibus defuncta, et post excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, sub tutela Romanae mansuetudinis acquiescit.

V. Iisdem ferme diebus Darii literae adlatae sunt, tandem ut regi scriptae. Petebat, „ut filiam suam, (Statirae erant nomen,) nuptiis Alexander sibi adiungeret. Dotem fore omnem regionem inter Hellespontum et Halyn amnem sitam: inde Orientem spectantibus terris contentum se fore. 2. Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere: nunquam diu eodem vestigio stare fortunam, semperque homines, quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen sentire maiorem. 3. Vereri, ne se avium modo, quas naturalis levitas ageret ad sidera, inani ac puerili mentis effectu efferret. Nihil difficilius esse, quam in illa aetate tantam capere fortunam. 4. Multasse adhuc reliquias habere, nec semper inter angustias posse deprehendi: transeundum esse Alexandro Euphratem, Tigrimque et Araxem, et Hydaspem, magna munimenta regni sui. Veniendum in campos, ubi paucitate suorum erubescendum sit. 5. Mediam, Hyrcaniam, Bactra et Indos Oceani accolae quando aditurum? vel Sogdianos et Arachosios, nomine tantum notos, ceterasque gentes ad Caucasum et Tanaïm pertinentes? Senescendum fore tantum terrarum vel sine proelio obeunti. 6. Se vero ad ipsum vocare desineret: namque illius exitio esse venturum.“ 7. Alexander iis, qui literas attulerant, respondit: „Darium sibi aliena promittere: quod totum amiserit, velle partiri. Doti sibi dari Lydiam, Ioniam, Aeolidem, Hellesponti oram, victoriae suae

praemia. Leges autem a victoribus dici; accipi a victis. In utro statu ambo essent, si solus ignoraret, quamprimum Marte decerneret. 8. Se quoque, quum transisset mare, non Ciliciam aut Lydiam, (quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem,) sed Persepolim, caput regni eius, Bactra deinde, Ecbatana, ultimique Orientis oram imperio suo destinasse. Quocumque ille fugere potuisset, ipsum sequi posse: desineret terrere fluminibus, quem sciret maria transisse.“ 9. Reges quidem invicem haec scripserant. Sed Rhodii urbem suam portusque dedebant Alexandro. Ille Ciliciam Socrati tradiderat; Philota regioni circa Tyrum iusso praesidere. Syriam, quae Coele appellatur, Andromacho Parmenio tradiderat, bello, quod supererat, interfuturus. 10. Rex, Hephaestione Phoenices oram classe praetervehi iusso, ad urbem Gazam cum omnibus copiis venit. 11. Iisdem fere diebus sollemne erat ludicrum Isthmiorum, quod conventu totius Graeciae celebratur. In eo concilio, ut sunt Graecorum temporaria ingenia, decernunt, ut duodecim legarentur ad regem, qui ob res pro salute Graeciae ac libertate gestas, coronam auream donum victoriae ferrent. 12. Iidem paullo ante incertae famae captaverant auram, ut quocumque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur. 13. Ceterum non ipse modo rex obibat urbes, imperii iugum adhuc recusantes; sed praetores quoque ipsius, egregii duces, pleraque invaserant. Calas Paphlagoniam, Antigonus Lycaoniam: Balacrus, Idarne praetore Darii superato, Miletum cepit: 14. Amphoterus et Hegelochus centum sexaginta navium classe insulas inter Achaïam atque Asiam in ditionem Alexandri redegerunt. Tenedo quoque recepta, Chium, incolis ultro vocantibus, statuerant occupare: 15. sed Pharnabazus, Darii praetor, comprehensis qui res ad Macedonas trahebant, rursus Apollonidi et Athanagorae, suarum partium viris, urbem cum mo-

dico praesidio militum tradit. 16. Praefecti Alexandri in obsidione urbis perseverabant, non tam suis viribus, quam ipsorum, qui obsidebantur, voluntate. Nec fefellit opinio. Namque inter Apollonidem et duces militum orta seditio, irrumpendi in urbem occasionem dedit. 17. Quumque, porta effracta, cohors Macedonum intrasset: oppidani, olim consilio proditionis agitato, aggregant se Amphotero et Hegelocho; Persarumque praesidio caeso, Pharnabazus cum Apollonide et Athanagora vincti traduntur: 18. duodecim triremes cum suo milite ac remige; praeter eas triginta naves et piratici lembi, Graecorumque tria millia a Persis mercede conducta. His in supplementum copiarum suarum distributis, piraticisque supplicio affectis, captivos remiges adiecere classi suae. 19. Forte Aristonicus, Methymnaeorum tyrannus, cum piraticis navibus, ignarus omnium quae ad Chium acta erant, prima vigilia ad portus claustra successit; interrogatusque a custodibus, quis esset? Aristonicum ad Pharnabazum venire, respondit. 20. Illi, Pharnabazum quidem iam quiescere, et non posse tum adiri; ceterum patere socio atque hospiti portum, et postero die Pharnabazi copiam fore, affirmant. Nec dubitavit Aristonicus primus intrare: secuti sunt ducem piratici lembi: 21. ac dum applicant navigia crepidini portus, obiicitur a vigilibus claustrum, et qui proximi excubabant, ab iisdem excitantur: nulloque ex his auso repugnare, omnibus catenae iniectae sunt. Amphotero deinde Hegelochoque traduntur. 22. Hinc Macedones transiere Mitylenem, quam Chares Atheniensis nuper occupatam, duorum millium Persarum praesidio tenebat: sed quum obsidionem tolerare non posset, urbe tradita, pactus ut incolumi abire liceret, Imbrum petit. Deditis Macedones pepercerunt.

VI. Darius, desperata pace, quam per literas legatosque impetrari posse crediderat, ad reparandas

vires bellumque impigre renovandum intendit animum. 2. Duces ergo copiarum Babyloniam convenire; Bessum quoque, Bactrianorum praetorem, quam maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. 3. Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptissimi, horridis ingeniis, multumque a Persarum luxu abhorrentibus, siti haud procul Scytharum bellicosissima gente et rapto vivere assueta, semperque in armis errant. 4. Sed Bessus, suspecta perfidia, haud sane aequo animo in secundo se continens gradu, regem terrebat. Nam quum regnum affectaret, proditio, qua sola id assequi poterat, timebatur. 5. Ceterum Alexander, quam regionem Darius petisset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat; more quodam Persarum, arcana regum miracelantium fide. 6. Non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta. Vetus disciplina regum, silentium vitae periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. 7. Ob hanc causam Alexander omnium, quae apud hostem gererentur, ignarus, urbem Gazam obsidebat. Praerat ei Betis, eximiae in regem suum fidei; modicoque praesidio muros ingentis operis tuebatur. 8. Alexander, aestimato locorum situ, agi cuniculos iussit, facili ac levi humo acceptante occultum opus; quippe multam arenam vicinum mare evomit, nec saxa cotesque, quae interpellent specus, obstabant. 9. Igitur ab ea parte, quam oppidani conspiceri non possent, opus orsus, ut a sensu eius averteret, tures muris admoveri iubet. Sed eadem humus admovendis inutilis turribus, desidente sabulo agilitatem rotarum morabatur, et tabulata turrium perfringebat; multique vulnerabantur impune, quum idem recipiendis, qui admovendis turribus labor eos fatigaret. 10. Ergo receptui signo dato, postero die muros corona

circumdari iussit. Ortoque sole, priusquam admo-
veret exercitum, opem Deum exoscens, sacrum pa-
trio more faciebat. 11. Forte praetervolans corvus,
glebam, quam unguibus ferebat, subito amisit: quae
quum regis capiti incidisset, resoluta defluxit; ipsa
autem avis in proxima turre consedit. Illita erat
turris bitumine ac sulphure: in qua alis haerentibus,
frustra se allevare conatus, a circumstantibus capi-
tur. 12. Digna res visa, de qua vates consulerentur:
et erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo
Aristander, cui maxima fides habebatur, urbis qui-
dem excidium augurio illo portendi, ceterum pericu-
lum esse inquit, ne rex vulnus acciperet. Itaque mo-
nuit, ne quid eo die inciperet. 13. Ille, quamquam
unam urbem sibi, quo minus securus Aegyptum in-
traret, obstare aegre ferebat, tamen paruit vati, si-
gnumque receptui dedit. Hinc animus crevit obses-
sis: egressique porta, recedentibus inferunt signa;
cunctationem hostium suam fore occasionem rati.
14. Sed acrius quam constantius proelium inierunt:
quippe ut Macedonum signa circumagi videre, repen-
te sistunt gradum. Iamque ad regem proeliantium
clamor pervenerat; quum, denuntiati periculi haud
sane memor, lorica tamen, quam raro induebat,
amicis orantibus, sumpsit, et ad prima signa perve-
nit. 15. Quo conspecto, Arabs quidam Darii miles,
maius fortuna sua facinus ausus, gladium clypeo te-
gens, quasi transfuga genibus regis advolvitur. Ille
assurgere supplicem, recipique inter suos iussit. 16.
At barbarus, gladio strenue in dextram translato, cer-
vicem appetit regis: qui exigua corporis declinatio-
ne evitato ictu, in vanum manum barbari lapsam am-
putat gladio; denuntiato in illum diem periculo, ut
arbitrabatur ipse, defunctus. 17. Sed, ut opinor,
inevitabile est fatum. Quippe dum inter primores
promptius dimicat, sagitta ictus est: quam per lorica
adactam, stantem in humero, medicus eius Philippus

evellit. 18. Plurimus deinde sanguis manare coepit; omnibus territis, quia, quam alte penetrasset telum, lorica obstante, non cognoverant. Ipse, nec oris quidem colore mutato, suppressi sanguinem et vulnus obligari iussit. 19. Diu ante ipsa signa, vel dissimulato vel victo dolore, perstiterat; quum suppressus paullo ante sanguis medicamento, quo retentus erat, manare latius coepit; et vulnus, quod recens adhuc dolorem non moverat, frigente sanguine intumuit. 20. Linqui deinde animo, et submitti genu coepit: quem proximi exceptum in castra receperunt. Et Betis, interfectum ratus, urbem ovans victoria repetit. 21. At Alexander, nondum percurato vulnere, aggerem, quo moenium altitudinem aequaret, extruxit: et pluribus cuniculis muros subruere iussit. 22. Oppidani ad pristinum fastigium murorum novum extruxere munimentum: sed ne id quidem turres aggeri impositas aequare poterat. Itaque interiora quoque urbis infesta telis erant. 23. Ultima pestis urbis fuit, cuniculo subrutus murus, per cuius ruinas hostis intravit. Ducebat ipse rex antesignanos; et dum incautius subit, saxo crus eius affligitur. 24. Innixus tamen telo, nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat; ira quoque accensus, quod duo in obsidione urbis eius acceperat vulnera. 25. Betim, egregia edita pugna, multisque vulneribus confectum, deseruerant sui: nec tamen segnus proelium capessebat, lubricis armis suo pariter atque hostium sanguine. 26. Sed cum undique telis [peteretur, ad postremum exhaustis viribus vivus in potestatem hostium pervenit;]

*** quo [ad regem] adducto, insolenti gaudio juvenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator, *non ut voluisti, inquit, morieris, Beti, sed quidquid tormentorum in captivum inveniri potest, passurum esse te cogita.* 27. Ille, non interrito modo, sed contumaci quoque vultu intuens regem, nullam ad minas eius reddidit vocem. 28.

Tum Alexander, *videtisne obstinatum ad tacendum?* inquit. *Num genu posuit? num supplicem vocem misit? Vincam tamen silentium, et si nihil aliud, certe gemitu interpellabo.* 29. Ira deinde vertit in rabiem, iam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. Per talos enim spirantis lora traiecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi: gloriantem rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse poena in hostem capiendam. 30. Cecidere Persarum Arabumque circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Obsidio certe non tam claritate urbis nobilitata est, quam geminato periculo regis. Qui Aegyptum adire festinans, Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit. 31. Namque proeliis etiam secundis atterebantur copiae, devictarumque gentium militi minor, quam domestico, fides habebatur.

VII. Aegyptii, olim Persarum opibus infensi, (quippe avare et superbe imperitatum sibi esse credebant) ad spem adventus eius erexerant animos; utpote qui Amyntam quoque, transfugam et cum precario imperio venientem, laeti recepissent. 2. Igitur ingens multitudo Pelusium, qua intraturus rex videbatur, convenerat. Atque ille septimo die, posteaquam a Gaza copias moverat, in regionem Aegypti, quam nunc Castra Alexandri vocant, pervenit. 3. Deinde, pedestribus copiis Pelusium petere iussis, ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est: nec sustinere adventum eius Persae, defectione quoque perterriti. 4. Iamque haud procul Memphi erat: in cuius praesidio Sataces praetor Darii relictus, Orio amne superato, octingenta talenta Alexandro, omnemque regiam suppellectilem tradidit. 5. A Memphi, eodem flumine vectus, ad interiora Aegypti penetrat; compositisque rebus ita, ut nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret, adire Iovis Hammonis oraculum statuit. 6. Iter expeditis quoque et paucis vix tolerabile

ingrediendum erat. Terra coeloque aquarum penuria est: steriles arenae iacent; quas ubi vapor solis accendit, fervido solo exurente vestigia, intolerabilis aestus existit. 7. Luctandumque est, non tantum cum ardore et siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod praealtum, et vestigio cedens, aegre moliuntur pedes. 8. Haec Aegyptii vero maiora iactabant. Sed ingens cupido animum stimulabat adeundi Iovem, quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat. 9. Ergo cum iis, quos ducere secum statuerat, secundo anne descendit ad Maereotim paludem. Eo legati Cyrenensium dona attulere, pacem, et ut adiret urbes suas, petentes. Ille, donis acceptis, amicitiaque coniuncta, destinata exsequi pergit. 10. Ac primo quidem et sequenti die tolerabilis labor visus, nondum tam vastis nudisque solitudinibus aditis, iam tamen sterili et emoriente terra. 11. Sed ut aperuere se campi alto obruti sabulo, haud secus quam profundum aequor ingressi, terram oculis requirebant. 12. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam defecerat, quam utribus cameli vexerant: et in arido solo ac fervido sabulo nulla erat. 13. Ad haec sol omnia incenderat, siccaque et adusta erant ora; quum repente, sive illud Deorum munus, sive casus fuit, obductae coelo nubes condidere solem; ingens aestu fatigatis, etiamsi aqua deficeret, auxilium. 14. Enimvero, ut largum quoque imbrem excusserunt procellae, pro se quisque excipere eum; quidam, ob sitim impotentes sui, ore quoque hianti captare coeperunt. 15. Quatriduum per vastas solitudines absumptum est. Iamque haud procul oraculi sede aberant, quum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes: et modo humi residebant, quum lentius agmen incederet; modo se pennis levabant, antecedentium iterque monstrantium ritu. 16.

Tandem ad sedem consecratam Deo ventum est. Incredibile dictu, inter vastas solitudines sita, undique ambientibus ramis, vix in densam umbram cadente sole, contacta est: multique fontes, dulcibus aquis passim manantibus, alunt silvas. 17. Coeli quoque mira temperies, verno tempori maxime similis, omnes anni partes pari salubritate percurrit. 18. Accolae sedis sunt ab Oriente proximi Aethiopum: in Meridiem versus Arabes spectant, (Troglodytis cognomen est) quorum regio usque ad Rubrum mare excurrit. 19. At qua vergit ad Occidentem, alii Aethiopes colunt, quos Scenitas vocant: a Septemtrione Nasamones sunt, gens Syrtica, navigiorum spoliis quaestuosa; quippe obsident litora, et aestu destituta navigia notissibi vadis occupant. 20. Incolae nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis habitant: medium nemus pro arce habent, triplici muro circumdatum. 21. Prima munitio tyrannorum veterem regiam clausit: in proxima coniuges eorum cum liberis et pellicibus habitant; hic quoque Dei oraculum est: ultima munimenta satellitum armigerorumque sedes erant. 22. Est etiam aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem; aquam Solis vocant: sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit; inclinato in vesperam, calescit; media nocte fervida exaestuat; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit; donec sub ipsum diei ortum assueto tepore languescat. 23. Id, quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt: umbilico [tenus arietis] similis est habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus. 24. Hunc, quum responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Sequuntur matronae virginesque, patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari lo-

vem credunt, ut certum edat oraculum. 25. Ac tum quidem regem propius adeuntem maximus natus e sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Iovem reddere affirmans. Ille vero et accipere se ait, et agnoscere, humanae sortis oblitus. 26. Consuluit deinde, an totius orbis imperium fati sibi destinaret pater? Vates, aequae in adulationem compositus, terrarum omnium rectorem fore ostendit. 27. Post haec institit quaerere, an omnes parentis sui interfectores poenas dedissent. Sacerdos parentem eius negat ullius scelere posse violari: Philippi autem omnes interfectores luisse supplicia: adiecit, invictum fore, donec excederet ad Deos. 28. Sacrificio deinde facto, dona et sacerdotibus et Deo data sunt; permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent Iovem. Nihil amplius quaesiverunt, quam an auctor esset sibi divinis honoribus colendi suum regem? Hoc quoque acceptum fore Iovi vates respondit, [ut ipsi victorem regem divino honore colerent.] 29. Vere et salubriter aestimanti fidem oraculi, vana profecto responsa videri potuissent: sed fortuna, quos uni sibi credere coëgit, magna ex parte avidos gloriae magis, quam capaces facit. 30. Iovis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam iussit: rerumque gestarum famam, dum augere vult tali appellatione, corrumpit. 31. Et Macedones, assueti quidem regio imperio, sed maiore libertatis umbra, quam ceterae gentes, immortalitatem affectantem contumacius, quam aut ipsis expediebat, aut regi, aversati sunt. 32. Sed haec suo quaeque temporis reserventur. Nunc cetera exsequi pergam.

VIII. Alexander, ab Hammone rediens, ut ad Maereotim paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere. 2. Inde, ut apparuit, magnae sedis insulam haud capacem, elegit urbi locum, ubi nunc est Alexandria, appellationem

trahens ex nomine auctoris. Complexus quidquid loci est inter paludem et mare, octoginta stadiorum muris ambitum destinat; et, qui aedificandae urbi praeessent, relictis, Memphim petit. 3. Cupido, haud iniusta quidem, ceterum intempestiva, incesserat, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiā invisere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoscendae vetustatis avidum trahebat, paene extra terminos solis. 4. Sed imminens bellum, cuius multo maior supererat moles, otiosae peregrinationi tempora exemerat. Itaque Aegypto praefecit Aeschylum Rhodium, et Peucesten Macedonem, quatuor millibus militum in praesidium regionis eius datis: claustra Nili fluminis Polemonem tueri iubet; triginta ad hoc triremes datae. 5. Africae deinde, qua Aegypto iuncta est, praepositus Apollonius: vectigalibus eiusdem Africae Aegyptique, Cleomenes. Ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam iussis, novam urbem magna multitudine implevit. 6. Fama est, quum rex urbis futurae muros polenta, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse et polenta esse pastas: quumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse vates, magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram. 7. Regem, quum secundo amne deflueret, assequi cupiens Hector, Parmenionis filius, eximio aetatis flore, in paucis Alexandro carus, parvum navigium conscendit, pluribus, quam capere posset, impositis. 8. Itaque mersa navis omnes destituit: Hector, diu flumini obluctatus, quum madens vestis et adstricti crepidis pedes natāre prohiberent, in ripam tamen semianimis evasit; et ut primum fatigatus spiritum laxavit, quem metus et periculum intenderant, nullo adiuvante (quippe in diversum evaserant alii) exanimatus est. 9. Rex amissi eius desiderio vehementer afflictus est: repertumque corpus magnifico extulit

funere. Oneravit hunc dolorem nuntius mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae: vivum Samaritae cremaverant. 10. Ad cuius interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit: advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. 11. Andromacho deinde Memnona substituit; affectis supplicio, qui praetorem interemerant. Tyrannos, inter eos Methymnaeorum Aristonicum et Chryso-laum, popularibus suis tradidit: quos illi [e muris] ob iniurias tortos necaverunt. 12. Atheniensium deinde, Rhodiorumque et Chiorum legatos audit. Athenienses victoriam gratulabantur; et, ut captivi Graecorum suis restituerentur, orabant: Rhodii et Chii de praesidio querebantur. Omnes aequa desiderare visi, impetraverunt. 13. Mitylenaeis quoque ob egregiam in partes suas fidem et pecuniam, quam in bellum impenderant, obsides reddidit, et magnam regionem finibus eorum adiecit. 14. Cypriorum quoque regibus, qui et a Dario defecerant ad ipsum, et oppugnanti Tyrum miserant classem, pro merito honos habitus est. 15. Amphoterus deinde, classis praefectus, ad liberandam Cretam missus, (namque et Persarum et Spartanorum armis pleraque eius insulae obsidebantur,) ante omnia mare a piraticis classibus vindicare iussus: quippe obnoxium praedonibus erat, in bellum utroque rege converso. 16. His compositis, Herculi Tyrio ex auro crateram cum triginta pateris dicavit: imminensque Dario, iter ad Euphratem pronuntiari iussit.

IX. At Darius, quum [ab] Aegypto devertisse in Africam hostem comperisset, dubitaverat, utrumne circa Mesopotamiam subsisteret, an interiora regni sui peteret, haud dubie potentior auctor praesens futurus ultimis gentibus impigre bellum capessendi, quas aegre per praefectos suos moliebatur. 2. Sed ut idoneis auctoribus fama vulgavit, Alexandrum cum omnibus copiis, quamcunque ipse adisset regionem,

petiturum; haud ignarus, quam cum strenuo res esset, omnia longin quarum gentium auxilia Babylonem contrahi iussit. Bactriani, Scythaeque, et Indi convenerant: nam et ceterarum gentium copiae partibus simul adfuerunt. 3. Ceterum, quum dimidio ferme maior esset exercitus, quam in Cilicia fuerat, multis arma deerant; quae summa cura comparabantur. Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis, serie inter se connexis: quois antea praeter iacula nihil dederat, scuta gladiique adiciebantur: 4. equorum domandi greges peditibus distributi sunt, ut maior pristino esset equitatus: ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentae falcatae quadrigae, unicum illarum gentium auxilium, secutae sunt. 5. Ex summo temone hastae praefixae ferro eminebant: utrimque a iugo ternos direxerant gladios: et inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: aliae deinde falces summis rotarum orbibus haerebant; et aliae in terram demissae, quidquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturae. 6. Hoc modo instructo exercitu ac perarmato, Babylone copias movit. A parte dextera erat Tigris, nobilis fluvius; laevam tegebat Euphrates: agmen Mesopotamiae campos impleverat. 7. Tigri deinde superato, quum audisset haud procul abesse hostem, Sattropatem equitum praefectum cum mille delectis praemisit. 8. Mazaeo praetori sex millia data, quibus hostem transitu annis arceret; eidem mandatum, ut regionem, quam Alexander esset aditurus, popularetur atque ureret; quippe credebat, inopia debellari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo occupasset: ipsi autem commeatus, alii terra, alii Tigri amne, subvehebantur. 9. Iam pervenerat ad Arbela vicum, nobilem sua clade facturus. Hic commeatum sarcinarumque maiore parte deposita, Lycum amnem ponte iunxit, et per dies quinque, sicut ante Euphratem, traiecit exercitum. 10. Inde octoginta

fere stadia progressus, ad alterum amnem, (Bumelo nomen est,) castra posuit. Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis et vasta planities. Ne stirpes quidem et brevia virgulta operiunt solum: liberque prospectus oculorum, et ad ea, quae procul recessere, permittitur. Itaque si qua campi eminebant, iussit aequari, totumque fastigium extendi. 11. Alexandro, qui numerum copiarum eius, quantum procul coniectari poterat, aestimabant, vix fecerunt fidem, tot millibus caesis, maiores copias esse reparatas. 12. Ceterum omnis periculi, et maxime multitudinis contemptor, undecimis castris pervenit ad Euphratem: quo pontibus iuncto, equites primos ire, phalangem sequi iubet; Mazaeo, qui ad inhibendum transitum cum sex millibus equitum occurrerat, non auso periculum sui facere. 13. Paucis deinde, non ad quietem, sed ad reparandos animos, diebus datis militi, strenue hostem insequi coepit, metuens, ne interiora regni sui peteret, sequendusque esset per loca omni solitudine atque inopia vasta. 14. Igitur quarto die praeter Arbela penetrat ad Tigrim. Tota regio ultra amnem recenti fumabat incendio; quippe Mazaeus, quaecumque adierat, haud secus quam hostis urebat. 15. Ac primo, caligine, quam fumus effuderat, obscurante lucem, insidiarum metu substitit: deinde ut speculatores praemissi tuta omnia nuntiaverunt, paucos equitum ad tentandum vadum fluminis praemisit: cuius altitudo primo summa equorum pectora, mox ut in medium alveum ventum est, cervices quoque aequabat. 16. Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus invehitur; multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens. Itaque a celeritate, qua defluit, Tigris nomen est inditum, quia Persica lingua tigrim sagittam appellant. 17. Igitur pedes, velut divisus in cornua, circumdato equitatu, levatis super capita armis, haud aegre ad ipsum alveum penetrat. 18. Primus

inter pedites rex egressus in ripam, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non poterat, ostendit. Sed gradum firmare vix poterant, quum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. 19. Praecipuus erat labor eorum, qui humeris onera portabant: quippe quum semetipsos regere non possent, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur: et dum sua quisque spolia consequi studet, maior inter ipsos, quam cum amne, orta luctatio est: cumlique sarcinarum passim fluitantes, plerosque perculerant. 20. Rex monere, ut satis haberent, arma retinere; cetera se redditurum. Sed neque consilium, neque imperium accipi poterat: obstrepebat hinc metus, praeter hunc, invicem natantium mutuus clamor. 21. Tandem, qua leniore tractu annis aperit vadum, emersere: nec quidquam praeter paucas sarcinas desideratum est. 22. Deleri potuit exercitus, si quis ausus esset vincere: sed perpetua fortuna regis avertit inde hostem. Sic Granicum, tot millibus equitum peditumque in ulteriore stantibus ripa, superavit: sic angustis in Ciliciae calibus tantam multitudinem hostium. 23. Audaciae quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest; quia nunquam in discrimen venit, an temere fecisset. Mazaeus, qui, si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit, in compositos in ripa demum, et iam perarmatos, aequitare coepit. 24. Mille admodum equites praemiserat. Quorum paucitate Alexander explorata, deinde contemta, praefectum Paeonum equitum Aristona laxatis habenis inveli iussit. 25. Insignis eo die pugna equitum, et praecipue Aristonis, fuit: praefectum equitatus Persarum Satropatem, directa in gutture hasta transfixit; fugientemque per medios hostes consecutus, ex equo praecipitavit, et obluctanti caput gladio demisit; quod relatum magna cum laude ante regis pedes posuit.

X. Biduo ibi rex stativa habuit: in proximum de-

inde iter pronuntiari iussit. 2. Sed prima fere vigilia luna deficiens, primum nitorem sideris sui condidit, deinde sanguinis colore suffuso lumen omne foedavit: sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens religio, et ex ea formido quaedam incussa est. 3. Diis invitis in ultimas terras trahi se querebantur. Iam nec flumina posse adiri; nec sidera pristinum praestare fulgorem: vastas terras, deserta omnia occurrere: in unius hominis iactationem tot millium sanguinem impendi. Fastidio esse patriam; abdicari Philippum patrem; coelum vanis cogitationibus peti. 4. Iam prope seditionem res erat; quum ad omnia interritus, duces principesque militum frequentes adesse praetorio, Aegyptiosque vates, quos coeli ac siderum peritissimos esse credebat, quid sentirent, expromere iubet. 5. At illi, qui satis scient, temporum orbis implere destinatas vices, lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut sole premeretur; rationem quidem, ipsis perceptam, non edocent vulgus: 6. ceterum affirmant, solem Graecorum, lunam esse Persarum; quoties illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi: veteraque exempla percensent Persidis regum, quos adversis Diis pugnasse, lunae ostendisset defectio. 7. Nulla res efficacius multitudinem regit, quam superstitio: alioquin impotens, saeva, mutabilis, ubi vana religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis, paret. Igitur edita in vulgus Aegyptiorum responsa rursus ad spem et fiduciam erexere torpentes. 8. Rex, impetu animorum utendum ratus, secunda vigilia castra movit: dextra Tigrim habebat; a laeva montes, quos Gordaeos vocant. 9. Hoc ingresso iter speculatores, qui praemissi erant, sub lucis ortum, Darium adventare nuntiaverunt. Instructo igitur milite, et composito agmine, antecedebat. 10. Sed Persarum moratores erant mille ferme, qui speciem agminis magni fecerant: quippe ubi explorari

vera non possunt, falsa per metum augmentur. 11. His cognitis, rex cum paucis suorum assecutus agmen refugientium ad suos, alios cecidit, alios cepit: equitesque praemisit simul speculatum, simul ut ignem, quo barbari cremaverant vicos, exstinguerent. 12. Quippe fugientes raptim tectis acervisque frumenti iniecerant flammam: quae quum in summo haesissent, ad inferiora nondum penetraverant. 13. Exstincto igitur igne, plurimum frumenti repertum est: copia aliarum quoque rerum abundare coeperunt. Ea res ipsa militi ad persequendum hostem animum incendit: quippe urente et populante eo terram, festinandum erat, ne incendio cuncta praeriperet. 14. In rationem ergo necessitas versa; quippe Mazaeus, qui antea per otium vicos incenderat, iam fugere contentus, pleraque inviolata hosti reliquit. 15. Alexander haud longius centum quinquaginta stadiis Darium abesse compererat. Itaque ad satietatem quoque copia commeatum instructus, quatridduo in eodem loco substitit. 16. Interceptae deinde Darii literae sunt, quibus Graeci milites sollicitabantur, ut regem interficerent aut proderent: dubitavitque, an eas pro concione recitaret, satis confisus Graecorum quoque erga se benevolentiae ac fidei. 17. Sed Parmenio deterruit; non esse talibus promissis imbuendas aures militum: patere vel unius insidiis regem: nihil nefas esse avaritiae. 18. Secutus consilii auctorem, castra movit. Iter facienti spado unus ex captivis, qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nuntiat, et vix spiritum ducere. 19. Itineris continui labore animique aegritudine fatigata, inter socrus et virginum filiarum manus collapsa erat; deinde et exstincta. Id ipsum nuntians alius supervenit. 20. Et rex haud secus, quam si parentis suae mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus: lacrimisque obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum, in quo mater erat Darii, defuncto assidens corpori, venit. 21. Hic

vero renovatus est moeror, ut prostatam humi vidit. Recenti malo priorum quoque admonita, receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris solatia, sed quibus ipsa deberet esse solatio. 22. In conspectu erat nepos parvulus, ob id ipsum miserabilis, quod nondum sentiebat calamitatem, maxime ex parte ad ipsum redundantem. 23. Crederes, Alexandrum inter suas necessitudines flere, et solatia non adhibere, sed quaerere. Cibo certe abstinuit: omnemque honorem funeri, patrio Persarum more, servavit: dignus hercule, qui nunc quoque tantum mansuetudinis et continentiae ferat fructum. 24. Semel omnino eam viderat, quo die capta est; nec ut ipsam, sed ut Darii matrem videret: eximiamque pulchritudinem formae eius non libidinis habuerat incitamentum, sed gloriae. 25. E spadonibus, qui circa reginam erant, Tyriotes, inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quae, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur, ad Darii castra pervenit: exceptusque a vigilibus, in tabernaculum regis perducitur, gemens et veste lacerata. 26. Quem ut conspexit Darius, multiplici doloris exspectatione commotus, et quid potissimum timeret, incertus, *Vultus tuus, inquit, nescio quod ingens malum praefert: sed cave miseri hominis auribus parcas. Didici enim esse infelix: et saepe calamitatis solatium est, nosse sortem suam.* 27. Num, quod maxime suspicor et loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es, mihi, et ut credo, ipsis quoque, omni graviora supplicio? 28. Ad haec Tyriotes, *istud quidem procul abest, inquit: quantuscunque enim reginis honor ab iis qui parent haberi potest, tuis a victore servatus est: sed uxor tua paullo ante excessit e vita.* 29. Tum vero non gemitus modo, sed etiam eiulatus, totis castris exaudiebantur: nec dubitavit Darius, quin interfecta esset, quia nequisset contumeliam pati. Exclamatque amens dolore: *quod ego tantum nefas*

commisi, Alexander? quem tuorum propinquorum necavi, ut hanc vicem saevitiae meae reddas? Odisti me, non quidem provocatus: sed finge, iustum intulisse te bellum; cum feminis ergo agere debueras? 30. Tyriotes affirmare per Deos patrios, nihil in eam gravius esse consultum: ingemuisse etiam Alexandrum morti, et non parcius flevisse, quam ipse lacrimaret. 31. Ob haec ipsa amantis animus in sollicitudinem suspicionemque revolutus est, desiderium captivae profecto a consuetudine stupri ortum esse coniectans. 32. Submotis igitur arbitris, uno dumtaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans, *videsne, inquit, Tyriote, locum mendacio non esse? tormenta hic iam erunt; sed ne exspectaveris per Deos, si quid tui tibi regis reverentiae est: num, quod et scire expeto, et quaerere pudet, ausus est et dominus et iuvenis?* 33. Ille quaestioni corpus offerre, Deos testes invocare, caste sancteque habitam esse reginam. 34. Tandem ut fides facta est, vera esse quae affirmaret spado, capite velato diu flevit: manantibusque adhuc lacrimis, veste ab ore reiecta, ad coelum manus tendens, *Dii patrii, inquit, primum mihi stabilite regnum: deinde, si de me iam transactum est, precor, ne quis potius Asiae rex sit, quam iste tam iustus hostis, tam misericors victor.*

XI. Itaque quamquam, pace frustra bis petita, omnia in bellum consilia converterat; victus tamen continentia hostis, ad novas pacis condiciones ferendas decem legatos, cognatorum principes, misit: quos Alexander, consilio advocato, introduci iussit. 2. E quibus maximus natus, *Darium, inquit, ut pacem a te iam hoc tertio peteret, nulla vis subegit, sed iustitia et continentia tua expressit.* 3. *Matrem, coniugem, liberosque eius, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitiae earum, quae supersunt, curam haud secus quam parens agens, reginas appellas; speciem pristinae fortunae retinere pateris.* 4. *Vultum tuum vi*

deo, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturae eius moraretur. Ecquid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? 5. Antea imperio tuo finem destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. 6. Nunc, quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit: Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine: matrem et duas virgines filias redde; pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias. 7. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris: intuere, quantum petas. 8. Periculosum est praegrave imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant? 9. Nescio, an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiae opes magnae iacturae locum faciunt. Facilius est, quaedam vincere, quam tueri. Quam hercule expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere potest, minus iam misericordiae tuae licere, quam licuit. 10. Alexander, legatis excedere tabernaculo iussis, quid placeret, ad consilium refert. Diu nemo, quid sentiret, ausus est dicere, incerta regis voluntate. 11. Tandem Parmenio, „ante suasisse,“ ait, „ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occuparent manus. 12. Et nunc magnopere censere, ut unam anum et duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millibus talentis auri permutet. 13. Opimum regnum occupari posse conditione, non bello; nec quemquam alium inter Istrum et Euphraten possedissee terras ingenti spatio intervalloque discretas. Macedoniam quoque respiceret potius, quam Bactra

et Indos intueretur.“ 14. Ingrata oratio regi fuit. Itaque, ut finem dicendi fecit; *et ego, inquit, pecuniam quam gloriam malle, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum: et me non mercatorem memini esse, sed regem.* 15. *Nihil quidem habeo venale; sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remitemus.* 16. *Introductis deinde legatis ad hunc modum respondit: Nuntiate Dario, [gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse: et] me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae eius tribuisse, sed naturae meae: [nec adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere.]* 17. *Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo: armatus sit oportet, quem oderim.* 18. *Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan, an darem. Verum enimvero, quum modo milites meos literis ad prodicionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet; ad internecionem mihi persequendus est, non ut iustus hostis, sed ut percussor veneficus.* 19. *Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphraten sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphraten sum. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis.* 20. *Eadem liberalitate dat mihi filiam suam: nempe quam scio alicui servorum eius nupturam. Multum vero mihi praestat, si me Mazaeo generum praeponit!* 21. *Ite, nuntiate regi vestro: et quae amisit, et quae adhuc habet, praemia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximae lucis assignatura fortuna est.* 22. *[Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus et non par mihi vellet haberi, facerem forsitan, quae petit. Ceterum nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere.*

23. *Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi, quam expertus est, pollicetur fortunam.*] 24. Legati respondent: quum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur. Ipsos petere, quamprimum dimittantur ad regem: eum quoque bellum parare debere. Dimissi nuntiant, adesse certamen.

XII. Ille quidem confestim Mazaeum cum tribus millibus equitum ad itinera, quae hostis petiturus erat, occupanda praemisit. 2. Alexander, corpori uxoris eius iustis persolutis, omnique graviore comitatu intra eadem munimenta cum modico praesidio relicto, ad hostem contendit. 3. Duo cornua divisa erant peditum, in utrumque latus equite circumdato: impedimenta sequebantur agmen. 4. Praemissum deinde cum citis equitibus Menidam iubet explorare, ubi Darius esset. At ille, quum Mazaeus haud procul consedisset, non ausus ultra procedere, nihil aliud, quam fremitum hominum hinnitumque equorum, exaudisse nuntiat. 5. Mazaeus quoque, inspectis procul exploratoribus, in castra se recepit, adventus hostium nuntius. Igitur Darius, qui in patentibus campis decernere optabat, armari militem iubet, aciemque disponit. 6. In laevo cornu Bactriani ibant equites, mille admodum; Dahae totidem: et Arachosii Susiique quatuor millia explebant. Hos centum falcati currus sequebantur. Proximus quadrigis erat Bessus, cum octo millibus equitum item Bactrianis. 7. Massagetae duobus millibus agmen eius claudebant. Pedites his plurium gentium non mixtos, sed suae quisque nationis iunxerat copias. Persas deinde cum Mardis Sogdianisque Ariobarzanes et Orobates ducebant. 8. Illi partibus copiarum, summae Orsines praeerat, a septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque nobilissimum regem originem sui referens. 9. Hos aliae gentes, ne sociis quidem satis notae, sequebantur. Post quas quinquaginta qua-

drigas Phradates magno Caspianorum agmine antecede-
bat. Indi ceterique rubri maris accolae, nomi-
na verius quam auxilia, post currus erant. 10. Clau-
debatur hoc agmen aliis falcatis curribus quinquaginta: quis peregrinum militem adiunxerat. Hunc Armenii, quos minores vocant; Armenios Babylonii; utrosque Belitae, et qui montes Cossaeorum incolebant, sequebantur. 11. Post hos ibant Gortuae, gentis quidem Euboicae, Medos quondam secuti, sed iam degeneres, et patrii moris ignari. Applicuerat his Phrygas et Cataonas. Parthyaeorum deinde gens, incolentium terras, quas nunc Parthi Scythia profecti tenent, claudebant agmen. Haec sinistri cornu acies fuit. 12. Dextrum tenebat natio maioris Armeniae, Cadusiique, et Cappadoces, et Syri, et Medi. His quoque falcati currus erant quinquaginta. 13. Summa totius exercitus, equites [centum] quadraginta quinque millia: pedestris acies [sex] centa millia expleverat. Hoc modo instructi decem stadia procedunt: iussique subsistere, armati hostem expectabant. 14. Alexandri exercitum pavor, cuius causa non suberat, invasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurren-
te. Coeli fulgor tempore aestivo ardenti similis internitens, ignis praebuit speciem; flammisque ex Darii castris splendere, velut illati temere praesidiis, credebant. 15. Quodsi percussis Mazaeus, qui praesidebat itineri, supervenisset, ingens clades accipi potuit. Ille segnis in eo quem occupaverat tumulo sedit, contentus non lacessi. 16. Alexander, cognito pavore exercitus, signum ut consisterent dari, ipsos arma deponere, ac levare corpora iubet, admonens, nullam subiti causam esse timoris; hostem procul stare. 17. Tandem compotes sui, pariter arma et animos recepere: nec quidquam ex praesentibus tutius visum est, quam eodem loco castra munire. 18. Postero die Mazaeus, qui cum delectis equitum in e-

dito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur castra, consederat, sive metu, sive quia speculari modo iussus erat, ad Darium rediit. 19. Macedones eum ipsum collem, quem deseruerat, occupaverunt: nam et tutior planitie erat, et inde acies hostium, quae in campo explicabatur, conspici poterat. 20. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, universam quidem rei faciem non abstulit; ceterum agminum discrimina atque ordinem prohibuit perspici. Multitudo inundaverat campos: fremitusque tot milium etiam procul stantium aures impleverat. 21. Fluctuari animo rex, et modo suum, modo Parmenionis consilium sera aestimatione perpendere; quippe eo ventum erat, unde recipi exercitus, nisi victor, sine clade non posset. 22. [Movebat etiam eum multitudo hostium, respectu paucitatis suae gentis: sed interdum reputabat, quantas res cum hac gente gessisset, quantosque populos fudisset. Itaque, quum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus, ne desperatio suis cresceret;] dissimulato eo, mercenarium equitem ex Paeonia praecedere iubet. 23. Ipse phalangem, sicut antea dictum est, in duo cornua extenderat: utrumque cornu equites tegebant. Iamque nitidior lux, discussa caligine, aciem hostium ostenderat; et Macedones, sive alacritate, sive taedio expectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem. Redditus et a Persis, nemora vallesque circumiectas terribili sono impleverat. 24. Nec iam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire, vallum iaci iussit: strenueque opere perfecto, in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit.

XIII. Tum vero universa futuri discriminis facies in oculis erat: armis insignibus equi virique splendebant: et, omnia intentiore cura praeparari apud hostem, sollicitudo praetorum agmina sua interequitan-

tium ostendebat: 2. ac pleraque inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor, sollicitam expectatione mentem turbaverant. 3. Igitur sive dubius animi, sive ut suos experiretur, consilium adhibet: quid optimum factu esset, exquirens. 4. Parmenio, peritissimus inter duces artium belli, furto, non proelio, opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes; discordes moribus, linguis, ad haec somno et improvise periculo territos, quando in nocturna trepidatione coituros? 5. At interdiu primum terribiles occursuras facies Scytharum Bactrianorumque: hirta illis ora, et intonsas comas esse; praeterea eximiam vastorum magnitudinem corporum. Vanis et inanius militem magis quam iustis formidinis causis moveri. 6. Deinde tantam multitudinem circumfundi paucioribus posse. Non in Ciliciae angustiis, et inviis callibus, sed in aperta et lata planitie dimicandum fore. 7. Omnes ferme Parmenioni assentiebantur: Polypercon haud dubie in eo consilio positam victoriam arbitrabatur. 8. Quem intuens rex; (namque Parmenionem, nuper acrius quam vellet increpitum, rursus castigare non sustinebat) *latrunculorum, inquit, et furum ista sollertia est, quam praecipitis mihi; quippe illorum votum unicum est, fallere.* 9. *Meae vero gloriae semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi certum est: malo me fortunae poeniteat, quam victoriae pudeat.* 10. *Ad haec illud quoque accedit: vigilias agere barbaros, et in armis stare, ut ne decipi quidem possint, compertum habeo. Itaque ad proelium vos parate.* Sic incitatos ad corpora curanda dimisit. 11. Darius illud, quod Parmenio suaserat, hostem facturum esse coniectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias intentiore cura servari iusserat: ergo ignibus tota eius castra fulgebant. 12. Ipse cum

ducibus propinquisque agmina in armis stantium circumibat, Solem, et Mithren, sacrumque et aeternum invocans ignem, „ut illis dignam veteri gloria maiorumque monumentis fortitudinem inspirarent. 13. Et profecto, si qua divinae opis auguria humana mente concipi possent, Deos stare secum. Illos nuper Macedonum animis subitam incussisse formidinem: adhuc lymphatos ferri agique, arma iacentes: expetere praesides Persarum imperii deos debitas e vecordibus poenas. 14. Nec ipsum ducem saniozem esse; quippe ritu ferarum praedam modo, quam expeteret, intuentem, in perniciem, quae ante praedam posita esset, incurrere.“ Similis apud Macedones quoque sollicitudo erat: noctemque, velut in eam certamine edicto, metu egerunt. 15. Alexander, non alias magis territus, ad vota et preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste, verbenas manu praeferens, capite velato, praeibat preces regi, Iovem, Minervam Victoriâque propitianti. 16. Tunc quidem sacrificio rite perpetrato, reliquum noctis adquieturus in tabernaculum rediit. Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat. Modo e iugo montis aciem in dextrum Persarum cornu demittere agitabat; modo recta fronte concurrere hosti; interdum haesitare, an potius in laevum torqueret agmen. 17. Tandem gravatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit. Iamque luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, insolito circa praetorium silentio attoniti: 18. quippe alias accersere ipsos, et interdum morantes castigare assueverat: tunc ne ultimo quidem rerum discrimine excitatum esse mirabantur; et non somno quiescere, sed pavore marcere credebant. 19. Non tamen quisquam e custodibus corporis intrare tabernaculum audebat: et iam tempus instabat; nec miles iniussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire. 20. Diu Parmenio cunctatus, cibum ut caperent, ipse pronunciat. Iamque

exire necesse erat: tunc demum intrat tabernaculum, saepiusque nomine compellatum, quum voce non posset, tactu excitavit. 21. *Multa lux, inquit, est: instructam aciem hostis admovit: tuus miles adhuc inermis exspectat imperium. Ubi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles.* 22. Ad haec Alexander: *credisne, me prius somnum capere potuisse, quam exonerarem animum sollicitudine, quae quietem morabatur?* signumque pugnae tuba dari iussit. 23. Et quum in eadem admiratione Parmenio perseveraret, quod securus somnum cepisset; *minime, inquit, mirum est: ego enim, quum Darius terras ureret, vicos exscinderet, alimenta corrumperet, potens me non eram:* 24. *nunc vero quid metuum, quum acie decernere paret? Hercule votum meum implevit. Sed huius quoque consilii ratio postea reddetur: vos ite ad copias, quibus quisque praeest. Ego iam adero, et quid fieri velim, exponam.* 25. Raro admodum, admonitu magis amicorum, quam metu discriminis adeundi, thorace uti solebat. Tunc quoque munimento corporis sumto, processit ad milites. Haud alias tam alacrem viderant regem: et vultu eius interrito, certam spem victoriae augurabantur. 26. Atque ille proruto vallo exire copias iubet, aciemque disponit. In dextro cornu locati sunt equites, quos agema appellant. Praeerat his Clitus: cui iunxit Philotae turmas, ceterosque praefectos equitum lateri eius applicuit. 27. Ultima Meleagri ala stabat: quam phalanx sequebatur. Post phalangem Argyraspides erant: his Nicenor, Parmenionis filius, praeerat. 28. In subsidiis cum manu sua Coenos: post eum Orestes Lyncestesque. Post illos Polypercon, dux peregrini militis. Huius agminis Amyntas princeps erat. Philagus Balacros regebat, in societatem nuper adscitos. Haec dextri cornu facies erat. 29. In laevo Craterus Peloponnensium equites habebat, Achaeorum et Locrensiurn et Maleon turmis sibi adiunctis. Hos Thes

sali equites claudebant, Philippo duce. Peditum a cies equitatu tegebatur. Frons laevi cornu haec erat. 30. Sed ne circumiri posset a multitudine, ultimum agmen valida manu cinxerat. Cornua quoque subsidiis firmavit, non recta fronte, sed a latere positis: ut, si hostis circumvenire aciem tentasset, parata pugnae forent. 31. Hic Agriani erant, quibus Attalus praeerat, adiunctis sagittariis Cretensibus. Ultimos ordines avertita fronte, ut totam aciem orbe muniret. Illyrii hic erant, adiuncto milite mercede conducto. 32. Thracas quoque simul obiecerat leviter armatos. Adeoque aciem versabilem posuit, ut, qui ultimi stabant, ne circumirentur, verti tamen, et in frontem circumagi possent. Itaque non prima, quam latera; non latera munitiora fuere, quam terga. 33. His ita ordinatis, praecipit, ut, si falcatos currus cum fremitu barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum occurrentium silentio exciperent: haud dubius, sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. Sin autem sine fremitu immisissent, eos ipsi clamore terrerent, pavidosque equos telis utrimque suffoderent. 34. Qui cornibus praeerant, extendere ea iussi, ita ut nec circumvenirentur, si arctius starent; nec tamen ultimam aciem exinanirent. 35. Impedimenta cum captivis, inter quos mater liberique Darii custodiebantur, haud procul ab acie in edito colle constituit, modico praesidio relicto. Laevum cornu, sicut alias, Parmenioni tuendum datum: ipse in dextro stabat. 36. Nondum ad teli iactum pervenerant, quum Bion quidam transfuga, quanto maximo cursu potuerat, ad regem pervenit: nuntians, murices ferreos in terram defodisse Darium, qua hostem equites emissurum esse credebat; notatumque certo signo locum, ut fraus evitari a suis posset. 37. Adservari transfuga iusso, duces convocat: expositoque quod nuntiatum erat, monet, ut regionem monstratam declinent, equitemque periculum edo-

ceant. 38. Ceterum hortantem exercitus exaudire non poterat, usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum: sed in conspectu omnium, duces et proximum quemque interequitans alloquebatur:

XIV. „Emensis tot terras in spem victoriae, de qua dimicandum foret, hoc unum superesse discrimen. Granicum hic amnem, Ciliciaeque montes, et Syriam Aegyptumque praetereuntibus raptas, ingentia spei gloriaeque incitamenta, referebat. 2. Reprehensos ex fuga Persas pugnatuos, quia fugere non possent. Tertium diem iam metu exsanguis, armis suis oneratos, in eodem vestigio haerere. Nul- lum desperationis illorum maius indicium esse, quam quod urbes, quod agros suos urerent, quidquid non corrupissent, hostium esse confessi. 3. Nomina modo vana gentium ignotarum ne extimescerent. Ne- que enim ad belli discrimen pertinere, qui ab his Scy- thae, quive Cadusii appellarentur. Ob id ipsum, quod ignoti essent, ignobiles esse. 4. Nunquam ignorari viros fortes: at imbelles, ex latebris suis erutos, ni- hil praeter nomina afferre. Macedones virtute asse- cutos, ne quis toto orbe locus esset, qui tales viros ignoraret. 5. Intuerentur barbarorum inconditum agmen: alium nihil praeter iaculum habere; alium funda saxa librare: paucis iusta arma esse. Itaque illinc plures stare: hinc plures dimicatuos. 6. Nec postulare se, ut fortiter capesserent proelium, ni ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum. Se ante prima signa dimicaturum. Spondere pro se, quot cicatrices, totidem corporis decora: scire ipsos, u- num paene se praedae communis exsortem, in illis colendis ornandisque usurpare victoriae praemia. 7. Haec se fortibus viris dicere. Si qui dissimiles eo- rum essent, illa fuisse dicturum: pervenisse eo, unde fugere non possent. Tot terrarum spatia emensis, tot annibus montibusque post tergum obiectis, iter in patriam et penates manu esse faciendum.“ Sic

duces, sic proximi militum instincti sunt. 8. Darius in laevo cornu erat, magno suorum agmine, delectis equitum peditumque stipatus: contempseratque paucitatem hostis, vanam aciem esse, extentis cornibus, ratus. 9. Ceterum, sicut curru eminebat, dextra laevaue ad circumstantium agmina oculos manusque circumferens, *Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paullo ante domini, iam non de gloria, sed de salute, et, quod saluti praeponeis, de libertate pugnandum est. Hic dies imperium, quo nulla amplius vidit aetas, aut constituet, aut finiet.* 10. *Apud Granicum minima virium parte cum hoste certavimus: in Cilicia victos Syria poterat excipere: magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant.* 11. *Ventum est eo, unde pulsus ne fugae quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt: non incolas suos urbes, non cultores habent terrae. Coniuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus praeda, nisi pro curissimis pignoribus corpora opponimus.* 12. *Quod mearum fuit partium, exercitum, quem paene immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: commeatus, ne tantae multitudini deessent, providi: locum, in quo acies explicari posset, elegi.* 13. *Cetera in vestra potestate sunt: audete modo vincere; famaque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite. Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis: quae ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia amisso aculeo torpet.* 14. *Hi vero campi deprehendere paucitatem, quam Ciliciae montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam et exhaustam: nam ultimi, quos locavit aversos, terga iam praebent. Obteri mehercule equorum unguis possunt, etiamsi nil praeter falcatos currus emisero.* 15. *Et bello vicerimus, si vincimus proelio: nam ne illis quidem ad fugam locus est: hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos.* 16. *Et quae antea pro*

illis erant, in contrarium conversa sunt. Nostrum mobile et expeditum agmen est, illud praeda grave. Implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus; eademque res et causa victoriae erit, et fructus. 17. Quod si quem e vobis nomen gentis movet, cogitet, Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis invicem hausimus; et semper gravior in paucitate iactura est. 18. Nam Alexander, quantuscunque ignavis et timidus videri potest, unum animal est, et, si quid mihi creditis, temerarium et vecors, adhuc nostro pavore, quam sua virtute, felicius. 19. Nihil autem potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas adspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit. Praeterea breves et mutabiles vices rerum sunt; et fortuna nunquam simpliciter indulget. 20. Forsitan ita Dii fata ordinaverunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent; admonerentque nos fragilitatis humanae, cuius nimia in prosperis rebus oblivio est. 21. Modo Graecis ultro bellum inferebamus: nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur invicem varietate fortunae. Videlicet imperium, quia mutuo affectamus, una gens non capit. 22. Ceterum, etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet: ad extrema perventum est. Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperii genitum, principes, illam sobolem regiae stirpis, duces vestros regum instar, vinctos habet: nisi quid in vobis est, ipse ego maiore mei parte captivus sum. Eripte viscera mea ex vinculis: restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso, parentem, liberos: nam coniugem in illo carcere amisi. 23. Credite, nunc omnes hostendere ad vos manus; implorare patrios Deos; opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, ut servitute, ut compedibus, ut precario victu ipsos liberetis. An creditis aequo animo iis servire, quorum reges

esse fastidiunt? 24. Video admoveri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus iis, quae dixi, possum esse contentus. Per ego vos Deos patrios, aeternumque ignem, qui praefertur altaribus, fulgoremque Solis intra fines regni mei orientis, per aeternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit: vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemque Persarum. 25. Itē alacres et spe pleni, ut, quam gloriam accepistis a maioribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestriam libertatem, opem; spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contemserit: timidissimum quemque consequitur. 26. Ipse non patrio more solum, sed etiam ut conspici possim, curru vehor: nec recuso, quo minus imitemini me, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviae fuero.

XV. Interim Alexander, ut et demonstratum a transfuga insidiarum locum circumiret, et Dario, qui laevum cornu tuebatur, occurreret, agmen obliquum incedere iubet. 2. Darius quoque eodem suum obvertit; Besso admonito, ut Massagetarum equites in laevum Alexandri cornu [a latere] invehi iuberet. 3. Ipse ante se falcatos currus habebat: quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigae, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. 4. Alios ergo hastae multum ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere demissae falces laceravere. Nec sensim Macedones cedebant; sed effusa turbaverant fuga ordines. 5. Mazaeus quoque percussis metum incussit, mille equitibus ad diripienda hostis impedimenta circumvehi iussis; ratus, captivos quoque, qui simul asservabantur, rupturos vincula, quum suos appropinquantes vidissent. 6. Non fefellerat Parmenionem, qui in laevo cornu erat. Propere igitur Polydamanta mittit ad regem, qui et periculum ostenderet, et, quid fieri iuberet, consuleret. 7. Ille, audito Polydamante, abi-

nuntia, inquit, *Parmenioni*, si acie vicerimus, non nostra solum nos recuperaturos, sed etiam, quae hostium sunt, occupaturos. 8. Proinde non est quod quidquam virium subducat ex acie; sed, ut me et *Philippo* patre dignum est, contempto sarcinarum damno, fortiter dimicet. 9. Interim Barbari impedimenta turbaverant; caesisque plerisque custodum, captivi, vinculis ruptis, quidquid obvium erat, quo armari possent, arripiunt: et aggregati suorum equitibus, *Macedonas*, ancipiti circumventos malo, invadunt; 10. laetique, qui circa *Sysigambim* erant, vicisse *Darium*, ingenti caede prostratos hostes, ad ultimum etiam impedimentis exutos esse, nuntiant: quippe eandem fortunam ubique esse credebant, et victores *Persas* ad praedam discurrense. 11. *Sysigambis*, hortantibus captivis, ut animum a moerore allevaret, in eodem, quo antea fuit, perseveravit. Non vox ulla excidit ei: non oris color vultusve mutatus est: sed sedit immobilis, credo praecoce gaudio verita fortunam irritare; adeo ut, quid mallet, intuentibus eam fuerit incertum. 12. Inter haec *Menidas*, praefectus equitum *Alexandri*, cum paucis turmis opem impedimentis laturus advenerat, incertum, suone consilio, an regis imperio; sed non sustinuit *Caucasiorum Scytharumque* impetum: quippe vix tentato certamine refugit ad regem, amissorum impedimentorum testis magis, quam vindex. 13. Iam consilium *Alexandri* vicerat dolor: et, ne cura recuperandi sua militem a proelio averteret, non immerito verebatur. Itaque *Aretem*, ducem hastatorum, (*sarissophoros* vocabant,) adversus *Scythas* mittit. 14. Inter haec currus, qui circa prima signa turbaverant aciem, in phalangem invecti erant. *Macedones*, confirmatis animis, in medium agmen accipiunt. 15. Vallo similis acies erat: iunxerant hastas, et ab utroque latere temere incurrentium ilia suffodiebant. Circumire deinde currus, et propugnatores praecipitare

coeperunt. 16. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleverat. Hi territos regere non poterant; equi crebra iactatione cervicum non iugum modo excusserant, sed etiam currus everterant. Vulnerati interfectos trahebant: nec consistere territi, nec progredi debiles poterant. 17. Paucae tamen evasere quadrigae in ultimam aciem, iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis: quippe amputata virorum membra humi iacebant; et quia calidis adhuc vulneribus aberat dolor, trunci quoque et debiles, arma [tamen] non omittebant; donec, multo sanguine effuso, exanimati procumberent. 18. Interim Aretes, Scytharum, qui impedimenta diripiebant, duce occiso, gravius territis instabat. Supervenere deinde missi a Dario Bactriani, pugnaeque vertere fortunam. Multi ergo Macedonum primo impetu obtriti sunt: plures ad Alexandrum refugerunt. 19. Tum Persae, clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem, quasi ubique profligatum, incurrunt. Alexander territos castigare, adhortari, proelium, quod iam elanguerat, solus accendere; confirmatisque tandem animis, ire in hostem iubet. 20. Rarior acies erat in dextro cornu Persarum: namque inde Bactriani discesserant ad opprimenda impedimenta. Itaque Alexander laxatos ordines invadit, et multa caede hostium invehitur. 21. At qui in laevo cornu erant Persae, spe, posse eum includi, agmen suum a tergo dimicantis opponunt: ingensque periculum in medio haerens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos regi barbaros adorti essent, aversosque caedendo in se obverti coëgissent. 22. Turbata erat utraque acies. Alexander et a fronte et a tergo hostem habebat: qui averso ei instabant, ab Agrianis militibus premebantur: et Bactriani, impedimentis hostium direptis, reversi, ordines suos recuperare non poterant: plura simul abrupta a ceteris agmina, ubicunque alium alii fors

miscuerat, dimicabant. 23. Duo reges iunctis prope agminibus proelium accenderant. Plures Persae cadebant: par ferme utrimque numerus vulnerabatur. 24. Curru Darius, Alexander equo vehebatur: utrumque delecti tuebantur, sui immemores. Quippe amisso rege nec volebant salvi esse, nec poterant. Ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium. 25. Maximum tamen periculum adibant, quos maxime tuebantur; quippe sibi quisque caesi regis expetebat decus. 26. Ceterum, sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit, qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paullulum super caput regis placide volantem aquilam, non sonitu armorum, non gemitu morientium territam: diuque circa equum Alexandri, pendenti magis quam volanti similis, apparuit. 27. Certe vates Aristander, alba veste indutus, et dextra praeferens lauream, militibus in pugnam intentis avem monstrabat, haud dubium victoriae auspiciam. 28. Ingens ergo alacritas et fiducia paullo ante territos accendit ad pugnam: utique postquam auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est. Nec aut Persae aut Macedones dubitavere, quin ipse rex esset occisus. 29. Ergo lugubri ululatu et incondito clamore gemituque totam fere aciem adhuc aequo Marte pugnantium turbavere cognati Darii et armigeri: laevoque tuentes cornu, in fugam effusi, destituerant currum: quem a dextra parte stipati in medium agmen receperunt. 30. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret. Sed eminens curru nondum omnem suorum aciem proelio excedentem destituere erubescerat. 31. Dum inter spem et desperationem haesitat, sensim Persae cedebant, et laxaverant ordines. Alexander, mutato equo, (quippe plures fatigaverat,) resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga. 32. lamque non pugna, sed caedes erat; quum Darius

quoque currum suum in fugam vertit. Haerebat in tergis fugientium victor: sed prospectum oculorum nubes pulveris, quae ad coelum ferebatur, abstulerat: 33. ergo haud secus, quam in tenebris, errabant; ad sonum notae vocis, ut signum, subinde coeuntes. Exaudiebantur tamen strepitus habenarum, quibus equi currum trahentes identidem verberabantur. Haec sola fugientis vestigia excepta sunt.

XVI. At in laevo Macedonum cornu, quod Parmenio, sicut ante dictum est, tuebatur, longe alia fortuna utriusque partis res gerebatur. 2. Mazaeus, cum omni suorum equitatu vehementer inVectus, urgebat Macedonum alas. Iamque abundans multitudine aciem circumvehi coeperat; quum Parmenio equites nuntiare iubet Alexandro, in quo discrimine ipsi essent; nisi mature subveniretur, non posse sisti fugam. 3. Iam multum viae processerat rex, imminens fugientium tergis, quum a Parmenione tristis nuntius venit. Refrenare equos iussi, qui vehebantur, agmenque constitit; frendente Alexandro, eripi sibi victoriam e manibus, et Darium feliciter fugere, quam sequi se. 4. Interim ad Mazaeum superati regis fama pervenerat. Itaque, quamquam validior erat, fortuna tamen partium territus, percussis languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam sua sponte pugnae remissae; sed occasione vincendi strenue est usus. Thessalos equites ad se vocari iubet. 5. *Ecquid, inquit, videtis istos, qui ferociter modo instabant, pedem referre, subito pavore perterritos? Nimirum nobis quoque regis nostri fortuna vincit. Omnia Persarum caede strata sunt. Quid cessatis? an ne fugientibus quidem pares estis?* 6. Vera dicere videbatur, et spes languentes quoque erexerat. Subditis calcaribus proruere in hostem: et illi iam non sensim, sed citato gradu recedebant; nec quidquam fugae, nisi quod terga nondum verterant, deerat. 7. Parmenio tamen, ignarus quaenam in dex-

tro cornu fortuna regis esset, repressit suos: Mazaeus, dato fugae spatio, non recto itinere, sed maiore et ob id tutiore circumitu Tigrim superat, et Babylonem cum reliquiis devicti exercitus intrat. 8. Darius paucis fugae comitibus ad Lycum amnem contenderat: quo trajecto dubitavit an solveret pontem, quippe hostem iam affore nuntiabatur. Sed tot millia suorum, quae nondum ad amnem pervenerant, ponte reciso, praedam hostis fore videbat. 9. Abentem, quum intactum sineret pontem, dixisse constat, malle insequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. Ipse ingens spatium fuga emensus, media fere nocte Arbela pervenit. 10. Quis tot ludibria fortunae, ducum agminumque caedem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, aut animo assequi queat, aut oratione complecti? Propemodum seculi res in unum illum diem fortuna cumulavit. 11. Alii qua brevissimum patebat iter, alii diversos saltus, et ignotos sequentibus calles petebant. Eques pedesque confusi sine duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur. 12. Deinde, misericordia in metum versa, qui sequi non poterant, inter mutuos gemitus deserebantur. Sitis praecipue fatigatos et saucios perurebat, passimque omnibus rivis prostraverant corpora, praeterfluentem aquam hianti ore captantes. 13. Quam quum avidi turbidam hausissent, tendebantur extemplo praecordia premente limo; resolutisque et torpentibus membris, quum supervenisset hostis, novis vulneribus excitabantur. 14. Quidam, occupatis proximis rivis, diverterant longius, ut, quidquid occulti humoris usquam manaret, exciperent; nec ulla adeo avia et sicca lacuna erat, quae vestigantium sitim falleret. 15. E proximis vero itineri vicis senum ululatus feminarumque exaudiebantur, barbaro ritu Darium adhuc regem clamantium. 16. Alexander, ut supra dictum est, inhibito suorum cur-

su, ad Lycum amnem pervenerat; ubi ingens multitudo fugientium oneraverat pontem, et plerique, quum hostis urgeret, in flumen se praecipitaverant, gravesque armis et proelio ac fuga fatigati, gurgitibus hauriebantur. 17. Iamque non pons modo fugientes, sed ne amnis quidem capiebat, agmina sua improvide subinde cumulantes: quippe ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare coeperunt. 18. Alexander, instantibus suis, impune abeuntem hostem sequi permetteret; hebetia tela esse, et manus fatigatas, tantoque cursu corpora exhausta, et praeceps in noctem diei tempus, causatus est. 19. Revera de laevo cornu, quod adhuc in acie stare credebat, sollicitus, reverti ad ferendam opem suis statuit. Iamque signa converterat, quum equites, a Parmenione missi, illius quoque partis victoriam nuntiant. 20. Sed nullum eo die maius periculum adiit, quam dum copias reducit in castra. 21. Pauci eum et incompociti sequebantur, ovantes victoria; quippe omnes hostes aut in fugam effusos, aut in acie cecidisse credebant: quum repente ex adverso apparuit agmen equitum, qui primo inhibuere cursum; deinde, Macedonum paucitate conspecta, turmas in obvios concitaverunt. 22. Ante signa rex ibat, dissimulato magis periculo, quam spreto. Nec defuit ei perpetua in dubiis rebus felicitas. 23. Namque praefectum equitatus, avidum certaminis, et ob id ipsum incautius in se ruentem, hasta transfixit: quo ex equo lapso, proximum, ac deinde plures, eodem telo confodit. 24. Invasere turbatos amici quoque; nec Persae inulti cadebant; quippe non universae acies, quam hae tumultuariae manus, vehementius iniere certamen. 25. Tandem barbari, quum obscura luce fuga tutior videretur esse, quam pugna, diversis agminibus abiere. Rex, extraordinario periculo defunctus, incolumes suos reduxit in castra. 26. Cecidere Persarum, quorum numerum victores

finire potuerunt, millia XL; Macedonum minus quam CCC desiderati sunt. 27. Ceterum hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti, quam fortunae suae debuit: animo, non ut antea loco, vicit. 28. Nam et aciem peritissime instruxit: et promptissime ipse pugnavit: et magno consilio iacturam sarcinarum impedimentorumque contempsit, quum in ipsa acie summum rei videret esse discrimen: 29. dubioque adhuc pugnae eventu, pro victore se gessit: perculosos deinde hostes fudit: fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius quam avidius persecutus est. 30. Nam si, parte exercitus adhuc in acie stante, instare cedentibus perseverasset; aut sua culpa victus esset, aut aliena virtute vicisset. Iam si multitudinem equitum occurrentium extimuisset, victori aut foede fugiendum, aut miserabiliter cadendum fuit. 31. Ne duces quidem copiarum sua laude fraudandi sunt; quippe vulnera, quae quisque exceptit, indicia virtutis sunt. 32. Hephaestionis brachium hasta ictum est: Perdicas, ac Coenus, et Menidas, sagittis prope occisi. 33. Et, si vere aestimare Macedonas, qui tunc erant, volumus, fatebimur, et regem talibus ministris, et illos tanto rege fuisse dignissimos.

Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER V.

ARGUMENTUM.

1. Dario Mediae fines ingresso, Arbela potitur Alexander, et Babylone: cuius situs, amplitudo, et corrupti mores describuntur. 2. Militibus praemia proponit, ut iis otium excuteret. Susianam urbem ac regum Persiae thesauros recipit; Sisymbim solatur. 3. Uxiorum regione superata, Mandatem praefectum ac deditos et captivos, tum libertate tum immunitate donat: Persidemque intrare cogitans, ab Ariobarzane recedere cogitur. 4. Captivo quodam iter paucis cognitum aperiente, Persarum exercitum, ipso Ariobarzane occiso, delet. 5. Ad Persepolim properans, captivorum Graecorum IV millia liberat. 6. Opulentissima urbe Persepoli direpta, interiorem Persidis regionem petit, ac Mardorum domat gentem. 7. Alexander in convivio, a Thaide impulsus, Persarum regiam incendit: deinde persequi Darium statuit. 8. Darii, suos ad pugnam

hortantis, oratio. 9. Variæ magnatum sententiæ, ac tumultus, ob Nabarzanis, qui cum Besso proditionis societatem inierat, consilium. 10. Bessi et Nabarzanis de Dario prodendo aut occidendo deliberatio. 11. Insidiæ proditorum Dario aperiantur. Is tamen Graecorum respuit auxilium, paratus perire, si salvum esse sui nollent. 12. Bessus Darium fictis verbis et lacrimis delusum comprehendit, aureisque vinctum compedibus, in sordido vehiculo ad Alexandrum deducere parat. 13. Alexander, audito Darii periculo, ad Persarum exercitum contendit. Bessus autem, cum reliquis facinoris sui sociis arma vultumque victoris metuens, Darium, multis confossum vulneribus, relinquit, fugaque sibi consulit. Darii corpus repertum Alexander lacrimis prosequitur, et ad Sisygambim sepeliendum mittit.

1. Quæ interim ductu imperioque Alexandri vel in Graecia, vel Illyriis ac Thracia gesta sunt, si suis quæque temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiae: 2. quas utique ad fugam mortemque Darii universas in conspectum dari, et sicut inter se cohaerent [tempore], ita opere ipso coniungi, haud paullo aptius videri potest. Igitur [ante], quæ proelio apud Arbela coniuncta sunt, ordiar dicere. 3. Darius media fere nocte Arbela pervenerat; eodemque magnæ partis amicorum eius ac militum fugam fortuna compulerat. 4. Quibus convocatis exponit: haud dubitare se, quin Alexander celeberrimas urbes, agrosque omni copia rerum abundantes petiturus esset: prædam optimam paratamque ipsum et milites eius spectare. 5. Id suis rebus tali in statu salutis fore; quippe se deserta cum expedita manu petiturum. Ultima regni sui adhuc intacta esse; inde bello vires haud aegre reparaturum. 6. Occuparet sane gazam avidissima gens, et ex longa fame satiaret se auro, mox futura prædæ sibi: se usu didicisse, pretiosam suppellectilem, pellicesque et

spadonum agmina nihil aliud fuisse, quam onera et impedimenta: eadem trahentem Alexandrum, quibus rebus antea vicisset, inferiorem fore. 7. Plena omnibus desperationis videbatur oratio, quippe Babylonem urbem opulentissimam dedi cernentibus. Iam Susa, iam cetera ornamenta regni, causamque belli, victorem occupaturum. 8. At ille docere pergit; non speciosa dictu, sed usu necessaria in rebus adversis sequenda esse. Ferro geri bella, non auro; viris, non urbium tectis. Omnia sequi armatos. Sic maiores suos percussos in principio rerum, celeriter pristinam reparasse fortunam. 9. Igitur, sive confirmatis eorum animis, sive imperium magis quam consilium sequentibus, Mediae fines ingressus est. 10. Paulo post Alexandro Arbela traduntur, regia supellectili ditique gaza repleta. Quatuor millia talentum fuere: praeterea pretiosae vestes, totius, ut supra dictum est, exercitus opibus in illam sedem congestis. 11. Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum totis iacentium campis vulgaverat, maturius castra movit. Euntibus aperit se a laeva Arabia, odorum fertilitate nobilis regio. 12. Campestre iter est, inter Tigrim et Euphratem tam uberi et pingui solo, ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. 13. Ipsi amnes ex Armeniae montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio, iter, quod coepere, percurrunt. Duo millia et D stadia emensi sunt, qui amplissimum intervalum circa Armeniae montes notaverunt. 14. Iidem quum Mediae et Gordiaeorum terras secare coeperunt, paullatim in arctius coeunt, et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terrae relinquunt. 15. Vicini maxime sunt his campis, quos incolae Mesopotamiam appellant; mediam namque ab utroque latere concludunt. Iidem per Babyloniorum

finis in Rubrum mare prorumpunt. 16. Alexander quartis castris ad Mennim urbem pervenit. Caverna ibi est, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit, adeo, ut satis constet, Babylonios muros ingentis operis huius fontis bitumine interlitos esse. 17. Ceterum Babylonem procedenti Alexandro Mazaeus, qui ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit, urbem seque dedens. Gratus adventus eius fuit regi; quippe magni operis futura erat obsidio tam munitae urbis. 18. Ad hoc vir illustris, et manu promptus, famaue etiam proximo proelio celebris, et ceteros ad deditionem, sui incitaturus exemplo videbatur. 19. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excipit: ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi novum regem: plures obviam egressi sunt. 20. Inter quos Bagophanes, arcis et regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat; argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non thure modo, sed omnibus odoribus cumularat. 21. Dona eum sequebantur, greges pecorum equorumque; leones quoque et pardales caveis praeferebantur. 22. Magi deinde, suo more patrium carmen canentes; post hos Chaldaei, Babyloniorumque non vates modo, sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant. Laudes ii regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et stas temporum vices ostendere. 23. Equites deinde Babylonii, suo atque equorum cultu, ad luxuriam magis quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant. Rex, armatis stipatus, oppidanorum turbam post ultimos pedites ire iussit: ipse cum curru urbem, ac deinde regiam, intravit. Postero die supellectilem Darii, et omnem pecuniam recognovit. 24. Ceterum ipsius urbis palchritudo ac vetustas, non regis modo, sed etiam

omnium oculos in semet haud immerito convertit. Semiramis eam condiderat; vel, ut plerique credidere, Belus, cuius regia ostenditur. 25. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus, spatium XXX et duorum pedum latitudine amplectitur: quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. 26. Altitudo muri C cubitorum eminent spatio: turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXV stadia complectitur; singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriae proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed fere spatium unius iugeri absunt. 27. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt: per LXXX stadia habitatur; nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est; pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. 28. Euphrates interfuit, magnaeque molis crepidinibus coërcetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes, in altitudinem pressae ad accipiendum impetum fluminis; quod ubi appositae crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corripere, nisi essent specus lacusque, qui exciperent. 29. Coctili laterculo structi sunt: totum opus bitumine adstringitur. Pons lapideus, flumini impositus, iungit urbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto, vix fulciendo operi firmum reperiunt solum; 30. arenae autem subinde cumulatae, et saxis, quibus pons sustinetur, adnexae, morantur annum; qui retentus acrius, quam si libero cursu mearet, illiditur. 31. Arcem quoque ambitu XX stadia complexam habet. XXX pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt: ad LXXX summum munimenti fastigium pervenit. 32. Super arce, vulgatum Graecorum fabulis

miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem aequantes, multarumque arborum umbra et proceritate amoeni. 33. Saxo pilae, quae totum onus sustinent, instructae sunt: super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terrae, quam altam iniiciunt; et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores sustinent moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine aequent, in L pedum altitudinem emineant, et frugiferae aequae sint, ac si terra sua alerentur. 34. Et quum vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat: haec moles, quae tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat; quippe XX lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvae montibus suis immingere videantur. 35. Syriae regem, Babylone regnantem, hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore coniugis victum; quae, desiderio nemorum silvarumque, in campestribus locis, virum compulit naturae genium amoenitate huius operis imitari. 36. Diutius in hac urbe quam usquam constitit rex: nec ullus locus disciplinae militari magis nocuit. Nihil urbis eius corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius. 37. Liberos coniugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes maritique patiuntur. Convivales ludi tota Perside regibus purpuratisque cordi sunt: Babylonii maxime in vinum, et quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt. 38. Feminarum, convivia ineuntium, in principio modestus est habitus: dein summa quaeque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant: ad ultimum (honus auribus habitus sit) ima corporum velamenta proiiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas. 39. Inter haec

flagitia exercitus ille domitor Asiae per XXXIV dies saginatus, ad ea quae sequebantur discrimina haud dubie debilior futurus fuit, si hostem habuisset. Ceterum, quo minus damnus sentiret, identidem incremento renovabatur. 40. Namque Amyntas Andromeni ab Antipatro Macedonum peditum sex millia adduxit: D praeterea eiusdem generis equites. 41. Cum his DC Thracas, adiunctis peditibus suae gentis III millibus et D, et ex Peloponneso mercenarius miles ad IV millia advenerat, cum CCCLXXX equitibus. 42. Idem Amyntas adduxerat L principum Macedoniae liberos adultos, ad custodiam corporis: quippe inter epulas hi sunt regis ministri; iidemque equos ineunti proelium admovent, venantemque comitantur; et vigiliarum vices ante cubiculi fores servant: magnorumque praefectorum et ducum haec incrementa sunt et rudimenta. 43. Igitur arci Babyloniae rex Agathone praesidere iusso cum DCC Macedonum trecentisque mercede conductis, praetores, qui regioni Babyloniae et Ciliciae praessent, Menetem et Apollodorum reliquit. His duo millia peditum cum mille talentis data: utrique praeceptum, ut in supplementum milites legerent. 44. Mazaeum transfugam satrapia Babyloniae donat; Bagophanem, qui arcem tradiderat, se sequi iussit: Armenia Mithreni, Sardium proditori, data est. 45. Ex pecunia deinde Babyloniae Macedonibus equitibus sexcenti denarii tributii: peregrinus eques quingenos accepit, ducenos pedes, trium stipendium mensium.

II. His ita compositis, in regionem, quae Satrapene vocatur, pervenit. Fertilis terra, copia rerum et omni comœatu abundans. 2. Itaque diutius ibi substitit; ac ne desides otio demitterent animos, iudices dedit, praemiaque proposuit de virtute militari certantibus. 3. Novem, qui fortissimi iudicati essent, singulis militum millibus praefuturi erant, (chi-

liarchas vocabant,) tunc primum in hunc numerum copiis distributis: namque antea quingenariae cohortes fuerant; nec fortitudinis praemia cesserant.

4. Ingens militum turba convenerat, egregio interfutura certamini, testis eadem cuiusque factorum, et de iudiciis latura sententiam: quippe verone an falso honos cuique haberetur, ignorari non poterat.

5. Primus omnium virtutis causa donatus est Atharrias senior, qui omissum apud Halicarnasson a iunioribus proelium unus maxime accenderat: proximus ei Antigenes visus est: tertium locum Philotas Augaeus obtinuit: quartus Amyntae datus est: post hos Antigonus, et ab eo Lyncestes Amyntas fuit: septimum locum Theodotus, *** ultimum obtinuit Hellenicus.

6. In disciplina quoque militaris rei pleraque a maioribus tradita utiliter mutavit. Nam quum ante equites in suam quisque gentem describerentur seorsum a ceteris; exempto nationum discrimine, praefectis, non utique suarum gentium, sed delectis, attribuit.

7. Tuba, quum castra movere vellet, signum dabat, cuius sonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur: ergo perticam, quae undique conspici posset, supra praetorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum: observabatur ignis noctu, fumus interdiu.

8. Iamque Susa adituro Abulites, regionis eius praefectus, sive Darii iussu, ut Alexandrum praeda retineret, sive sponte, filium obviam misit, traditurum se urbem promittens.

9. Benigne iuvenem excepit rex, et eo duce ad Choaspen amnem pervenit, delicatam, ut fama est, vehentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiae occurrit.

10. Dromades cameli inter dona erant, velocitatis eximiae; XII elephantum a Dario ex India acciti, non iam terror, ut speraverat, Macedonum, sed auxilium; opes victi ad victorem transferente fortuna.

11. Ut vero urbem intravit, incredibilem ex thesauris sum-

mam pecuniae egressit, L millia talentum argenti non signati forma, sed rudi pondere. 12. Multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant liberis posterisque, ut arbitrabantur, quas una hora in externi regis manus intulit. 13. Consedit deinde in regia sella, multo excelsiore, quam pro habitu corporis. Itaque pedes quum inum gradum non contingerent, unus ex regis pueris mensam subdidit pedibus. 14. Et quum spadonem, qui Darii fuerat, ingemiscentem conspexisset rex, causam moestitiae requisivit. Ille indicat, Darium vesci in ea solitum: seque sacram eius mensam ad ludibrium recidentem sine lacrimis conspiciere non posse. 15. Subiit ergo regem verecundia violandi hospitales Deos; iamque subduci iubebat; quum Philotas: *minime vero haec feceris, rex; sed omen quoque accipe, mensam, ex qua libavit hostis epulas, tuis pedibus esse subiectam.* 16. Rex, Persidis fines aditurus, Susa urbem Archelao et praesidium III millium tradidit: Xenophilo arcis cura mandata est; Macedonum aetate gravibus praesidere arcis custodiae iussis. 17. Thesaurorum Calliocrati tutela permissa. Satrapia regionis Susianae restituta Abuliti. Matrem quoque Darii et liberos in eadem urbe deponit. 18. Ac forte Macedonicas vestes, multamque purpuram, dono ex Macedonia sibi missam, cum iis, quae confecerant, tradi Sisygambi iussit. Omni namque honore eam, et filii quoque pietate, prosequabatur. 19. Admonerique iussit, ut, si cordi quoque vestis esset, conficere eam neptes suas adsuefaceret, donoque doceret dare. Ad hanc vocem lacrimae abortae prodidere animum aspernantis id munus: quippe non aliud magis in contumeliam Persarum feminae accipiunt, quam admove-re lanae manus. 20. Nuntiant qui dona tulerant, tristem esse Sisygambim; dignaque res excusatione et solatio visa. Ipse ergo pervenit ad eam, et, *mater, inquit, hanc vestem, qua indutus sum, sororum*

non solum donum, sed etiam opus vides: nostri decepere me mores. 21. Cave, obsecro, in contumeliam accipias ignorationem meam. Quae tui moris esse cognovi, ut spero, abunde servata sunt. 22. Scio, apud vos filium in conspectu matris nefas esse considerare, nisi quum illa permisit. Quotiescunq̄ue ad te veni, donec, ut considerem, annueres, restiti. Procumbens venerari me saepe voluisti: inhibui. Dulcissimae matri Olympiadi nomen debitum, tibi reddo.

III. Mitigato eius animo, rex quartis castris pervenit ad Tigrin fluvium: Pasitigrin incolae vocant. Oritur in montibus Uxiorum, et per L stadia silvestribus ripis praeceps inter saxa devolvitur. 2. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo praeterit, iam navium patiens. DC stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat. 3. Alexander, anne superato, cum IX millibus peditum, et Agrianis atque Graecorum mercenariis millibus III, additis millibus Thracum, in regionem Uxiorum pervenit. Finitima Susis est, et in primam Persidem excurrit, arctum inter se et Susianos aditum relinquens. 4. Madates erat huius regionis praefectus, haud sane temporum homo: quippe ultima pro fide experiri decreverat. 5. Sed periti locorum Alexandrum docent, occultum iter esse per calles, et aversum ab urbe: si paucos misisset leviter armatos, super capita hostium evasuros. 6. Quum consilium placuisset, iidem itinerum fuerunt duces. M et D mercede conducti, et Agriani fere M Tauroni praefecto dati, ac post solis occasum iter ingredi iussi. 7. Ipse tertia vigilia castris motis, circa lucis ortum superaverat angustias, caesaque materia cratibus et pluteis faciendis, ut, qui turres admoverent, extra teli iactum essent, urbem obsidere coepit. 8. Praerupta erant omnia, saxis et cotibus impedita. Multis ergo vulneribus depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco

dimicandum esset, subibant tamen; 9. quia rex inter primos constiterat, interrogans, tot urbium victores annon erubescerent haerere in obsidione castelli exigui et ignobilis? simul admonens *** Inter haec eminus petebatur; quem testudine obiecta milites, qui ut inde discederet perpellere nequiverant, tuebantur. 10. Tandem Tauron super arcem urbis secum suo agmine ostendit: ad cuius conspectum et animi hostium labare, et Macedones acrius proelium inire coeperunt. 11. Anceps oppidanos malum urgebat; nec sisti vis hostium poterat. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit: magna pars in arcem concessit. Inde XXX oratoribus missis ad deprecandum, triste responsum a rege redditur, non esse veniae locum. 12. Itaque suppliciorum metu perculsi, ad Sisygambim, Darii matrem, occulto itinere ignotoque hostibus mittunt, qui peterent, ut ipsa regem mitigaret: haud ignari, parentis eam loco diligi colique. Et Madates sororis filiam secum matrimonio iunxerat, Darium propinqua cognatione contingens. 13. Diu Sisygambis supplicum precibus repugnavit, abnuens, deprecationem pro illis convenire fortunae, in qua esset: adiecitque, metueresese, ne victoris indulgentiam fatigaret; saepiusque cogitare, captivam esse se, quam reginam fuisse. 14. Ad ultimum victa, literis Alexandrum ita deprecata est: „ut ipsam excusaret, quod deprecaretur. Petere se, ut illis quoque, si minus, sibi ignosceret. Pro necessario ac propinquo suo, iam non hoste, sed supplice, tantum vitam precari.“ 15. Moderationem clementiamque regis, quae tunc fuit, vel una haec res possit ostendere: non Madati modo ignovit, sed omnes et deditos et captivos libertate atque immunitate donavit; urbem reliquit intactam, agros sine tributo colere permisit. A victore Dario plura mater non impetrasset. 16. Uxiorum deinde gentem subactam Susianorum Satrapiae contribuit: divis-

que cum Parmenione copiis, illum campestri itinere procedere iubet; ipse cum expedito agmine iugum montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. 17. Omni hac regione vastata, tertio die Persidem, quinto angustias, quas illi Susidas Pylas vocant, intrat. Ariobarzanes has cum [X]XV millibus peditum occupaverat, rupes abscissas et undique praeruptas, in quarum cacuminibus extra teli iactum barbari stabant, de industria quieti et paventibus similes, donec in arctissimas fauces penetraret agmen. 18. Quod ubi contemptu sui pergere vident; tum vero ingentis magnitudinis saxa per montium prona devolvunt: quae incussa saepius subiacentibus petris, maiore vi incidebant, nec singulos modo, sed agmina proterebant. 19. Fundis quoque excussi lapides et sagittae ingerebantur undique. Nec id miserimum fortibus viris erat; sed quod inulti, ferarum ritu, velut in fovea deprehensi, caederentur. 20. Irâ igitur in rabiem versâ, eminentia saxa complexi, ut ad hostem pervenirent, alius alium levantes conabantur adscendere. Ea ipsa, multorum simul manibus correpta et convulsa, in eos, qui commoverant, recidebant. 21. Nec stare ergo, nec niti, nec testudine quidem protegi poterant, quum tantae molis onera propellerent barbari. Regem non dolor modo, sed etiam pudor temere in illas angustias coniecti exercitus angebat. 22. Invictus ad eam diem fuerat, nihil frustra ausus: impune Ciliciae fauces intraverat: mari quoque novum iter in Pamphyliam aperuerat: tunc haesitabat deprehensa felicitas; nec aliud remedium erat, quam reverti qua venerat. 23. Itaque signo receptui dato, densatis agminibus, scutisque super capita consertis, retro evadere ex angustiis iubet. XXX fuere stadia, quae remensi sunt.

IV. Tum castris undique aperto loco positis, non consultare modo quid agendum esset, sed vates quo-

que adhibere coepit a superstitione animi. 2. Sed quid tunc praedicere Aristander, cui tum plurimum credebatur ex vatibus, poterat? Itaque damnatis intempertivis sacrificiis, peritos locorum convocari iubet. Per Mediam iter ostendebant tutum apertumque; 3. sed rex dimittere milites insepultos erubescerebat, ita tradito more, ut vix ullum militiae tam solemne esset munus, quam humandi suos. 4. Captivos ergo, quos nuper exceperat, vocari iubet: inter quos erat quidam Graecae Persicaeque linguae peritus, qui frustra eum in Persidem montium dorso exercitum ducere affirmat: silvestres esse calles, vix singulis pervios; omnia contegi frontibus, implexosque arborum ramos silvas committere. 5. Namque Persis ab altero latere perpetuis montium iugis clauditur, quod in longitudinem MDC stadia, in latitudinem CLXX procurrit. Hoc dorsum a Caucaso monte ad rubrum mare pertinet; quaque deficit mons, aliud munimentum, fretum, obiectum est. 6. Planities deinde sub radicibus montium spatiosa procumbit, fertilis terra, multisque vicis atque urbibus frequens. 7. Araxes annis per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum: Medus ad mare, ad meridiem versus, minor annis eo quem accepit, vehitur; gignendaeque herbae non alius est aptior, quidquid alluit, floribus vestiens. 8. Platani quoque et populi contegunt ripas; ita ut procul visentibus continuata videantur montibus nemora riparum. Quippe obumbratus annis, presso in solum dilabitur alveo; imminentque colles, ipsi quoque frondibus laeti, radices humore subeunte. 9. Regio non alia tota Asia salubrior habetur: temperatum coelum: hinc perpetuum iugum opacum et umbrosum, quod aestus levat; illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fovet. 10. His expositis, captivus, interrogatus a rege, audiret an oculis comperta haberet, quae diceret; pastorem se fuisse, et omnes eos calles percur-

risse, respondit: bis captum, semel a Persis in Lycia, iterum ab ipso. 11. Subit animum memoria regis oraculo editae sortis: quippe consulenti responsum erat, ducem in Persidem ferentis viae Lycium civem fore. 12. Igitur promissis, quanta et praesens necessitas exigebat, et ipsius fortuna capiebat, oneratum, armari iubet Macedonum more, et, quod bene verteret, monstrare iter: quamvis arduum et praecipuum, evasurum se esse cum paucis. Nisi forte crederet, quo ipse pecoris causa isset, Alexandrum pro gloria et perpetua laude ire non posse. 13. Etiam atque etiam docere captivus, quam difficile iter esset, maxime armatis. Tum rex, praedem me, inquit, accipe, neminem eorum, qui sequuntur, recusaturum ire, qua duces. 14. Cratero igitur ad custodiam castrorum relicto cum peditibus, quos assueverat, et iis copiis, quas Meleager ducebat, et sagittariis equitibus M, praecepit, ut castrorum specie manente, plures de industria ignes fieri imperet, quo magis barbari credant, ipsum regem in castris esse. 15. Ceterum, si forte Ariobarzanes cognovisset, per callium anfractus eum intrare, et ad occupandum iter suum partem copiarum tentasset opponere; Craterus, in eum illato terrore, retineret ad propius periculum conversum agmen: 16. sin autem ipse hostem fefellisset, et saltum occupasset; quum trepidantium barbarorum tumultum exaudisset persequentium regem, id ipsum iter, quo pridie pulsati fuerant, ne dubitaret ingredi: quippe vacuum fore, hostibus in semet aversis. 17. Ipse tertia vigilia, silenti agmine, ac ne tuba quidem dato signo, perguit ad demonstratum iter callium. Tridui alimenta portare militem iusserat leviter armatum. 18. Sed praeter invias rupes ac praerupta saxa, vestigium subinde fallentia, nix cumulata vento ingredientibus fatigabat: quippe velut in foveas delati hauriebantur: et quum a commilitonibus allevarentur, trahebant magis adiuvantes, quam

sequebantur. 19. Nox quoque, et ignota regio, ac dux, incertum an satis fidus, multiplicabant metum: si custodes fefellisset, quasi feras bestias ipsos posse apprehendi. Ex unius captivi vel fide vel anima pendere et regis salutem et suam. 20. Tandem venire in iugum. A dextera iter ad ipsum Ariobarzaniem erat: hic Philotam et Coenon cum Amynta et Polyperconte, expeditam habentes manum, reliquit, monitos, ut, quia eques pediti erat mixtus, qua pinguisimum esset solum et pabuli fertile, sensim procederent: duces itineris de captivis dati. 21. Ipse cum armigeris et ala, quam Agema appellant, ardua semita, sed longius a stationibus hostium remota, multa cum vexatione processit. 22. Medius erat dies, et fatigatis necessaria quies: quippe tantundem itineris supererat, quantum emensi erant; sed minus praecipitis atque ardui. 23. Itaque reffectis cibo somnoque militibus, secunda vigilia surgit. Et cetera quidem haud aegre praeteriit. Ceterum, qua se iugum montium paullatim ad planiora demittit, ingens vorago concursu cavata torrentium iter ruperat. 24. Ad haec arborum rami alius alio implicati et coeuntes, ut perpetuam obiecerant sepem. Desperatio igitur ingens, adeo, ut vix lacrimis abstinerent, incesserat. 25. Praecipue obscuritas terrori erat: nam etiamsi qua sidera internitebant, continenti fronde tectae arbores conspiciere prohibebant. Ne aurium quidem usus supererat, silvas quatiente vento; quae concutientibus ramis maiorem quam pro flatu sonum reddebant. 26. Tandem expectata lux omnia, quae terribiliora nox fecerat, minuit: circumiri brevi spatio poterat eluvies; et sibi quisque dux itineris coeperat fieri. 27. Evadunt ergo in editum verticem: ex quo hostium statione inspecta, strenue armati, a tergo se ostendunt nihil tale metuentibus; quorum pauci, qui congregari ausi erant, caesi sunt. 28. Itaque hinc morientium gemitus,

hinc ad suos recurrentium miserabilis facies, integros quoque, antea quam discrimen experirentur, in fugam avertit. 29. Fremitu deinde in castra, quis Craterus praeerat, illato, ad occupandas angustias, in quibus pridie haesitarat, miles educitur. 30. Simul et Philotas cum Polyperconte Amyntaque et Coeno diversum iter ingredi iussus, alium terrorem intulit barbaris. 31. Ergo undique Macedonum armis fulgentibus ancipiti malo oppressi, memorabile tamen proelium edunt. Ut opinor, ignaviam quoque necessitas acuit; et saepe desperatio spei causa est. 32. Nudi complectebantur armatos, et ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum telis plerosque fodiebant. 33. Ariobarzanes tamen, XL ferme equitibus et quinque millibus peditum stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo suorum atque hostium sanguine erupit, Persepolim urbem, caput regionis, occupare festinans. 34. Sed a custodibus urbis exclusus, consecutis strenue hostibus, cum omnibus fugae comitibus, renovato proelio cecidit. Craterus quoque, raptim agmine acto, supervenit.

V. Rex eodem in loco, quo hostium copias fuderat, castra communit. Quamquam enim undique fugati hostes victoriam concesserant; tamen praealtae praecipitesque fossae, pluribus locis obiectae, abruperant iter: sensimque et caute progrediendum erat, iam non hostium, sed locorum fraude suspecta. 2. Procedenti ei literae redduntur a Tyridate, custode regiae pecuniae, indicantes, eos, qui in urbe essent, audito eius adventu, diripere velle thesauros: propere occupare: expeditum iter esse, quamquam Araxes amnis interfluat. 3. Nullam virtutem regis istius magis, quam celeritatem, laudaverim. Relictis pedestribus copiis, tota nocte cum equitibus, itineris tanto spatio fatigatis, ad Araxem prima luce pervenit. 4. Vicini erant in propinquo: quibus diru

tis, pontem ex materia eorum, subditis saxis, strenue induxit. 5. Iamque haud procul urbe erant, quum miserabile agmen, inter pauca fortunae exempla memorandum, regi occurrit. Captivi erant Graeci ad quatuor millia fere, quos Persae vario suppliciorum modo affecerant. 6. Alios pedibus, quosdam manibus auribusque amputatis, inustisque barbararum literarum notis, in longum sui ludibrium reservaverant; et quum se quoque alienae ditionis esse cernerent, volentes regi occurrere non prohibuerant. 7. Inusitata simulacra, non homines videbantur; nec quidquam in illis praeter vocem poterat agnosci. Plures igitur lacrimas commovere, quam profuderant ipsi. Quippe in tam multiplici variaque fortuna singulorum, intuentibus similes quidem, sed tamen dispares poenas, quis maxime miserabilis esset, liquere non poterat. 8. Ut vero Iovem illi tandem Graeciae ultorem aperuisse oculos conclamavere; omnes pari supplicio affecti sibi videbantur. Rex abstersis, quas profuderat, lacrimis, bonum habere animum iubet; visuros urbes suas coniugesque: et castra inde duo ab urbe stadia communit. 9. Graeci excesserant vallo, deliberaturi, quid potissimum a rege peterent: quumque aliis sedem in Asia rogare, aliis reverti domos placeret; Euctemon Cymaeus ita locutus ad eos fertur. 10. *Hi, qui modo etiam ad opem petendam ex tenebris et carcere procedere erubuimus, ut nunc est, supplicia nostra, (quorum nos pudeat magis an poeniteat, incertum est) ostentare Graeciae velut laetum spectaculum cupimus.* 11. *Atqui optime miseras ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quam solitudo, et status prioris oblivio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quam celeriter lacrimae inarescant.* 12. *Nemo fideliter diligit, quem fastidit; nam et calamitas querula est, et superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, quum de aliena deliberat: et nisi*

mutuo essemus miseri, olim alius alii potuissemus esse fastidio. Quid mirum est, fortunatos semper parem quaerere? 13. *Obsecro vos: olim vita defuncti, quaeramus locum, in quo haec semesa membra obruamus; ubi horribiles cicatrices celet exsilium. Grati prorsus coniugibus, quas iuvenes duximus, revertemur! Liberi, in flore et aetatis et rerum, et fratres agnoscent ergastuli detrimenta?* 14. *Et quota pars nostri tot obire terras potest? Procul Europa in ultima Orientis relegati, senes, debiles, maiore membrorum parte multati, tolerabimus scilicet, quae armatos et victores fatigaverunt.* 15. *Coniuges deinde, quas captis sors et necessitas unicum solatium applicuit, parvosque liberos, trahimus nobiscum, an relinquimus? Cum his venientes nemo agnoscere volet.* 16. *Relinquemus ergo extemplo praesentia pignora, quum incertum sit, an visuri simus ea quae petimus? Inter hos latendum est, qui nos miseros nosse coeperunt.* Haec Euctemon. 17. *Contra Theaetetus Atheniensis orsus est dicere: „Neminem pium habitu corporis suos aestimaturum; utique saevitia hostis, non natura, calamitosos. Dignum esse omni malo, qui erubesceret fortuita: tristem enim de mortalitate ferre sententiam; et desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit.* 18. *Deos, quod ipsi nunquam optare ausi forent, offerre patriam, coniuges, liberos, et quidquid homines vel vita aestimant, vel morte redimunt.* 19. *Quin illi ex hoc carcere erumperent: alium domi esse coeli haustum, alium lucis adspectum: mores, sacra, linguae commercium etiam a barbaris expeti; quae ingenita ipsi omissuri sint sua sponte; non ob aliud tam calamitosi, quam quod illis carere coacti essent.* 20. *Se certe rediturum ad penates et in patriam, tantoque beneficio regis usurum: si quos contubernii liberorumque, quos servitus coëgisset agnoscere, amor detineret; relinquerent, quibus nil patria carius esset.“* 21. *Pauci huius sententiae fue-*

re: ceteros consuetudo, natura potentior, vicit. Consenserunt, petendum esse a rege, ut aliquam ipsis attribueret sedem. 22. Centum ad hoc lecti sunt: quos Alexander ratus, quod ipse praestare cogitabat, petituros, *iumenta*, inquit, *assignari quae vos veherent, et singulis vestrum mille denarium dari iussi. Quum redieritis in Graeciam, praestabo, ne quis statum suum, si haec calamitas absit, vestro credat esse meliorem.* 23. Illi obortis lacrimis terram intuebantur, nec aut erigere vultus, aut loqui audebant: tandem rege tristitiae causam exigente, Euctemon similia iis, quae in consilio dixerat, respondit. 24. Atque ille non fortunae solum eorum, sed etiam poenitentiae misertus, terna millia denarium singulis dari iussit: denae vestes adiectae sunt; et armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli serique attributus iis ager posset.

VI. Postero die convocatos duces copiarum docet, nullam infestiores urbem Graecis esse, quam regiam veterum Persidis regum. Hinc illa immensa agmina infusa; hinc Darius prius, deinde Xerxes Europae impium intulisse bellum. Excidio illius parentandum esse maioribus. 2. Iamque barbari, deserto oppido, qua quemque metus agebat, diffugerant, quum rex phalangem nil cunctatus inducit. Multas urbes, refertas opulencia regia, partim expugnat, partim in fidem acceperat; sed urbis huius divitiae vicere praeterita. 3. In hanc totius Persidis opes congesserant barbari: aurum argentumque cumulatam erat, vestis ingens modus, supellex non ad usum [modo], sed ad ostentationem luxus comparata. 4. Itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur; pro hoste erat, qui pretiosorem occupaverat praedam: et quum omnia, quae recipiebant, capere non possent; iam res non occupabantur, sed aestimabantur. 5. Lacerabant regias vestes, ad se quisque partem trahentes: dolabris pretiosae artis vasa

caedebant: nihil neque intactum erat, nec integrum ferebatur; abrupta simulacrorum membra, ut quisque avellerat, trahebat. 6. Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas, in capta urbe grassata est: auro argentoque onusti vilia captivorum corpora trucidabant; passimque obvii caedebantur, quos antea pretium sui miserabiles fecerat. 7. Multi ergo hostium manus voluntaria morte occupaverunt, pretiosissima vestium induti, e muris semetipsos cum coniugibus ac liberis in praeceps iacientes. Quidam ignes, quod paullo post facturus hostis videbatur, subiecerant aedibus, ut cum suis vivi cremarentur. 8. Tandem suis rex corporibus, et cultu feminarum abstinere iussit. Ingens pecuniae captivae modus traditur, prope ut fidem excedat. 9. Ceterum aut de aliis quoque dubitabimus, aut credemus, in huius urbis gaza fuisse C et XX millia talentum: ad quae vehenda (namque ad usus belli secum portare decreverat) iumenta et camelos a Susis et Babylone contrahi iussit. 10. Accessere ad hanc pecuniae summam, captis Persagadis, sex millia talentum. Cyrus Persagadam urbem condiderat, quam Alexandro praefectus eius Gobares tradidit. 11. Rex arcem Persepolis, III millibus Macedonum praesidio relictis, Nicarchidem tueri iubet; Tyridati quoque, qui gazam tradiderat, servatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnaue exercitus parte et impedimentis ibi relictis, Parmenionem Craterumque praefecit. 12. Ipse cum mille equitibus, peditumque expedita manu, interiorem Persidis regionem, sub ipsum Vergiliarum sidus petiit: multisque imbribus et prope intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen, quo intenderat, perseveravit. 13. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat: locorumque squalor et solitudines inviae fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos se videre credentem. Omnia vasta, atque

sine ullo humani cultus vestigio attoniti intuebantur; et, antequam lux quoque et coelum ipsos deficerent, reverti iubebant. 14. Rex castigare territos superse- dit: ceterum ipse equo desiliit, pedesque per nivem et concretam glaciem ingredi coepit. Erubuerunt non sequi, primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites. Primusque rex dolabra glaciem perfringens, iter sibi fecit: exemplum regis ceteri imitati sunt. 15. Tandem propemodum invias silvas emensi, humani cultus rara vestigia et passim erran- tes pecorum greges reperere: et incolae, qui sparsis tuguriis habitabant, quam se callibus inviis septos esse credidissent, ut conspexere hostium agmen, in- terfectis, qui fugientes sequi non poterant, devios montes et nivibus obsitos petiverunt. 16. Inde per colloquia captivorum paullatim feritate mitigata, tradidere se regi. Nec in deditos gravius consultum. 17. Vastatis deinde agris Persidis, vicisque complu- ribus redactis in potestatem, ventum est in Mardo- rum gentem bellicosam, et multum a ceteris Persis cultu vitae abhorrentem. Specus in montibus fo- diunt, in quos seque ac coniuges et liberos condunt: pecorum aut ferarum carne vescuntur. 18. Ne femi- nis quidem pro naturae habitu molliora ingenia sunt: comae prominent hirtae: vestis super genua est: fun- da vinciunt frontem; hoc et ornamentum capitis et telum est. 19. Sed hanc quoque gentem idem fortuna- nae impetus domuit. Itaque trigesimo die, postea- quam a Persepoli profectus erat, eodem rediit. 20. Dona deinde amicis ceterisque pro cuiusque merito dedit. Propemodum omnia, quae in ea urbe cepe- rat, distributa.

VII. Ceterum ingentia animi bona, illam indo- lem, qua omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficien- disque velocitatem, in deditos fidem, in captivos cle- mentiam, in voluptatibus, permissis quoque et usita

tis, temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate foedavit. 2. Hoste et aemulo regni reparante quum maxime bellum, nuper subactis, quos vicerat, novumque imperium aspernantibus, de die inibat convivia, quibus feminae intererant, non quidem quas violari nefas esset, quippe pellices, licentius, quam decebat, cum armato vivere assuetae. 3. Ex his una Thais, et ipsa temulenta, maximam apud omnes Graecos initurum gratiam affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi; exspectare hoc eos, quorum urbes barbari delessent. 4. Ebrio scorto de tanta re ferenti sententiam unus et alter, et ipsi mero onerati, assentiuntur. Rex quoque [fuit] avidior quam patientior: *quin igitur ulciscimur Graeciam, et urbi faces subdimus?* 5. Omnes incaluerant mero: itaque surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiae iniecit; tum convivae et ministri, pellicesque. Multa cedro aedificata erat regia, quae, celeriter igne concepto, late fudit incendium. 6. Quod ubi exercitus, qui haud procul ab urbe tendebat, conspexit; fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. 7. Sed ut ad vestibulum regiae ventum est, vident regem ipsum adhuc adgerentem faces. Omissa igitur, quam portaverant, aqua, aridam materiam in incendium iacere coeperunt. 8. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, unde tot gentes antea iura petebant; patria tot regum; unicus quondam Graeciae terror; molita mille navium classem, et exercitus, quibus Europa inundata est; contabulato mari molibus, perfossisque montibus, in quorum specus fretum immissum est. 9. Ac ne tam longa quidem aetate, quae excidium eius secuta est, resurrexit. Alias urbes habere Macedonum reges, quas nunc habent Parthi: huius vestigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet. Haud procul moenibus fluxerat: inde urbem fuisse XX stadiis distantem credunt magis,

quam sciunt, accolae. 10. Pudebat Macedones, tam praeclaram urbem a comessabundo rege deletam esse. Itaque res in serium versa est; et imperaverunt sibi, ut crederent illo potissimum modo fuisse delendam. 11. Ipsum, ut primum gravatam ebrietate mentem quies reddidit, poenituisse constat, et dixisse: maiores poenas Persas Graecis daturus fuisse, si ipsum in solio regiaque Xerxis respicere coacti essent. 12. Postero die Lycio, itineris, quo Persidem intraverat, duci, XXX talenta dono dedit. Hinc in regionem Mediae transiit, ubi supplementum novorum militum e Cilicia occurrit. Peditum erant quinque millia, equites mille; utrisque Plato Atheniensis praecerat. His copiis auctus, Darium persequi statuit.

VIII. Ille iam Ecbatana pervenerat, caput Mediae. Urbem hanc nunc tenent Parthi, eaque aestiva agentibus sedes est. Adire deinde Bactra decreverat: sed veritus, ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium iterque mutavit. 2. Aberat ab eo Alexander stadia MD; sed iam nullum intervallum adversus velocitatem eius satis longum videbatur. Itaque proelio magis, quam fugae, se praeparabat. 3. XXX millia peditum sequebantur, in quibus Graecorum erant quatuor millia, fide erga regem ad ultimum invicta. 4. Funditorum quoque et sagittariorum manus quatuor millia expleverat: praeter hos III millia et CCC equites erant, maxime Bactrianorum. His Bessus praecerat, Bactrianae regionis praefectus. 5. Cum hoc agmine [Darius] paullum declinavit via militari, iussis praecedere lixis impedimentorumque custodibus. 6. Consilio deinde advocato, *si me cum ignavis, inquit, et pluris qualemcunque vitam honesta morte aestimantibus, fortuna iunxisset, tacerem potius, quam frustra verba consumerem.* 7. *Sed maiore, quam vellem, documento et virtutem vestram et fidem expertus, magis etiam conniti debeo, ut dignus talibus amicis sim, quam dubitare, an*

vestri similes adhuc sitis. 8. Ex tot millibus, quae sub imperio fuerunt meo, bis me victum, bis fugientem persecuti estis. Fides vestra et constantia, ut regem me esse credam, facit. 9. Proditores et transfugae in urbibus meis regnant: non hercule quia tanto honore digni habentur, sed ut praemiis eorum vestri sollicitentur animi. Meam tamen fortunam quam victoris maluistis sequi; dignissimi, quibus, si ego non possim, Dii pro me gratiam referant. Et mehercule referent. 10. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quae non in coelum vos debitis laudibus ferat. Itaque, etiamsi consilium fugae, a qua multum abhorret animus, agitassem; vestra tamen virtute fretus, obviam issem hosti. 11. Quousque enim in regno exsulabo, et per fines imperii mei fugiam externum et advenam regem? quum liceat experto belli fortunam, aut reparare quae amisi, aut honesta morte defungi. 12. Nisi forte satius est, exspectare victoris arbitrium, et Mazaei et Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis unius: ut iam malit ille gloriae suae, quam irae, obsequi. 13. Nec Dii siverint, ut hoc decus mei capitis aut demere mihi quisquam aut condonare possit: nec hoc imperium vobis amittam, idemque erit regni mei, qui et spiritus, finis. 14. Si hic animus, si haec lex; nulli non parta libertas est: nemo e vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbum ferre cogetur. Sua cuique dextra aut ultionem tot malorum pariet, aut finem. 15. Equidem, quam versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immerito mitiores vices eius exspecto. Sed si iusta ac pia bella Dii aversantur, fortibus tamen viris licebit honeste mori. 16. Per ego vos decora maiorum, qui totius Orientis regna cum memorabili laude tenuerunt; per illos viros, quibus stipendium Macedonia quondam tulit; per tot navium classes in Graeciam missas; per tot tropaea regum oro et obtestor, ut nobilitate vestra gentisque dignos spiritus capiat: 17. ut eadem constantia ani-

morum, qua praeterita tolerastis, experiamini, quid quid deinde fors tulerit. Me certe in perpetuum aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.

IX. Haec dicente Dario, praesentis periculi species omnium simul corda animosque horrore perstrinxerat: nec aut consilium suppetebat, aut vox; quum Artabazus, vetustissimus amicorum, quem hospitem fuisse Philippi saepe diximus, *Nos vero, inquit, pretiosissima vestium induti, armisque quanto maximo cultu possumus adornati, regem in aciem sequemur; ea quidem mente, victoriam ut speremus, mortem non recusemus.* 2. Assensu exceperere ceteri hanc vocem. Sed Nabarzanes, qui in eodem consilio erat, cum Besso inauditi antea facinoris societate inita, regem suum per milites, quibus ambo praeerant, comprehendere et vincire decreverant: ea mente, ut si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege vivo inirent gratiam victoris, magni profecto cepisse Darium aestimaturi; sin autem eum effugere potuissent, interfecto Dario, regnum sibi occuparent, bellumque renovarent. 3. Hoc parricidium quum diu volutassent, Nabarzanes, aditum nefariae spei prae-parans, *Scio, me, inquit, sententiam esse dicturum, prima specie haudquaquam auribus tuis gratam. Sed medici quoque graviores morbos asperis remediis curant; et gubernator, ubi naufragium timet, iactura, quidquid servari potest, redimit.* 4. *Ego tamen, non ut damnum quidem facias, suadeo; sed ut te ac regnum tuum salubri ratione conserves. Diis adversis bellum inimus; et pertinax fortuna Persas urgere non desinit. Novis initiis et ominibus opus est. Auspicium et imperium alii trade interim, qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum tibi reddat.* 5. *Hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra intacta sunt: Indi et Sacae in tua potestate: tot populi, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renovandum bellum vires paratas habent; ut maior*

belli moles supersit, quam exhausta sit. 6. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. 7. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. 8. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus; praefectum regionis eius Bessum, regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus, iusto regi tibi fiduciarium restituet imperium. 9. Haud mirum est, Darium non temperasse animo, quamquam tam impiae voci quantum nefas subesset, latebat. 10. Itaque, pessimum, inquit, mancipium, reperisti optatum tibi tempus, quo parricidium aperires! strictoque acinace interfecturus videbatur; ni propere Bessus Bactrianique, tristium specie, ceterum, si perseveraret, vincturi, circumstetissent. 11. Nabarzanes interim elapsus, mox et Bessus consecutus, copias, quibus praeerant, a cetero exercitu secedere iubent; secretum initari consilium. 12. Artabazus convenientem praesenti fortunae sententiam orsus, mitigare Darium, temporum identidem admonens, coepit: Ferret aequo animo qualiumcunque, suorum tamen, vel stultitiam vel errorem. Instare Alexandrum gravem, etiamsi omnes praesto essent: quid futurum, si persecuti fugam ipsius alienentur? 13. Aegre paruit Artabazo, et quamquam movere castra statuerat, turbatis tamen omnium animis, eodem in loco substitit. Sed attonitus moestitia simul et desperatione, tabernaculo se inclusit. 14. Ergo in castris, quae nullius regebantur imperio, varii animorum motus erant; nec in commune, ut antea, consulebatur. 15. Dux Graecorum militum Patron arma capere suos iubet, paratosque esse ad exsequendum imperium. 16. Persae secesserant: Bessus cum Bactrianis erat; tentabatque Persas abducere, Bactra, et intactae regionis opulentiam, simulque

quae manentibus instarent pericula, ostentans. Persarum omnium eadem fere fuit vox, nefas esse deseri regem. 17. Inter haec Artabazus omnibus imperatoris fungebatur officiis. Ille Persarum tabernacula circumire, hortari, monere nunc singulos, nunc universos, non ante destitit, quam satis constaret imperata facturos. Idem aegre a Dario impetravit, ut cibum caperet, animumque regis.

X. At Bessus et Nabarzanes olim agitatedum scelus exsequi statuunt, regni cupiditate accensi: Dario autem incolumi tantas opes sperare non poterant. 2. Quippe in illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoque barbari conveniunt; et pristinae veneratio fortunae sequitur adversam. 3. Inflabat impios animos regio, cui praeerant, armis virisque et spatio locorum nulli earum gentium secunda. Tertiam partem Asiae tenet: multitudo iuniorum, exercitus, quos amiserat Darius, aequabat. 4. Itaque non illum modo, sed et Alexandrum spernebant, inde vires imperii repetituri, si regionis potiri contigisset. 5. Diu omnibus cogitatis, placuit per milites Bactrianos, ad omne obsequium destinatos, regem comprehendere; mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret, vivum asservari eum: 6. si, id quod timebant, proditorem aspernatus esset, occisuri Darium, et Bactra cum suarum gentium manu petitori. 7. Ceterum propalam apprehendi Darius non poterat, tot Persarum millibus laturis opem regi: Graecorum quoque fides timebatur. 8. Itaque quod non poterant vi, fraude assequi tentant: poenitentiam secessionis simulare decreverant, et excusare apud regem consternationem suam. 9. Interim qui Persas sollicitarent, mittuntur. Hinc spe, hinc metu militares animos versant: ruinae rerum illos subdere capita, in perniciem trahi: quum Bactra pateant, exceptura eos donis et opulentia, quantam animis concipere non possint. 10. Haec agitantibus Artabazus

supervenit, sive regis iussu, sive sua sponte, affirmans, mitigatum esse Darium, et eundem illis amicitiae gradum patere apud regem. 11. Illi lacrimantes nunc purgare se, nunc Artabazum orare, ut causam ipsorum tueretur, precesque perferret. 12. Sic peracta nocte, sub lucis exortu Nabarzanes cum Bactrianis militibus in vestibulo praetorii aderat, titulum solemnisi officii occulto sceleri praeferens. Darius, signo ad eundem dato, currum pristino more conscendit. 13. Nabarzanes ceterique parricidae procumbentes humi, quem paulo post in vinculis habituri erant, sustinere venerari: lacrimas etiam, poenitentiae indices, profuderunt: adeo humanis ingeniis parata simulatio est. 14. Preces deinde suppliciter admotae, Darium, natura simplicem et mitem, non credere modo quae affirmabant, sed etiam flere coegerunt. 15. Ac ne tum quidem cogitati sceleris poenituit, quum intuerentur, qualem et regem et virum fallerent. Ille quidem, securus periculi quod instabat, Alexandri manus, quas solas timebat, effugere properabat.

XI. Patron autem, Graecorum dux, praecepit suis, ut arma, quae in sarcinis antea ferebantur, induerent, ad omne imperium suum parati et intenti. 2. Ipse currum regis sequebatur, occasione imminens alloquendi eum: quippe Bessi facinus praesenserat. Sed Bessus, id ipsum metuens, custos verius, quam comes, a curru non recedebat. 3. Diu ergo Patron cunctatus, ac saepius sermone revocato, inter fidem timoremque haesitans, regem intuebatur. 4. Qui ut tandem advertit oculos, Bubacem spadonem inter proximos currum sequentem percontari iubet, numquid ipsi velit dicere. Patron, se vero, sed remotis arbitris, loqui velle cum eo respondit. 5. Iussusque propius accedere, sine interprete, (nam haud rudis Graecae linguae Darius erat): „Rex, inquit, ex L milibus Graecorum supersumus pauci, omnis fortunae

tuae comites, et in hoc [tuo] statu iidem, qui florente te fuimus; quascunque sedes elegeris, pro patria et domesticis rebus petituri. Secundae adversaeque res tuae copulavere nos tecum. 6. Per hanc fidem invictam oro et obtestor, in nostris castris tibi tabernaculum statue: nos corporis tui custodes esse patiaris. Amisimus Graeciam, nulla Bactra sunt nobis: spes omnis in te, utinam et in ceteris esset. Plura dici non attinet. Custodiam corporis tui externus et alienigena non deposcerem, si crederem alium posse praestare.“ 7. Bessus, quamquam erat Graeci sermonis ignarus, tamen stimulante conscientia indicium profecto Patronem detulisse credebat: et interpretis Graeci relato sermone exemta dubitatio est. 8. Darius autem, quantum ex vultu concipi poterat, haud sane territus, percontari Patrona causam consilii, quod afferret, coepit. Ille non ultra differendum ratus: „Bessus, inquit, et Nabarzanes insidiantur tibi, in ultimo discrimine et fortunae tuae et vitae. Hic dies aut parricidis, aut tibi futurus ultimus.“ 9. Et Patron quidem egregiam conservati regis gloriam tulerat. 10. Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est: equidem aeterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium, et multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere. 11. Darius certe respondit: quamquam sibi Graecorum militum fides nota sit, nunquam tamen a popularibus suis recessurum. Difficilius sibi esse damnare, quam decipi. Quidquid fors tulisset, inter suos perpeti malle, quam transfugam fieri. Sero se perire, si salvum esse sui milites nollent. 12. Patron, desperata salute regis, ad eos, quibus praeerat, rediit, omnia pro fide experiri paratus.

XII. At Bessus occidendi protinus regis impetum conceperat. Sed veritus, ne gratiam Alexandri, ni vivum eum tradidisset, inire non posset, dilato in

proximam noctem sceleris consilio, agere gratias incipit, quod perfidi hominis insidias, iam Alexandri opes spectantis, prudenter cauteque vitasset. 2. Donum eum hosti laturum fuisse regis caput. Nec mirari, hominem mercede conductum omnia habere venalia: sine pignore, sine lare, terrarum orbis exsullem, ancipitem hostem, ad nutum licentium circumferri. 3. Purganti deinde se, Deosque patrios testes fidei suae invocanti, Darius vultu assentiebatur: haud dubius, quin vera deferrentur a Graecis; sed eo rerum ventum erat, ut tam periculosum esset non credere suis, quam decipi. 4. XXX millia erant, quorum inclinata in scelus levitas timebatur: IV millia Patron habebat; quibus si credidisset salutem suam, damnata popularium fide, parricidio excusationem videbat offerri. 5. Itaque praeoptabat immerito, quam iure violari. Besso tamen insidiarum consilium purganti respondit, Alexandri sibi non minus iustitiam, quam virtutem, esse perspectam. Falli eos, qui proditionis ab eo praemium exspectent: violatae fidei neminem acriorem fore vindicem ultoremque. 6. Iamque nox appetebat, quum Persae more solito armis positae ad necessaria ex proximo vico gerenda discurrunt. At Bactriani, ut imperatum erat a Besso, armati stabant. 7. Inter haec Darius Artabazum acciri iubet: expositisque, quae Patron detulerat, haud dubitare Artabazus, quin transeundum esset in castra Graecorum. Persas quoque periculo vulgato secuturos. 8. Destinatus sorti suae, et iam nullius salubris consilii patiens, unicam in illa fortuna opem, Artabazum, ultimum illum visurus, amplectitur: perfususque mutuis lacrimis, inhaerentem sibi avelli iubet: capiti deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut a rogo intueretur, in humum primum corpus abiecit. 9. Tum vero custodiae eius assueti, quos regis salutem vel periculo vitae tueri oportebat, dilapsi sunt; armatis, quos iam adventare

credebant, haud rati se futuros pares. Ingens ergo in tabernaculo solitudo erat, paucis spadonibus, quia quo discederent non habebant, circumstantibus regem. 10. At ille, remotis arbitris, diu aliud atque aliud consilium animo volutabat. Iamque solitudinem, quam paulo ante pro solatio petiverat, perosus, Bubacem vocari iubet. 11. Quem intuens, *Itē, inquit, consulite vobis, ad ultimum regi vestro, ut decebat, fide exhibita. Ego hic legem fati mei exspecto. Forsitan mireris, quod vitam non finiam? alieno scelere, quam meo, mori malo.* 12. Post hanc vocem spado gemitu non modo tabernaculum, sed etiam castra complevit. Irrupere deinde alii, laceratisque vestibus, lugubri et barbaro ululatu regem deplorare coeperunt. 13. Persae, ad illos clamore perlato, attoniti metu, nec arma capere, ne in Bactrianos incidere, nec quiescere audebant, ne impie deserere regem viderentur. 14. Varius ac dissonus clamor sine duce ac sine imperio totis castris referebatur. Besso et Nabarzani nuntiaverant sui, regem a semetipso interemptum esse. Planctus eos deceperat. 15. Itaque citatis equis advolant, sequentibus quos ad ministerium sceleris delegerant; et quum tabernaculum intrassent, quia regem vivere spadones indicabant, comprehendi vincirique iusserunt. 16. Rex, curru paulo ante vectus, et Deorum a suis honoribus cultus, nulla externa ope admota, captivus servorum suorum, in sordidum vehiculum pellibus undique contectum imponitur. 17. Pecunia regis et supellex quasi iure belli diripitur; onustique praeda, per scelus ultimum parta, fugam intendunt. 18. Artabazus cum iis, qui imperio parebant, Graecisque militibus Parthienem petebat, omnia tutiora parricidarum contuitu ratus. 19. Persae, promissis Bessi onerati, maxime quia nemo alius erat, quem sequerentur, coniungere se Bactrianis, agmen eorum tertio assecuti die. 20. Ne tamen honos regi non ha-

beretur, aureis compedibus Darium vinciant, nova ludibria subinde excogitante fortuna. Et ne forte cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerant; ignoti iumenta agebant, ne percunctantibus in agmine monstrari posset: custodes procul sequebantur.

XIII. Alexander, audito Darium movisse ab Ecbatanis, omisso itinere, quod petebat in Mediam, fugientem insequi perguit strenue. 2. Tabas oppidum est in Paracetene ultima: ibi transfugae nuntiant, praecipitem fuga Bactra petere Darium. 3. Certiora deinde cognoscit ex Bagysthene Babylonio: non equidem vinctum regem, sed in periculo esse aut mortis, aut vinculorum affirmabat. 4. Rex, ducibus convocatis, *maximum*, inquit, *opus, sed labor brevissimus superest: Darius haud procul destitutus a suis, aut oppressus. In illo corpore posita est victoria nostra: et tanta res celeritatis est praemium.* 5. Omnes pariter conclamant, paratos ipsos sequi; nec labori, nec periculo parceret. Igitur raptim agmen cursus magis quam itineris modo ducit, ne nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante. 6. Itaque quingenta stadia processit: perventumque erat in vicum, in quo Darium Bessus comprehenderat. 7. Ibi Melon Darii interpretis excipitur. Corpore aeger non potuerat agmen sequi, et deprehensus celeritate regis, transfugam se esse simulabat. Ex hoc acta cognoscit. Sed fatigatis necessaria quies erat. 8. Itaque delectis equitum sex millibus trecentos, quos Dimachas appellabant, adiungit: dorso hi graviora arma portabant, ceterum equis vehebantur; quum res locusque posceret, pedestris acies erat. 9. Haec agentem Alexandrum adeunt Orsilos et Mythraces, qui Bessi parricidium exosi transfugerant; nuntiabantque, stadia D abesse Persas; ipsos brevius iter monstraturos. 10. Gratus regi adventus transfugarum fuit. Itaque prima vespera ducibus iisdem

cum expedita equitum manu monstratam viam ingreditur, phalange, quantum festinare posset, sequi iussa. Ipse quadrato agmine incedens, ita cursum regebat, ut primi coniungi ultimis possent. 11. CCC stadia processerant, quum occurrit Brocubelus, Mazaei filius, Syriae quondam praetor. Is quoque transfuga nuntiabat, Bessum haud amplius quam CC stadia abesse. Exercitum, utpote qui nihil praecaveret, incompositum inordinatumque procedere. Hyrcaniam videri petituros. Si festinaret sequi, palantibus superventurum. Darium adhuc vivere. 12. Strenuo alioqui cupiditatem consequendi transfuga iniecerat. Itaque calcaribus subditis, effuso cursu eunt. Iamque fremitus hostium iter ingredientium exaudiebatur; sed prospectum ademerat pulveris nubes. Paulisper ergo inhibuit cursum, donec consideret pulvis. 13. Iamque conspecti a barbaris erant, et abeuntium agmen conspexerant; nequaquam futuri pares, si Besso tantum animi fuisset ad proelium, quantum ad parricidium fuerat. Namque et numero barbari praestabant, et robore: ad hoc refecti cum fatigatis certamen inituri erant. 14. Sed nomen Alexandri, et fama, maximum in bello utique momentum, pavidos in fugam convertit. 15. Bessus, et ceteri facinoris eius participes, vehiculum Darii assecuti, coeperunt hortari eum, ut conscenderet equum, et se hosti fuga eriperet. 16. Ille Deos ultores adesse testatur, et Alexandri fidem implorans, negat, se parricidas velle comitari. Tum vero ira quoque accensi, tela iniiciunt in regem; multisque confossum vulneribus relinquunt. 17. Iumenta quoque, ne longius prosequi possent, convulnerantur; duobus servis, qui regem comitabantur, occisis. 18. Hoc edito facinore, ut vestigia fugae spargerent, Nabarzanes Hyrcaniam, Bessus Bactra, paucis equitum comitantibus, petebant: barbari, ducibus destituti, qua quemque aut spes ducebat, aut pavor, dissipabantur: D tan-

tum equites congregaverant se, incerti adhuc, resisterene melius esset, an fugere. 19. Alexander, hostium trepidatione comperta, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam praemittit: ipse cum ceteris sequitur. III ferme millia resistentium occisa sunt; reliquum agmen more pecudum intactum agebatur, iubente rege, ut caedibus abstineretur. 20. Nemo captivorum erat, qui monstrare Darii vehiculum posset: singuli, ut quaeque prehenderant, scrutabantur; nec tamen ullum vestigium fugae regis exstabat. 21. Festinantem Alexandrum vix tria millia equitum persecuta sunt. At in eos, qui lentius sequebantur, incidebant universa fugientium agmina. 22. Vix credibile dictu, plures captivi, quam qui caperent, erant: adeo omnem sensum territis fortuna penitus excusserat, ut nec hostium paucitatem, nec multitudinem suam satis cernerent. 23. Interim iumenta, quae Darium vehebant, nullo regente decesserant militari via, et errore delata per IV stadia, in quadam valle constiterant, aestu, simulque vulneribus fatigata. 24. Haud procul erat fons, ad quem monstratum a peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit; ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixas conspicit. 25. Miratusque confossa potius, quam abacta esse, semivivi * * *

(Finis huius libri desideratur.)

FREINSHEMII SUPPLEMENTUM.

* * * [hominis gemitum percipit. 26. Itaque more ingenii humani cupidus visendi quid rei vehiculo isto conderetur, dimotis pellibus, quibus obtectum erat, Darium multis vulneribus confossum reperit. Regius enim cultus, et aureae catenae, quis a parricidis victus fuerat, dubitationem eximebant. 27. Non erat expers Graeci sermonis Darius; gratiasque agebat Diis, qui post tanta mala, tamque gravia, hoc tamen

indulsissent solatii, ne omnino in solitudine extremum spiritum effunderet. 28. *Itaque te, inquit, quisquis es mortalium, per communem hominum sortem, a qua nec maximos regum exemptos esse praesenti spectaculo moneris, rogo quaesoque, ut haec ad Alexandrum mandata mea perferas: nihil eorum, quae longe tristissima perpessus sum, ne hunc quidem incomparabilis calamitatis exitum, ita gravem mihi accidisse, ut hoc unum, quod post tanta in me meosque merita adversus clementissimum victorem inimico vivendum fuit, et nunc ingrato moriendum est.* 29. *Sed si qua postremis miserorum votis apud Deos vis est, et cum ipso spiritu profusas preces mitius aliquod numen exaudit; ille quidem sospes et incolumis, longaeque supra contagium meae sortis et invidiam fortunae positus, in solio Cyri gloriosam aetatem exigat: suaeque virtutis memor, eum matri liberisque meis locum apud se esse patiat, quem illi fide et obsequio meruerint.* 30. *At parricidas promptum exitium consequatur, quod Alexander irrogabit, si non misericordia infelicis hostis, saltem odio facinorum, et ne impunita in aliorum etiam regum suumque ipsius exitium erumpant.* 31. Post haec, quum siti angeretur, allata per Polystratum aqua recreatus, „Ergo, ait, hanc etiam tantis calamitatibus extremam accedere oportuit, ut bene merito gratiam referre non possim: at referet Alexander; Alexandro vero Dii.“ 32. Dextram deinde protendit, eamque Alexandro, fidei regiae pignus, ferri iubens, apprehensa Polystrati manu animam efflavit. 33. Alexander an spiranti adhuc supervenerit, incertum est: illud constat, miserabili regis opulentissimi exitu comperto, copiosas lacrimas profudisse, statimque chlamyde sibi detracta corpus operuisse, et magno cum honore ad suos deferri iussisse, ut regio Persarum more curatum monumentis maiorum inferretur. 34. Ingratitudinem hominum, a quis pro summis beneficiis crudele exitium Darius pertulit, quamquam suoapte inge-

nio horrendam et execrabilem, insigniore ad posteritatem infamia damnavit canis cuiusdam mira fides, qui ab omnibus familiaribus derelicto solus adest, et quam in vivum prae se tulit benevolentiam, morienti quoque constanter praestitit. 35. Hunc vitae finem sortitus est ille, quem modo contumelia affici putabant, nisi regem regum, et Deorum consanguineum salarent: magnoque iterum experimento approbatum est, neminem magis patere fortunae, quam qui pluribus eiusdem blanditiis irretitus, iugum illius tota cervice receperit.]



Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER VI.

(cuius principium desideratur.)

ARGUMENTUM.

1. Interea Lacedaemonii in Graecia contra Macedones arma sumserant. Quibus tamen ab Antipatro apud Megalopolim victis, Alexander Graecis, qui se absente defecerant, pacem concessit. 2. Ipse in Persis, bello invictus, otio et deliciis frangitur: unde rumor in castris, qui torpentem excitat. 3. Hortatur Alexander milites, ut bellum in Asia inchoatum persequantur et absolvant. 4. Ziobetis miri fluminis descriptio. Alexander Nabarzani, per literas salutem quaerenti, veniam pollicetur. Deinde mari Caspio et Hyrcaniae proximus, quosdam Darii praefectos recipit in gratiam. 5. Artabazo summa cum animi benevolentia excepto, Graecis qui Darium adiuve

rant, parcit Alexander, et Mardorum gente debellata, cum Amazonum regina congregitur. 6. Deinde liberius se luxui Persico lubricinibusque quum dat, Macedones Alexandri offenduntur moribus: qui ut seditionem averteret, ad bellum Besso inferendum mentem convertit, quod et stratagemate inchoat: ac Satibarzanem, quod defecisset, primum persequitur, barbaros a montibus fortiter dispellit; Artacaenam expugnat. 7. Coniurationem in Alexandrum Dymnus Nicomacho, hic per Zebalinum fratrem Alexandro detegit. Hinc mors Dymni, qui ipse sibi manus infert. 8. Amicorum regionum consilio Philotas, Parmenionis filius, coniurationis auctor et particeps creditus, capitur, ac velato capite in regiam abducitur. 9. De coniuratione, adversus Philotam ex postulatoria Alexandri ad milites oratio. Philotas adductus, defensionem parat. 10. Apologetica Philotae oratio, qua coniurationis accusationem prolixè refellit. 11. Concio, quodam Belone accensa, in Philotam surgit. Is paulo post, ut se cruciatibus liberaret, fictae coniurationis circumstantias aperit, cumque aliis, qui accusantur, saxis a Nicomacho obruitur.

FREINSHEMII SUPPLEMENTUM.

[Dum ea per Asiam geruntur, ne in Graecia quidem Macedoniaque tranquillae res fuere. Regnabat apud Lacedaemonios Agis Archidami filius, qui Tarentinis opem ferens ceciderat, eodem die quo Philippus Athenienses ad Chaeroneam vicit. Is Alexandri per virtutem aemulus, cives suos stimulabat, ne Graeciam servitute Macedonum diutius premi paterentur: nisi in tempore providerent, idem iugum ad ipsos transiturum esse. Adnitendum igitur, dum aliquae adhuc Persis ad resistendum vires essent: illis oppressis, adversus immanem potentiam frustra avitae libertatis memores futuros. Sic instinctis animis, occasionem belli ex commodo coeptandi circumspiciebant. Igitur felicitate Memnonis invitati, consilia cum ipso miscere aggressi sunt; et post-

quam ille rerum laetarum initia intempestiva morte destituit, nihilo remissius agebant. Sed ad Pharnabazum et Autophradaten profectus Agis, triginta argenti talenta, decemque triremes impetravit, quas Agesilao fratri misit, ut in Cretam navigaret, cuius insulae cultores inter Lacedaemonios et Macedonas diversis studiis distrahebantur. Legati quoque ad Darium missi sunt, qui in usum belli amplio rem pecuniae, pluresque naves peterent. Atque haec eorum coepta clades ad Issum (nam ea intervenerat) adeo non interpellavit, ut etiam adjuverit. Quippe fugientem insecutus Alexander in longinqua loca magis magisque rapiiebatur; et ex ipso proelio mercenariorum ingens multitudo in Graeciam fuga penetraverat: quorum octo millia Persica pecunia conduxit Agis, eorumque opera plerasque Cretensium urbes recepit. Cum deinceps Menon, in Thraciam ab Alexandro missus, barbaros ad defectionem impulisset, adque eam comprimendam Antipater exercitum ex Macedonia in Thraciam duxisset, opportunitate temporis strenue usi Lacedaemonii totam Peloponnesum, paucis urbibus exceptis, in partes traxerunt, confectoque exercitu viginti millium peditum, cum equitibus bis mille, Agidi summam imperii detulerunt. Antipater ea re comperta bellum in Thracia, quibus potest conditionibus, componit; raptimque in Graeciam regressus, ab amicis sociisque civitatibus auxilia cogit. Quibus convenientibus, ad quadraginta pugnatorum millia recensuit. Advenerat et ex Peloponneso valida manus: sed quia dubiam ipsorum fidem resciverat, dissimulata suspicione gratias egit, quod ad defendendam adversus Lacedaemonios Alexandri dignitatem adfuissent: scripturum se id regi, gratiam in tempore relaturum. In praesens nihil opus esse maioribus copiis: itaque domos redirent, foederis necessitate expleta. Nuntios deinde ad Alexandrum mittit, de motu Graeciae cer-

tiorem facturos. Atque illi regem apud Bactra demum consecuti sunt; cum interim Antipatri victoria, et nece Agidis, in Arcadia transactum esset. Sane iam pridem tumultu Lacedaemoniorum cognito, quantum tot terrarum spatiis discretus potuit, providerat: Amphoterum cum Cypriis et Phoeniciis navibus in Peloponnesum navigare, Meneten tria milia talentum ad mare deferre iusserat, ut ex propinquo pecuniam Antipatro subministraret, quanta illum indigere cognovisset. Probe enim perspexerat, quanti ad omnia momenti motus istius inclinatio futura esset, quamquam deinceps adepto victoriae nuntio suis operibus id discrimen comparans, murium eam pugnam fuisse cavillatus est. Ceterum principia eius belli haud improspera Lacedaemoniis fuere. Iuxta Corrhagum Macedoniae castellum cum Antipatri militibus congressi victores extiterant: et rei bene gestae fama etiam qui suspensis mentibus fortunam spectaverant, in societatem eorum pertracti sunt. Una ex Elaeis Achaeisque urbibus Pellicae foedus aspernabatur; et in Arcadia Megalopolis, fida Macedonibus ob Philippi memoriam, a quo beneficiis affecta fuerat. Sed haec arcte circumsessa haud procul deditione aberat, nisi tandem Antipater subvenisset. Is postquam castra castris contulit, seque numero militum alioque apparatu superiorem conspexit, quamprimum de summa rerum proelio contendere statuit: neque Lacedaemonii detrectavere certamen. Ita commissa est pugna, quae rem Spartanam maiorem in modum afflixit. Cum enim angustiis locorum, in quibus pugnabatur, confisi, ubi hosti nullum multitudinis usum futurum credebant, animose congressi essent, neque Macedones impigre resisterent, multum sanguinis fusum est. Sed postquam Antipater integram subinde manum laborantibus suis subsidio mittebat; impulsam Lacedaemoniorum aciem paulisper retulit. Quod conspi-

catus Agis, cum cohorte regia, quae ex fortissimis constabat, se in medium ***]

CAPUT I.

1. *** pugnae discrimen immisit, obtruncatisque, qui promptius resistebant, magnam partem hostium propulit. 2. Coeperant fugere victores: et donec avidius sequentes in planum deduxere, multi cadebant; sed ut primum locus, in quo stare possent, fuit, aequis viribus dimicatum est. 3. Inter omnes tamen Lacedaemonios rex eminebat, non armorum modo et corporis specie, sed etiam magnitudine animi, quo uno vinci non potuit. 4. Undique nunc cominus, nunc eminus petebatur; diuque arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat: donec hasta femora perfossa, plurimo sanguine effuso, destituere pugnantem. 5. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant, iactationem vulnerum haud facile tolerantem. 6. Nec tamen omisere Lacedaemonii pugnam; et ut primum sibi quam hosti aequiorem locum capere potuerunt, densatis ordinibus effuse fluentem in se aciem exceperunt. 7. Non aliud discrimen vehementius fuisse memoriae proditum est. Duarum nobilissimarum bello gentium exercitus pari Marte pugnant. 8. Lacedaemonii vetera, Macedones praesentia decora intuebantur: illi pro libertate, hi pro dominatione pugnant. Lacedaemoniis dux, Macedonibus locus deerat. 9. Diei quoque unius tam multiplex casus modo spem, modo metum utriusque partis augebat; velut de industria inter fortissimos viros certamen aequante fortuna. 10. Ceterum angustiae loci, in quo haeserat pugna, non patiebantur totis congregari viribus. Spectabant ergo plures, quam inierant proelium, et qui extra teli iactum erant, clamore invicem suos accendebant. 11. Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma sudore vix sustinens; pedem

deinde referre coepit, et urgente hoste apertius fugere. 12. Insequebatur dissipatos victor, et emensus [cursu] omne spatium, quod acies Laconum obtinuerat, ipsum Agim persequebatur. 13. Ille, ut fugam suorum et proximos hostium conspexit, depone se iussit: 14. expertusque membra, an impetum animi sequi possent, postquam deficere sensit, poplitibus semet exceptit; galeaque strenue sumta, clypeo protegens corpus, hastam dextra vibrabat, ultro vocans hostem, si quis iacenti spolia demere auderet. 15. Nec quisquam fuit, qui sustineret cominus congredi. Procul missilibus appetebatur, ea ipsa in hostem retorquens; donec lancea nudo pectori infixata est: qua ex vulnere evulsa, inclinatum ac deficiens caput clypeo paulisper exceptit; deinde, linquente spiritu pariter ac sanguine, moribundus in arma procubuit. 16. Cecidere Lacedaemoniorum V millia, et CCCLX: ex Macedonibus haud amplius CCC: ceterum vix quisquam, nisi saucius, revertit in castra. Haec victoria non Spartam modo sociosque eius, sed etiam omnes, qui fortunam belli spectaverant, fregit. 17. Nec fallebat Antipatrum, dissentire ab animis gratulantium vultus; sed bellum finire cupienti opus erat decipi. Et quamquam fortuna rerum placebat, invidiam tamen, quia maiores res erant, quam quas praefecti modus caperet, metuebat. 18. Quippe Alexander hostes vinci voluerat; Antipatrum vicisse, ne tacitus quidem indignabatur, suae demtum gloriae existimans, quidquid cessisset alienae. 19. Itaque Antipater, qui probe nosset spiritum eius, non est ausus ipse agere arbitrium victoriae; sed concilium Graecorum, quid fieri placeret, consuluit. 20. A quo Lacedaemonii, nihil aliud, quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati, veniam defectionis, praeter auctores, impetraverunt. Megalopolitanis, quorum urbs erat obsessa a defectione, Achaei et Aetoli CXX talenta dare iussi sunt. 21. Hic fuit exitus

belli, quod repente ortum, prius tamen finitum est, quam Darium Alexander apud Arbela superaret.

II. Sed ut primum instantibus curis laxatus est animus, militarium rerum quam quietis otiique patientior; exceperere eum voluptates: et quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt; 2. intempestiva convivia, et perpotandi pervigilandique insana dulcedo, ludique, et greges pellicum, omnia in externum lapsa morem. Quem aemulatus quasi potiorum suo, ita popularium animos oculosque pariter offendit, ut a plerisque amicorum pro hoste haberetur. 3. Tenaces quippe disciplinae suae, solitosque parco ac parabili victu ad implenda naturae desideria defungi, in peregrina et devictarum gentium mala impulerat. 4. Hinc saepius comparatae in caput eius insidiae, secessio militum, et liberior inter mutuas querelas dolor: ipsius deinde nunc ira, nunc suspensiones, quas excitabat inconsultus pavor: ceteraque his similia, quae deinde dicentur. 5. Igitur quum intempestivis conviviis dies pariter noctesque consumeret; satietatem epularum ludis interpellabat: non contentus artificum, quos e Graecia excitaverat, turba; quippe captivae feminarum iubebantur suo ritu canere, inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. 6. Inter quas unam rex ipse conspexit moestio rem quam ceteras, et producentibus eam verecunde reluctantem. Excellens erat forma, et formam pudor honestabat: deiectis in terram oculis, et, quantum licebat, ore velato, suspicionem praebuit regi, nobiliorem esse, quam ut inter convivales ludos deberet ostendi. 7. Ergo interrogata, quaenam esset? neptim se Ochi, qui nuper regnasset in Persis, filio eius genitam, esse respondit; uxorem Histaspis fuisse. Propinquus hic Darii fuerat, magni et ipse exercitus praetor. 8. Adhuc in animo regis tenues reliquiae pristini moris haerebant. Itaque fortunam regia stirpe genitae et tam celebre nomen

reveritus, non dimitti modo captivam, sed etiam restitui ei suas opes iussit: virum quoque requiri, ut reperto coniugem redderet. 9. Postero autem die praecepit Hephæstioni, ut omnes captivos in regiam iuberet adduci. Ubi singulorum nobilitate spectata, secrevit a vulgo, quorum eminebat genus. Decem hi fuerunt: inter quos repertus est Oxathres Darii frater, non illius fortuna, quam indole animi sui clarior. 10. Sex et viginti millia talentum proxima praeda redacta erant: e quibus duodecim millia in congiarium militum absunta sunt. Par huic pecuniae summa custodum fraude subtracta est. 11. Oxydates erat nobilis Perses, qui, a Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis; huic liberato satrapiam Mediae attribuit: fratremque Darii recepit in cohortem amicorum, omni vetustae claritatis honore servato. 12. Hinc in Parthienem perventum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui post Euphratem et Tigrim amnes siti, rubro mari terminantur. 13. Scythae regionem campestram ac fertilem occupaverunt, graves adhuc accolae. Sedes habent et in Europa, et in Asia: qui super Bosphorum colunt, adscribuntur Asiae; at qui in Europa sunt, a laevo Thraciae latere ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim, alium amnem, recta plaga attinent. 14. Tanais Europam et Asiam medius interfluit. Nec dubitatur, quin Scythae, qui Parthos condidere, non a Bosphoro, sed ex regione Europae penetraverint. 15. Urbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita a Graecis: ibi stativa rex habuit, commeatibus undique advectis. Itaque rumor, otiosi militis vitium, sine auctore percrebuit, regem contentum rebus, quas gessisset, in Macedoniam protinus redire statuisse. 16. Discurrunt lymphatis similes in tabernacula, et itineri sarcinas aptant: signum datum crederes, ut vasa colligerent. Totis castris tumultus, hinc contubernales suos requirentium, hinc oneran-

tium plaustra, perfertur ad regem. 17. Fecerant fidem rumori temere vulgato Graeci milites, redire iussi domos, quorum equitibus singulis denariorum sena millia dono dederat. Ipsis quoque finem militiae adesse credebant. 18. Haud secus quam par erat territus Alexander, qui Indos atque ultima Orientis peragrarare statuisset, praefectos copiarum in praetorium contrahit: obortisque lacrimis, ex medio gloriae spatio revocari se, victi magis, quam victoris, fortunam in patriam relaturum conquestus est; 19. nec sibi ignaviam militum obstare, sed Deorum invidiam, qui fortissimis viris subitum patriae desiderium admovissent, paulo post in eandem cum maiore laude famaue redituris. 20. Tum vero pro se quisque operam suam offerre; difficillima quaeque poscere; polliceri militum quoque obsequium, si animos eorum leni et apta oratione permulcere voluisset. 21. Nunquam infractos et abiectos recessisse, quoties ipsius alacritatem et tanti animi spiritus haurire potuissent. Ita se facturum esse respondit: illi modo vulgi aures praeparent sibi. Satisque omnibus, quae in rem videbantur, compositis, vocari ad concionem exercitum iussit, apud quem talem orationem habuit:

III. „Magnitudinem rerum, quas gessimus, milites, intuentibus vobis, minime mirum est, et desiderium quietis, et satietatem gloriae occurrere. 2. Ut omittam Illyrios, Triballos, Boeotiam, Thraciam, Spartam, Achaeos, Peloponnesum, quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui; 3. ecce orsi bellum ab Hellesponto, Ionas, Aeolidem servitio barbariae impotentis exemimus; Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam, Phoenicem, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienem habemus in potestate. 4. Plures provincias complexus sum, quam alii urbes ceperunt; et nescio, an enumeranti mihi

quaedam ipsarum rerum multitudo subduxerit. 5. Itaque si crederem, satis certam esse possessionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus; ego vero, milites, ad penates meos, ad parentem sororesque, et ceteros cives, vel renitentibus vobis, erumperem, ut ibi potissimum parta vobiscum laude et gloria fruere, ubi nos uberrima victoriae praemia expectant: liberorum, coniugum, parentumque laetitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum secunda possessio. 6. Sed in novo, et, si verum fateri volumus, precario imperio, adhuc iugum eius rigida cervice subeuntibus barbaris, tempore, milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, et efferatos mollior consuetudo permulcet. 7. Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. 8. Quid? creditis tot gentes, alterius imperio ac nomine adsuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguae nobiscum cohaerentes, eodem proelio domitas esse, quo victae sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus; et qui praesentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas et inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. 9. Et adhuc sic ago, tanquam omnia subacta sint armis, quae fuerunt in ditione Darii. Hyrcaniam Nabarzanes occupavit: Bactra non solum possidet parricida Bessus, sed etiam minatur. Sogdiani, Dahae, Massagetae, Sacae, Indi, sui iuris sunt. Omnes hi, simul terga nostra viderint, sequentur. 10. Illi enim eiusdem nationis sunt; non alienigenae et externi. Suis autem quique parent placidius; etiam quum is praest, qui magis timeri potest. Proinde, aut quae cepimus, omittenda sunt, aut quae non habemus, occupanda. 11. Sicut in corporibus aegris, milites, nihil quod nociturum est, medici relinquunt; sic nos, quidquid obstat imperio, recidamus. Parva saepe scintilla

contenta magnum excitavit incendium. Nihil tuto in hoste despicitur: quem spreveris, valentio-rem ne negligentia facies. 12. Ne Darius quidem hereditarium Persarum accepit imperium; sed in sedem Cyri, beneficio Bagoae, castrati hominis, admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occupaturum. 13. Nos vero peccavimus, milites, si Dari-um ob hoc vicimus, ut servo eius traderemus imperium; qui, ultimum ausus scelus, regem suum, etiam externae opis egentem, certe cui nos victores pepercissemus, quasi captivum in vinculis habuit; ad ultimum, ne a nobis conservari posset, occidit. 14. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem cruci affixum videre festino, omnibus regibus gentibusque, et Fidei, quam violavit, meritas poenas solventem. 15. At hercule, si mox eundem Graecorum urbes aut Hellespontum vastare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum praemia vestrae occupasse victoriae? Tunc ad repetendas res festinabitis; tunc arma capietis. Quanto autem praestat, territum adhuc et vix mentis suae compotem opprimere? 16. Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcavimus nives, tot annes superavimus, tot montium iuga transcucurrimus. Non mare illud, quod exaestuans iter fluctibus occupat, euntes nos moratur; non Cili-ciae fauces et angustiae includunt: plana omnia et prona sunt. 17. In ipso limine victoriae stamus. Pauci nobis fugitivi et domini sui interfectores super-sunt. Egregium mehercule opus, et inter prima gloriae vestrae numerandum posteritati famaeque tradetis, Darii quoque hostis, finito post mortem eius odio, parricidas esse vos ultos, neminem im-pium effugisse manus vestras. 18. Hoc perpetrato, quanto creditis Persas obsequentiores fore, quum intellexerint vos pia bella suscipere, et Bessi sceleri, non nomini suo, irasci? "

IV. Summa militum alacritate, iubentium, quo-

cunq̄ue vellet, duceret, oratio excepta est. 2. Nec rex moratus impetum; tertioque per Parthienem die ad fines Hyrcaniae penetrat, Cratero relicto cum iis copiis, quibus praeerat, et ea manu, quam Amyntas ducebat, additis sexcentis equitibus, et totidem sagittariis, ut ab incursione barbarorum Parthienem tueretur. 3. Erigyium impedimenta, modico praesidio dato, campestri itinere ducere iubet. Ipse cum phalange et equitatu CL stadia emensus, castra in valle, qua Hyrcaniam adeunt, communit. Nemus praealtis densisque arboribus umbrosum est, pingue vallis solum rigantibus aquis, quae ex petris imminuentibus manant. 4. Ex ipsis radicibus montium Ziobetis amnis effunditur, qui tria fere stadia in longitudinem universus fluit; deinde saxo, quod alveolum in̄terpellat, repercussus, duo itinera velut dispensatis aquis aperit. 5. Inde torrens, et saxorum, per quae incurrit, asperitate violentior, terram praecipit subit. Per CCC stadia conditus labitur: rursusque velut ex alio fonte conceptus editur, et novum alveum intendit, priore sui parte spatiosior. 6. Quippe in latitudinem XIII stadiorum diffunditur: rursusque angustioribus coërcitus ripis iter cogit; tandem in alterum amnem cadit, cui Rhidago nomen est. 7. Incolae affirmabant, quaecunque demissa essent in cavernam, quae propior est fonti, rursus, ubi aliud os amnis aperitur, exsistere. Itaque Alexander duos tauros, qua subeunt aquae terram, praecipitari iubet; quorum corpora, ubi rursus erumpit, expulsa videre, qui missi erant, ut exciperent. 8. Quartum iam diem eodem loco quietem militi dederat; quum literas Nabarzanis, qui Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia haec erat: „Se Dario non fuisse inimicum; immo etiam, quae credidisset utilia esse, suasisse; et quia fidele consilium regi dedisset, prope occisum ab eo. 9. Agitasse Darium, custodiam corporis sui, contra ius fasque,

peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos et triginta annos inviolatam regibus suis praestitissent. 10. Se, in praecipiti et lubrico stantem, consilium a praesenti necessitate repetisse. Darium quoque, quum occidisset Bagoan, hac excusatione satisfacisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset. 11. Nihil esse miseris mortalibus spiritu carius: amore eius ad ultima esse propulsum: sed ea magis esse secutum, quae coëgisset necessitas, quam quae optasset. In communi calamitate suam quemque habere fortunam. 12. Si venire se iuberet, sine metu esse venturum. Non timere, ne fidem datam tantus rex violaret; Deos a Deo falli non solere. 13. Ceterum si, cui fidem daret, videretur indignus, multa exsilia patere fugienti: patriam esse, ubicunque vir fortis sedem elegerit.“ 14. Nec dubitavit Alexander, fidem, quo Persae modo accipiebant, dare: inviolatum, si venisset, fore. Quadrato tamen agmine et composito ibat, speculatores subinde praemittens, qui explorarent loca. 15. Levis armatura ducebat agmen: phalanx eam sequebatur; post pedites erant impedimenta. Et gens bellicosa, et natura situs difficilis aditu, curam regis intenderat. 16. Namque perpetua vallis iacet, usque ad mare Caspium patens. Duo terrae eius velut brachia excurrunt: media flexu modico sinum faciunt, lunae maxime similem, quum eminent cornua, nondum totum orbem sidere implente. 17. Cercetae et Mosyni et Chalybes a laeva sunt: ab altera parte Leucosyri et Amazonum campi; et illos qua vergit ad Septemtrionem, hos ad occasum conversa prospectat. 18. Mare Caspium, dulcius ceteris, ingentis magnitudinis serpentes alit: piscium longe diversus ab aliis color. Quidam Caspium, quidam Hyrcanium appellant: alii sunt, qui Maeotim paludem in id cadere putent: et argumentum afferunt, aquam, quod dulcior sit quam cetera maria, infuso

paludis humore mitescere. 19. A Septemtrione ingens in litus mare incumbit, longeque agit fluctus, sed magna parte exaestuans stagnat. Idem alio coeli statu recipit in se fretum, eodemque impetu, quo effusum est, relabens, terram naturae suae reddit. Et quidam credidere, non Caspium mare esse, sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium, ut supra dictum est, perpetua valle submittitur. 20. Hinc rex XX stadia processit, semita propemodum in via, cui silva imminebat, torrentesque et eluvies iter morabantur. Nullo tamen hoste obvio, penetravit; tandemque ad ulteriora perventum est. 21. Praeter alios commeatus, quorum tum copia regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, et uberrimum gignendis uvis solum est. 22. Frequens arbor faciem quercus habet, cuius folia multo melle tinguntur: sed nisi solis ortum incolae occupaverint, vel modico tepore succus exstinguitur. 23. XXX hinc stadia processerat, quum Phrataphernes ei occurrit, seque et eos, qui post Darii mortem profugerant, dedens: quibus benigne exceptis, ad oppidum Arvas pervenit. Hic ei Craterus et Erigyus occurrunt. 24. Praefectum Tapurorum gentis Phradatem adduxerant. Hic quoque in fidem receptus, multis exemplo fuit experiendi clementiam regis. 25. Satrapem deinde Hyrcaniae dedit Menapim: exsul hic regnante Ocho ad Philippum pervenerat. Tapurorum quoque gentem Phradati reddidit.

V. Iamque rex ultima Hyrcaniae intraverat, quum Artabazus, quem Dario fidissimum fuisse supra diximus, cum propinquis Darii ac suis liberis modicaque Graecorum militum manu occurrit. 2. Dextram venienti obtulit rex: quippe et hospes Philippi fuerat, quum, Ocho regnante, exsularet; et hospitii pignora in regem suum ad ultimum fides conservata vincebat. 3. Comiter igitur exceptus, *Tu quidem, inquit, rex, perpetua felicitate floreas. Ego, ceteris laetus, hoc*

uno torqueor, quod, praecipiti senectute, diu frui tua bonitate non possum. Nonagesimum et quintum annum agebat. 4. Novem iuvenes, eadem matre geniti, patrem comitabantur: hos Artabazus dextrae regis admovit, precatus ut tam diu viverent, donec utiles Alexandro essent. 5. Rex pedibus iter plerumque faciebat: tunc admoveri sibi et Artabazo equos iussit; ne ipso ingrediente pedibus, senex equo vehi erubesceret. 6. Deinde ut castra sunt posita, Graecos, quos Artabazus adduxerat, convocari iubet: at illi, nisi Lacedaemoniis quoque et Sinopensibus fides daretur, respondent, se, quid agendum ipsis foret, deliberaturos. 7. Legati erant Lacedaemoniorum missi ad Darium, quo victo, applicaverant se Graecis mercede apud Persas militantibus. 8. Rex, omissis sponsionum fideique pignoribus, venire eos iussit, fortunam, quam ipse dedisset, habituros. Diu cunctantes, plerisque consilia variantibus, tandem venturos se pollicentur. 9. At Democrates Atheniensis, qui maxime Macedonum opibus semper obstiterat, venia desperata, gladio se transfigit. Ceteri, sicut constituerant, ditioni Alexandri se ipsos permittunt. 10. Mille et D milites erant: praeter hos legati ad Darium missi XC. In supplementum distributus miles; ceteri remissi domum, praeter Lacedaemonios, quos tradi in custodiam iussit. 11. Mardorum erat gens confinis Hyrcaniae, cultu vitae aspera, et latrociniis adsueta. Haec sola nec legatos miserat, nec videbatur imperata factura. Itaque rex indignatus, si una gens posset efficere, ne invictus esset, impedimentis cum praesidio relictis, invicta manu comitante procedit. 12. Noctu iter fecerat, et prima luce hostis in conspectu erat. Tumultus magis quam proelium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupaverant, barbari confugiunt: proximique vici ab incolis deserti capiuntur. 13. Interiora regionis eius haud sane adire sine magna vexatio-

ne exercitus poterat. Iuga montium praealtae silvae rupesque inviae sepiunt: ea, quae plana sunt, novo munimenti genere impedierant barbari. 14. Arbores densae sunt ex industria consitae, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rursus inferunt terrae: inde velut ex alia radice latiores virent trunci. 15. Hos, qua natura fert, adolescere non sinunt: quippe alium alii quasi nexu conserunt; qui ubi multa fronte vestiti sunt, operiunt terram. Itaque occulti nexus ramorum, velut laquei, perpetua sepe iter cludunt. 16. Una ratio erat, caedendo aperire saltum: sed hoc quoque magni operis. Crebri namque nodi duraverant stipites, et in se implicati arborum rami suspensis circulis similes, lento vimine frustrabantur ictus. 17. Incolae autem, ritu ferarum virgulta subire soliti, tum quoque intraverant saltum, occultisque telis hostem lacescebant. Ille venantium modo latibula scrutatus, plerosque confodit: ad ultimum circumire saltum milites iubet, ut si qua pateret, irrumperent. 18. Sed ignotis locis plerique oberrabant. Excepti sunt quidam; inter quos equus regis, (Bucephalam vocabant) quem Alexander non eodem, quo ceteras pecudes, animo aestimabat. Nam ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium; et regem, quum vellet ascendere, sponte sua genua submittens excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. 19. Maiore ergo, quam decebat, ira simul ac dolore stimulatus, equum vestigari iubet, et per interpretem pronuntiari, ni reddissent, neminem esse victurum. Hac denuntiatione territi, cum ceteris donis equum adducunt. 20. Sed ne sic quidem mitigatus, caedi silvas iubet, adgestaque humo e montibus, planitiem ramis impeditam exaggerari. 21. Iam aliquantulum altitudinis opus creverat, quum barbari, desperato regionem, quam occupaverant, posse retineri, gentem suam dedidere. Rex, obsidibus acceptis, Phradati tradere eos iussit.

Inde quinto die in stativa revertitur. 22. Artabazum deinde, geminato honore, quem Darius habuerat ei, remittit domum. Iam ad urbem Hyrcaniae, in qua regia Darii fuit, ventum erat. Ibi Nabarzanes accepta fide occurrit, dona ingentia ferens. 23. Inter quae Bagoas erat, specie singulari spado, atque in ipso flore pueritiae; cui et Darius fuerat adsuetus, et mox Alexander adsuevit: eiusque maxime precibus motus Nabarzani ignovit. 24. Erat, ut supra dictum est, Hyrcaniae finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyrae incolentium campos. 25. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem et Phasin amnem imperitantem. Haec, cupidine visendi regis accensa, finibus regni sui excessit, et, quum haud procul abesset, praemisit indicantes, venisse reginam adeundi eius cognoscendique avidam. 26. Protinus facta potestate veniendi, ceteris iussis subsistere, CCC feminarum comitatu processit. Atque ut primum rex in conspectu fuit, equo ipsa desiliit, duas lanceas dextra praeferens. 27. Vestis non toto Amazonum corpore obducitur: nam laeva pars ad pectus est nuda; cetera deinde velantur. Nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. 28. Altera papilla intacta servatur, qua muliebris sexus liberos alant; aduritur dextra, ut arcus facilius intendant, et tela vibrent. 29. Interrito vultu regem Thalestris intuebatur, habitum eius, haudquaquam rerum famae parem, oculis perlustrans. Quippe omnibus barbaris in corporum maiestate veneratio est; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. 30. Ceterum interrogata, num aliquid petere vellet; haud dubitavit fateri, ad communicandos cum rege liberos se venisse: dignam, ex qua ipse regni generaret heredes. Feminini sexus se retenturam; marem reddituram patri. 31. Alexander, an cum ipso militare

vellet, interrogat: et illa, causata, sine custode regnum reliquisse, petere perseverabat, ne se irritam spei pateretur abire. 32. Acrior ad Venerem feminae cupido, quam regis, ut paucos dies subsisteret, perpulit. XIII dies in obsequium desiderii eius absumti sunt. Tum illa regnum suum, rex Parthienem petiverunt.

VI. Hic vero palam cupiditates suas solvit; continentiamque et moderationem, in altissima quaque fortuna eminentia bona, in superbiam ac lasciviam vertit. 2. Patrios mores disciplinamque Macedonum regum salubriter temperatam et civilem habitum velut leviora magnitudine sua ducens, Persicae regiae par Deorum potentiae fastigium aemulabatur. 3. Iacere humi venerabundos ipsum, paullatimque servilibus ministeriis tot victores gentium imbuere, et captivis pares facere expetebat. 4. Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit; ne omen quidem veritus, quod a victoris insignibus in devicti transiret habitum. 5. Et ille se quidem spolia Persarum gestare dicebat; sed cum illis quoque mores induerat; superbiamque habitus animi insolentia sequebatur. 6. Literas quoque, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemma obsignabat: iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur; ut appareret, unum animum duorum non capere fortunam. 7. Amicos vero et equites, (i namque principes militum) aspernantes quidem, sed recusare non ausos, Persicis ornaverat vestibibus. 8. Pellices CCC et LX, totidem quot Darii fuerant, regiam implebant; quas spadonum greges, et ipsi muliebria pati assueti, sequebantur. 9. Haec luxu et peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis natio ad voluptates, palam aversabantur; totisque castris unus omnium sensus ac sermo erat, „plus amissum victoria, quam bello esse quaesitum. 10.

Tum maxime vinci ipsos, dedique alienis moribus et externis: tantae morae pretium, domos quasi in captivo habitu reversuros. Pudere iam sui regem, victis quam victoribus similiorem, ex Macedoniae imperatore Darii satrapen factum.“ 11. Ille non ignarus, et principes amicorum et exercitum graviter offendi, gratiam liberalitate donisque recuperare tentabat. Sed, opinor, liberis pretium servitutis ingratum est. 12. Igitur ne in seditionem res verteretur, otium interpellandum erat bello; cuius materia opportune alebatur. 13. Namque Bessus, veste regia sumta, Artaxerxen appellari se iusserat; Scythasque et ceteros Tanais accolae contrahebat. Haec Satibarzanes nuntiabat: quem, receptum in fidem, regioni, quam antea obtinuerat, praefecit. 14. Et quum grave spoliis apparatuque luxuriae agmen vix moveretur; suas primum, deinde totius exercitus sarcinas, exceptis admodum necessariis, conferri iussit in medium. 15. Planities spatiosa erat, in quam vehicula onusta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid deinde esset imperaturus; iumenta iussit abduci; suisque primum sarcinis face subdita, ceteras incendi praecepit. 16. Flagrabant exurentibus dominis, quae ut intacta ex urbibus hostium raperent, saepe flammis restinxerant; nullo sanguinis pretium audente deflere, quum regias opes idem ignis exureret. 17. Brevis deinde oratio mitigavit dolorem; habilesque militiae, et ad omnia parati, laetabantur, sarcinarum potius, quam disciplinae, fecisse iacturam. 18. Igitur Bactrianam regionem petebant. Sed Nicanor, Parmenionis filius, subita morte correptus, magno desiderio sui affecerat cunctos. 19. Rex ante omnes moestus, cupiebat quidem subsistere funeri adfuturus; sed penuria com meatuum festinare cogebat. Itaque Philotas cum II millibus et DC relictus, ut iusta fratri persolveret; ipse contendit ad Bessum. 20. Iter facienti literae ei affe-

runtur a finitimis Satraparum; e quibus cognoscit, Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu: ceterum Satibarzanem, quem satrapem Arriorum ipse praefecisset, defecisse ab eo. 21. Itaque quamquam Besso imminebat, tamen ad Satibarzanem opprimendum praeverti optimum ratus, levem armaturam et equestres copias educit, totaque nocte strenue facto itinere, improvisus hosti supervenit. 22. Cuius cognito adventu Satibarzanes cum II millibus equitum (nec enim plures subito contrahi poterant) Bactra perfugit, ceteri proximos montes occupaverunt. 23. Praerupta rupes est, qua spectat Occidentem: eadem, qua vergit ad Orientem, leniore submissa fastigio, multis arboribus obsita, perennem habet fontem, ex quo largae aquae manant. 24. Circumitus eius XXX et II stadia comprehendit. In vertice herbidus campus. In hoc multitudinem imbellem considerare iubent: ipsi, qua rupes erat, arborum truncos et saxa obmoliuntur. XIII millia armata erant. 25. In horum obsidione Cratero relicto, ipse Satibarzanem sequi festinat. Et quia longius eum abesse cognoverat, ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverant, redit. 26. Ac primo repurgari iubet, quidquid ingredi possent: deinde, ut occurrebant inviae cautes praeruptaeque rupes, irritus labor videbatur, obstante natura. 27. Ille, ut erat animi semper obluctantis difficultatibus, quum et progredi arduum, et reverti periculosum esset, versabat se ad omnes cogitationes, aliud atque aliud, ita ut fieri solet, ubi prima quaeque damnamus, subiciente animo. Haesitanti, quod ratio non potuit, fortuna consilium subministravit. 28. Vehemens Favonius erat, et multam materiam ceciderat miles, aditum per saxa molitus. Haec vapore torrida inarserat. 29. Ergo adgeri alias arbores iubet, et igni dari alimenta: celeriterque stipitibus cumulatis fastigium montis aequatum est. 30. Tunc undique

ignis iniectus cuncta comprehendit. Flammam in ora hostium ventus ferebat; fumus ingens velut quadam nube absconderat coelum. 31. Sonabant incendio silvae; atque ea quoque, quae non incenderat miles, concepto igne proxima quaeque adurebant. Barbari suppliciorum ultimum, si qua intermoreretur ignis, effugere tentabant; sed qua flamma dederat locum, hostis obstabat. 32. Varia igitur caede consumti sunt. Alii in medios ignes, alii in petras praecipitavere sese; quidam manibus hostium se obtulerunt: pauci semiustulati venire in potestatem. 33. Hinc ad Craterum, qui Artacacna obsidebat, redit. Ille, omnibus praeparatis, regis expectabat adventum, captae urbis titulo, sicut par erat, cedens. 34. Igitur Alexander turre admoventi iubet: ipsoque aspectu barbari territi, e muris supinas manus tendentes, orare coeperunt, iram in Satibarzanem defectio- nis auctorem reservaret; supplicibus semet deditibus parceret. Rex, data venia, non obsidionem modo solvit, sed omnia sua incolis reddidit. 35. Ab hac urbe digresso supplementum novorum militum occurrit. Zoilus D equites ex Graecia adduxerat: III millia ex Illyrico Antipater miserat. Thessali equites C et XXX cum Philippo erant: ex Lydia II millia, et DC, peregrinus miles, advenerant: CCC equites gentis eiusdem sequebantur. 36. Hac manu adiecta Drangas pervenit. Bellicosa natio est. Satrapes erat Barzaentes, sceleris in regem suum particeps Besso. Is suppliciorum, quae meruerat, metu profugit in Indiam.

VII. Iam nonum diem stativa erant, quum externa vi non tutus modo rex, sed invictus, intestino facinore petebatur. 2. Dimnus, modicae apud regem auctoritatis et gratiae, exoleti, cui Nicomacho erat nomen, amore flagrabat, obsequio uni sibi dediti corporis vinctus. 3. Is, quod ex vultu quoque perspicere poterat, similis attonito, remotis arbitris cum iuvene

secessit in templum, arcana se et silenda afferre praefatus; 4. suspensumque expectatione per mutua caritatem et pignora utriusque animi rogat, ut affirmet iureiurando, quae commisisset, silentio esse tecturum. 5. Et ille ratus, nihil, quod etiam cum periurio detegendum foret, indicaturum, per praesentes Deos iurat. 6. Tum Dimnus aperit, in tertium diem insidias regi comparatas, seque eius consilii fortibus viris et illustribus esse participem. 7. Quibus iuvenis auditis, se vero fidem in parricidio dedisse constanter abnuit, nec ulla religione, ut scelus tegat, posse constringi. 8. Dimnus, et amore et metu amens, dextram exoleti complexus, et lacrimans, orare primum, ut particeps consilii operisque fieret. 9. Si id sustinere non posset, attamen ne proderet se, cuius erga ipsum benevolentiae praeter alia hoc quoque haberet fortissimum pignus, quod caput suum permisisset fidei adhuc inexpertae. 10. Ad ultimum aversari scelus perseverantem metu mortis terret: ab illo capite coniuratos pulcherrimum facinus inchoaturos. 11. Alias deinde effeminatum et muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoque, versabat animum tanto facinore procul abhorrentem. 12. Strictum deinde gladium modo illius, modo suo admovens iugulo, supplex idem et infestus expressit tandem, ut non solum silentium, sed etiam operam polliceretur. 13. Namque abunde constantis animi, et dignus, qui pudicus esset, nihil ex pristina voluntate mutaverat; sed se captum Dimni amore simulabat nihil recusare. 14. Sciscitari inde pergit, cum quibus tantae rei societatem inisset. Plurimum referre, quales viri tam memorabili operi admoturi manus essent. 15. Ille, et amore et scelere male sanus, simul gratias agit, simul gratulatur, quod fortissimus iuvenum non dubitasset se iungere Demetrio corporis custodi, Peucolao, Nicanori. Adii-

cit his Aphobetum, Ioceum, Dioxenum, Archepolim, et Amyntam. 16. Ab hoc sermone dimissus Nicomachus, ad fratrem, (Cebalino erat nomen,) quae acceperat, defert. Placet, ipsum subsistere in tabernaculo, ne, si regiam intrasset, non assuetus adire regem, coniurati proditos se esse resciscerent. 17. Ipse Cebalinus ante vestibulum regiae, (neque enim propius aditus ei patebat,) consistit, opperiens aliquem amicorum ex prima cohorte, quo introduceretur ad regem. 18. Forte ceteris dimissis, unus Philotas, Parmenionis filius, incertum quam ob causam, substiterat in regia. Huic Cebalinus, ore confuso magnae perturbationis notas prae se ferens, aperit, quae ex fratre compererat, et sine cunctatione nuntiari regi iubet. 19. Philotas, laudato eo, protinus intrat ad Alexandrum; multoque invicem de aliis rebus consumto sermone, nihil eorum, quae ex Cebalino cognoverat, nuntiat. 20. Sub vesperam eum prodeuntem in vestibulo regiae excipit iuvenis, an mandatum exsecutus foret requirens. Ille, non vacasse sermoni suo regem causatus, discessit. 21. Postero die Cebalinus venienti in regiam praesto est, intransentemque admonet pridie communicatae cum ipso rei. Ille curae sibi esse respondet: ac ne tum quidem regi, quae audierat, aperit. 22. Coeperat Cebalino esse suspectus. Itaque non ultra interpellandum ratus, nobili iuveni, (Metron erat ei nomen,) super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. 23. Ille Cebalino in armamentario abscondito, protinus regi, corpus forte curanti, quid ei index detulisset, ostendit. 24. Rex, ad comprehendendum Dimnum missis satellitibus, armamentarium intrat. Ibi Cebalinus gaudio elatus, *habeo te*, inquit, *incolumem ex impiorum manibus ereptum*. 25. Percontatus deinde Alexander quae noscenda erant, ordine cuncta cognoscit. Rursusque institit quaerere, quotus dies esset, ex quo Nicomachus ad eum de-

tulisset indicium? 26. Atque illo fatente, iam tertium esse; existimans, haud incorrupta fide tanto post deferre quae audierat, vinciri eum iussit. 27. Ille clamitare coepit, eodem temporis momento, quo audisset, ad Philotam decurrisse: ab eo percontaretur. 28. Rex item quaerens, an Philotam adisset? an institisset ei, ut perveniret ad se? perseverante eo affirmare quae dixerat; manus ad coelum tendens, manantibus lacrimis, hanc sibi a carissimo quondam amicorum relatum gratiam querebatur. 29. Inter haec Dimnus, haud ignarus quam ob causam arcesceretur a rege, gladio, quo forte erat cinctus, graviter se vulnerat, occursuque satellitum inhibitus, perfertur in regiam. 30. Quem intuens rex, *quod, inquit, in te, Dimne, tantum cogitavi nefas, ut tibi Macedonum regno dignior Philotas me quoque ipso videretur?* Illum iam defecerat vox. Itaque edito gemitu, vultuque a conspectu regis averso, subinde collapsus exstinguitur. 31. Rex, Philota venire in regiam iusso, *Cebalinus, inquit, ultimum supplicium meritus, si in caput meum praeparatas insidias biduo texit, huius criminis reum Philotam substituit, ad quem protinus indicium detulisse se affirmat.* 32. *Quo propiore gradu amicitiae me contingis, hoc maius est dissimulationis tuae facinus; et ego Cebalino magis, quam Philotae, id convenire fateor. Faventem habes iudicem, si, quod admitti non oportuit, saltem negari potest.* 33. Ad haec Philotas haud sane trepidus, si animus vultu aestimaretur, Cebalinum quidem scorti sermonem ad se detulisse; sed ipsum tam levi auctori nihil credidisse, respondit; veritum, ne iurgium inter amatorem et exoletum non sine risu aliorum detulisset. 34. Quum Dimnus interemerit se ipsum, qualiacunque erant, non fuisse reticenda. Complexusque regem orare coepit, ut praeteritam vitam potius, quam culpam, silentii tamen, non facti ullius, intueretur. 35. Haud facile dixerim, credideritne ei rex, an al-

tius iram suppresserit: dextram reconciliatae gratiae pignus obtulit, et contemptum magis, quam celatum indicium esse, videri sibi dixit.

VIII. Advocato tamen consilio amicorum, cui tum Philotas adhibitus non est, Nicomachum introduci iubet. Is eadem, quae detulerat ad regem, ordine exposuit. 2. Erat Craterus regi carus in paucis, et eo Philotae ob aemulationem dignitatis adversus: 3. neque ignorabat, saepe Alexandri auribus nimia iactatione virtutis atque operae gravem fuisse; et ob ea non quidem sceleris, sed contumaciae tamen, suspectum. 4. Non aliam premendi inimici occasionem aptiorem futuram ratus, odio suo pietatis praeferebat speciem, *Utinam, inquit, in principio quoque huius rei nobiscum deliberasses.* 5. *Suasisset, si Philotae velles ignoscere, patereris potius ignorare eum, quantum deberet tibi, quam usque ad mortis metum adductum cogeres potius de periculo suo, quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari tibi poterit; tu non semper Philotae poteris ignoscere.* 6. *Nec est quod existimes, eum, qui tantum facinus ausus est, venia posse mutari. Scit, eos, qui misericordiam consumserunt, amplius sperare non posse.* 7. *At ego, etiamsi ipse vel poenitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem, tanti ducem exercitus, et inveterata apud milites tuos auctoritate haud multum infra magnitudinis tuae fastigium positum, scio non aequo animo salutem filii sui debiturum tibi.* 8. *Quaedam beneficia odimus. Meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri iniuriam accepisse, quam vitam. Proinde scio, tibi cum illis de salute esse pugnandum.* 9. *Satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus: latus a domesticis hostibus muni. Hos si submoves, nihil metuo ab externo.* Haec Craterus. 10. Nec ceteri dubitabant, quin coniurationis indicium suppressurus non fuisset, nisi auctor aut particeps. Quem enim pium

et bonae mentis, non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis quae ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? 11. Ne Cebalini quidem exemplo, qui ex fratre comperta ipsi nuntiasset, Parmenionis filium, praefectum equitatus, omnium arcenorum regis arbitrum? Simulasse etiam, non vacasse sermoni suo regem, ne index alium internuntium quaereret. 12. Nicomachum, religione quoque deum adstrictum, conscientiam suam exonerare properasse: Philotam, consumto per ludum iocumque paene toto die, gravatum esse pauca verba, ad caput regis pertinentia, tam longo et forsitan supervacuo inserere sermoni. 13. At enim non credidisse talia deferentibus pueris! Cur igitur extraxisset biduum, tanquam indicio haberet fidem? Dimittendum fuisse Cebalinum, si delationem eius damnabat. 14. In suo quemque periculo magnum animum habere: quum de salute regis timeretur, credulos esse debere; vana quoque deferentes admittere. 15. Omnes igitur quaestionem de eo, ut participes sceleris indicare cogere, habendam esse decernunt. Rex, admonitos, ut consilium silentio premerent, dimittit. Pronuntiari deinde iter in posterum diem iubet, ne qua novi initi consilii daretur nota. 16. Invitatus est etiam Philotas ad ultimas ipsi epulas, et non coenare modo, sed etiam familiariter colloqui cum eo, quem damnaverat, sustinuit. 17. Secunda deinde vigilia, luminibus extinctis, cum paucis in regiam coeunt Hephæstion, et Craterus, et Coenus, et Erigyus: hi ex amicis; ex armigeris autem Perdiccas et Leonnatus. Per hos imperatum, ut qui ad praetorium excubabant, armati vigilarent. 18. Iam ad omnes aditus dispositi erant milites; equites quoque itinera obsidere iussi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediae magnisque copiis praeerat, occultus evaderet. 19. Attarras autem cum trecentis armatis intraverat regiam: huic decem satellites traduntur, quorum sin-

gulos deni armigeri sequebantur. 20. Ii ad alios coniuratos comprehendendos distributi sunt: Attarras, cum trecentis ad Philotam missus, clausum aditum domus moliebatur, quinquaginta iuvenum promississimis stipatus. Nam ceteros cingere undique domum iusserat, ne occulto aditu Philotas posset elabi. 21. Illum, sive securitate animi, sive fatigatione resolutum, somnus oppresserat; quem Attarras torpentem adhuc occupat. 22. Tandem ei sopore discusso quum iniicerentur catenae; *Vicit, inquit, bonitatem tuam, rex, inimicorum acerbitas.* Nec plura locutum capite velato in regiam adducunt. 23. Postero die rex edixit, omnes armati coirent. Sex millia fere militum venerant: praeterea turba lixarum calonumque impleverant regiam. 24. Philotam armigeri agmine suo tegebant, ne ante conspici posset a vulgo, quam rex allocutus milites esset. 25. De capitalibus rebus vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi; et nihil potestas regum valebat, nisi prius valuisset auctoritas. 26. Igitur primum Dimni cadaver infertur, plerisque, quid patrasset, quove casu extinctus esset, ignaris.

IX. Rex deinde in concionem procedit, vultu praeferens dolorem animi. Amicorum quoque moestitia exspectionem haud parvam rei fecerat. 2. Diu demisso in terram vultu, attonito stupentique similis stetit. Tandem recepto animo, *Paene, inquit, milites, paucorum hominum scelere vobis ereptus sum. Deum providentia et misericordia vivo. Conspectusque vestri venerabilis cogit, ut vehementius parricidis irascerer; quoniam spiritus, immo unus vitae meae fructus est, tot fortissimis viris, et de me optime meritis, referre adhuc gratiam posse.* 3. Interruptit orationem militum gemitus, abortaeque sunt omnibus lacrimae. Tum rex, *Quanto, inquit, maiorem in animis vestris motum excitabo, quum tanti sceleris auctores ostendero! quorum mentionem adhuc reformido; et tanquam*

salvi esse possint, nominibus abstineo. 4. Sed vincenda est memoria pristinae caritatis, et coniuratio impiorum civium detegenda. Quomodo autem tantum nefas sileam? Parmenio, illa aetate, tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetustissimus, ducem se tanto sceleri praebuit. 5. Minister eius Philotas Peucolaum, et Demetrium, et hunc Dimnum, cuius corpus adspicitis, ceterosque eiusdem amentiae, in caput meum subornavit. 6. Fremitus undique indignantium querentiumque tota concione obstrepebat: qualis solet esse multitudinis, et maxime militaris, ubi aut studio agitur, aut ira. 7. Nicomachus deinde, et Metron, et Cebalinus producti, quae quisque detulerat, exponunt. Nullius eorum indicio Philotas particeps sceleris destinabatur. Itaque indignatione pressa vox indicum silentio excepta est. 8. Tum rex, Qualis, inquit, ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum indicium ad ipsum suppressit? quod non fuisse vanum, Dimni exitus declarat. 9. Incertam rem deferens, tormenta non timuit Cebalinus: Metron ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eo, ubi lavabar, irrumperet. 10. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum! Iste, si regis periculo commoveretur, vultum non mutaret? indicem tantae rei sollicitus non audiret? 11. Subest nimirum silentio facinus, et avida spes regni praecipitem animum ad ultimum nefas impulit. Pater Mediae praeest. Ipse apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, maiora, quam capit, spirat. 12. Orbitas quoque mea, quod sine liberis sum, spernitur. Sed errat Philotas. In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo: vobis salvus, orbis esse non possum. 13. Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem et Philotam scripserat, recitat; haud sane indicium gravioris consilii praefertentem. 14. Namque summa eius haec erat: Primum vestri curam agite: deinde vestrorum: sic enim

quae destinavimus, efficiemus. 15. Adiecitque rex, sic esse scriptam, ut sive ad filios pervenisset, a consciis posset intelligi; sive intercepta esset, falleret ignaros. 16. At enim Dimnus, quum ceteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominavit! Hoc quidem illius non innocentiae, sed potentiae indicium est, quod sic ab iis timetur etiam, a quibus prodi potest, ut quum de se fateantur, illum tamen celent. Caeterum Philotam ipsius indicat vita. 17. Hic Amyntae, qui mihi consobrinus fuit, et in Macedonia capiti meo impias comparavit insidias, socium se et conscium adiunxit. Hic Attalo, quo graviorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. 18. Hic, quum scripsissem ei, pro iure tam familiaris usus atque amicitiae, qualis sors edita esset Iovis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi: „se quidem gratulari, quod in numerum Deorum receptus essem: ceterum misereri eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui modum hominis excederet.“ 19. Haec sunt etiam animi pridem alienati a me et invidentis gloriae meae indicia: quae quidem, milites, quamdiu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere, si, in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. 20. Sed iam non verba punienda sunt; linguae temeritas pervenit ad gladios. Hos, si mihi creditis, Philotas in me acuit. Id si ipse admisit, quo me conferam, milites? cui caput meum credam? 21. Equitatu, optinae exercitus parti, principibus nobilissimae iuventutis unum praefeci: salutem, spem, victoriam meam fidei eius tutelaeque commisi. 22. Patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admovi: Mediam, qua nulla opulentior regio est, tot civium sociorumque millia imperio eius ditionique subieci. Unde praesidium petieram, periculum exstitit. 23. Quam feliciter in acie occidissem, potius hostis praeda, quam civis victima! Nunc servatus ex periculis, quae sola timui, in haec incidi, quae timere non debui. 24. Soletis

identidem a me, milites, petere, ut saluti meae parcam. Ipsi mihi praestare potestis, quod suadetis ut faciam. Ad vestras manus, ad vestra arma confugio: invitis vobis salvus esse nolo; volentibus, non possum, nisi vindicor. 25. Tum Philotam, religatis post tergum manibus, obsoleto amiculo velatum iussit induci. Facile apparebat, motos esse tam miserabili habitu, non sine invidia paullo ante conspecti. 26. Ducem equitatus pridie viderant: sciebant, regis interfuisse convivio. Repente non reum modo, sed etiam damnatum, immo vinctum, intuebantur. 27. Subibat animos Parmenionis quoque, tanti ducis, tam clari civis, fortuna: qui modo duobus filiis, Hectore et Nicanore, orbatus, cum eo, quem reliquum calamitas fecerat, absens diceret causam. 28. Itaque Amyntas, regis praetor, inclinatum ad misericordiam concionem rursus aspera in Philotam oratione commovit. Proditos eos esse barbaris: neminem ad coniugem suam, neminem in patriam et ad parentes fuisse rediturum. Velut truncum corpus demto capite, sine spiritu, sine nomine, aliena terra ludibrium hostis futuros. 29. Haudquaquam, pro spe ipsius, Amyntae oratio grata regi fuit; quod coniugum, quod patriae admonitos, pigriores ad caetera munia exsequenda fecisset. 30. Tunc Coenus, quamquam Philotae sororem matrimonio secum coniunxerat, tamen acrius quam quisquam in Philotam invectus est: parricidam esse regis, patriae, exercitus, clamitans: saxumque, quod forte ante pedes iacebat, arripuit, emissurus in eum; ut plerique credidere, tormentis subtrahere cupiens. 31. Sed rex manum eius inhibuit, dicendi prius causam debere fieri potestatem reo, nec aliter iudicari passurum se, affirmans. 32. Tum dicere iussus Philotas, sive conscientia sceleris, sive periculi magnitudine amens et attonitus, non attollere oculos, non hiscere audebat. 33. Lacrimis deinde manantibus, linquente animo, in eum, a quo teneba-

tur, incubuit; abstersisque amiculo eius oculis, paulatim recipiens spiritum ac vocem, dicturus videbatur. 34. Iamque rex, intuens eum, *Macedones*, inquit, *de te iudicaturi sunt: quaero, an patrio sermone sis apud eos usurus?* 35. Tum Philotas, *Praeter Macedonas*, inquit, *plerique adsunt, quos facilius, quae dicam, percepturos arbitror, si eadem lingua fuero usus, qua tu egisti, non ob aliud, credo, quam ut oratio tua intelligi posset a pluribus.* 36. Tum rex, *Ecquid videtis, adeo etiam sermonis patrii Philotam taedere? solus quippe fastidit eum dicere. Sed dicat sane, utcunque cordi est; dum meminertis, aequè illum a nostro more atque sermone abhorrere.* Atque ita concione excessit.

X. Tum Philotas, *Verba, inquit, innocenti reperire facile est; modum verborum misero tenere difficile.* 2. *Itaque inter optimam conscientiam et iniquissimam fortunam destitutus, ignoro, quomodo et animo meo et tempori paream.* 3. *Abest quidem optimus causae meae iudex: qui cur me ipse audire noluerit, non mehercule excogito; quum illi utrimque cognita causa tam damnare me liceat, quam absolvere; non cognita vero liberari ab absente non possum, qui a praesente damnatus sum.* 4. *Sed quamquam victi hominis non supervacua solum, sed etiam invisa defensio est, quae iudicem non docere videtur, sed arguere; tamen utcunque licet dicere, memet ipse non deseram, nec committam, ut damnatus etiam mea sententia videar.* 5. *Equidem cuius criminis reus sim, non video. Inter coniuratos nemo me nominat: de me Nicomachus nihil dixit: Cebalinus plus quam audierat, scire non potuit.* 6. *Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex! Potuit ergo Dimnus eum praeterire, quem sequebatur? praesertim quum quaerenti socios, vel falso fuerim nominandus; quo facilius, qui verebatur, posset impelli.* 7. *Non enim detecto facinore nomen meum praeteriit, ut posset videri socio pepercisse; Nicomachus, quem taci-*

turum arcana de semetipso credebat, confessus, aliis nominatis, me unum subtrahebat. 8. Quaeso, commilitones, si Cebalinus me non adisset, nihil me de coniuratis scire voluisset, num hodie dicerem causam nullo me nominante? 9. Dimnus sane et vivat adhuc, et velit mihi parcere: quid ceteri? qui de se confitebuntur, me videlicet subtrahent! Maligna est calamitas; et fere noxia, quum qui suo supplicio cruciatur, adquiescit alieno. 10. Tot conscii, ne in equuleum quidem impositi, verum fatebuntur? Atqui nemo parcat morituro; nec cuiquam moriturus, ut opinor. 11. Ad verum crimen et ad unum revertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti? cur tam securus audisti? Hoc qualecunque est, confesso mihi, ubicunque est, Alexander, remisisti: dextram tuam amplexus reconciliati pignus animi, convivio quoque interfui. 12. Si credidisti mihi, absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium tuum serva. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum a mensa tua, feci? quod novum facinus delatum ad te, mutavit animum tuum? 13. Gravi sopore adquiescebam, quum me malis indormientem meis inimici vinciendo excitarunt. Unde et parricidae et proditori tam alta quies somni? 14. Scelerati conscientia obstrepente quum dormire non possint, agitant eos furiae, non consummato modo, sed et cogitato parricidio. At mihi securitatem primum innocentia mea, deinde dextra tua obtulerant: non timui, ne plus alienae crudelitati apud te liceret, quam clementiae tuae. 15. Sed ne te mihi credidisse poeniteat, res ad me deferebatur a puero, qui non testem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, si coepisset audiri. 16. Amatoris et scorti iurgio interponi aures meas credidi infelix; et fidem eius suspectam habui, quod non ipse deferret, sed fratrem potius subornaret. 17. Timui, ne negaret mandasse se Cebalino, et ego viderer multis amicorum regis fuisse periculi causa. 18. Sic quoque quum laeserim neminem, inveni, qui mallent perire me,

quam incolumem esse: quid inimicitarum creditis excepturum fuisse, si insontes lacessissem? 19. At enim Dimnus se occidit? Num igitur facturum eum divinare potui? minime. Ita quod solum indicio fidem fecit, id me, quum a Cebalino interpellatus sum, movere non poterat. 20. At hercule, si conscius Dimno tanti sceleris fuisset, biduo illo proditos esse nos, dissimulare non debui: Cebalinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit. 21. Deinde post delatum indicium, quo periturus eram, cubiculum regis solus intravi, ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? an sine Dimno non sum ausus? Ille igitur princeps coniurationis fuit. 22. Sub illius umbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum affecto. Et quis e vobis corruptus est donis? quem ducem, quem praefectum impensius colui? 23. Mihi quidem obiicitur, quod societatem patrii sermonis asperner, quod Macedonum mores fastidiam. Sic ego imperio, quod dedignor, immineo. Iam pridem natus ille sermo commercio aliarum gentium exolevit: tam victoribus, quam victis, peregrina lingua discenda est. 24. Non mehercule ista me magis laedunt, quam quod Amyntas, Perdiccae filius, insidiatus est regi; cum quo quod amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit diligi a nobis. 25. Sin autem in illo fortunae gradu positum etiam venerari necesse erat; utrum, quaeso, quod non divinavi, reus sum? an impiorum amicis insontibus quoque moriendum est? Quod si aequum est, cur tamdiu vivo? si iniustum, cur nunc demum occidor? 26. At enim scripsi, misereri me eorum, quibus vivendum esset sub eo, qui se Iovis filium crederet! Fides amicitiae, veri consilii periculosa libertas, vos me decepistis! vos, quae sentiebam, ne reticerem, impulistis! 27. Scripsisse me haec fateor regi, non de rege. Non enim faciebam invidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iovis stirpem tacitus agnosceret, quam qui praedicatione iactaret. 28. Sed quoniam oraculi fides certa

est, sit Deus causae meae testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon in arcanum et occultum scelus. Interim, qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suae insidiati sunt, latere patietur. 29. Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendae veritatis fidem deprecor. 30. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi; patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo, quum et ipse tanti criminis reus sit. 31. Parum est, tot modo liberorum parentem, in unico filio adquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse in rogum meum imponitur. 32. Ergo, carissime pater, et propter me morieris, et mecum. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam exstinguo! Quid enim me procreabas infelicem adversantibus Diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? 33. Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore aetatis eripior; tibi carnifex spiritum adimet; quem, si fortuna exspectare voluisset, natura reposcebat. 34. Admonuit me patris mei mentio, quam timide et cunctanter, quae Cebalinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim, quum audisset, venenum a Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. 35. Num creditum est patri meo? num ullam auctoritatem eius literae habuerunt? Ego ipse, quoties quae audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Si et quum indicamus, invisi, et quum tacemus, suspecti sumus: quid facere nos oportet? 36. Quumque unus e circumstantium turba exclamasset, Bene meritis non insidiari: Philotas, Recte, inquit, quisquis es, dicis. 37. Itaque si insidiatus sum, poenam non deprecor; et finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia sunt visa auribus vestris. Abducitur deinde ab iis, qui custodiebant eum.

XI. Erat inter duces manu strenuus Bolon qui-

dam, pacis artium et civilis habitus rudis, vetus miles, ab humili ordine ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus: 2. qui tacentibus ceteris, stolidam audacia ferocem, admonere eos coepit, „quoties suis quisque diversoriis, quae occupassent, proturbatus esset, ut purgamenta servorum Philotae reciperentur eo, unde commilitones expulisset. 3. Auro argentoque vehicula eius onusta totis vicis stetisse: ac ne in vicina quidem diversoria quemquam commilitonum receptum esse; sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos, ne femina illa murmurantium inter se, silentio verius, quam sono, excitaretur. 4. Ludibrio ei fuisse rusticos homines, Phrygasque et Paphlagonas appellatos: qui non erubesceret, Macedo natus, homines linguae suae per interpretem audire. 5. Cur Hammonem consuli vellet? eundem Iovis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis: scilicet veritum, ne invidiosum esset, quod Dii offerrent. 6. Quum insidiaretur capiti regis et amici, non consuluisse eum Iovem: nunc ad oraculum mittere, dum pater eius sollicitetur, qui praesit in Media; et pecunia, cuius custodia commissa sit, perditos homines ad societatem sceleris impellat. 7. Ipsos missuros ad oraculum, non qui Iovem interrogent, quod ex rege cognoverint; sed qui gratias agant, qui vota pro incolunitate regis optimi persolvant.“ 8. Tum vero universa concio accensa est; et a corporis custodibus initium factum, clamantibus, discernendum esse parricidam manibus eorum. Id quidem Philotas, qui graviora supplicia metueret, haud sane iniquo animo audiebat. 9. Rex in concionem reversus, sive ut in custodia quoque torqueret, sive ut diligentius cuncta cognosceret, concilium in posterum diem distulit: et quamquam in vesperam inclinabat dies, tamen amicos convocari iubet. 10. Et ceteris quidem placebat, Macedonum more obrui saxis; Hephaestionem autem et Craterus et Coenus tor-

mentis veritatem exprimendam esse dixerunt: et illi quoque, qui aliud suaserant, in horum sententiam transeunt. 11. Consilio ergo dimisso, Hephaestion cum Cratero et Coeno ad quaestionem de Philota habendam consurgunt. 12. Rex Cratero arcessito, et sermone habito, cuius summa non edita est, in intimam diversorii partem secessit, et remotis arbitris in multam noctem quaestionis exspectavit eventum. 13. Tortores in conspectu Philotae omnia crudelitatis instrumenta proponunt. 14. Et ille ultro, *quid cessatis*, inquit, *regis inimicum, interfectorem, confidentem occidere? quid quaestione opus est? cogitavi, volui*. Craterus exigere, ut, quae confiteretur, in tormentis quoque diceret. 15. Dum corripitur, dum obligantur oculi, dum vestis exuitur, gentium iura, Deos patrios nequidquam apud surdas aures invocabat. Per ultimos deinde cruciatus, utpote damnatus, et inimicis in gratiam regis torquentibus, laceratur. 16. Ac primo quamquam hinc ignis, illinc verbera, iam non ad quaestionem, sed ad poenam, ingerebantur; non vocem modo, sed etiam gemitus, habuit in potestate. 17. Sed postquam intumescens corpus ulceribus, flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat: si tormentis adhibitori modum essent, dicturum se, quae scire expeterent, pollicetur. 18. Sed finem quaestioni fore, iurare eos per Alexandri salutem volebat, removerique tortores. Et utroque impetrato, Cratero inquit: *dic quid me velis dicere*. 19. Illo indignante, ludificari eum, rursusque revocante tortores, tempus petere coepit, dum reciperet spiritum, cuncta quae sciret, indicaturus. 20. Interim equites, nobilissimus quisque, et ii maxime, qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, postquam Philotam torqueri fama vulgaverat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati erant, cum ipsis necarentur, alii se interficiunt, alii in devios montes

vastasque solitudines fugiunt, ingenti per tota castra terrore diffuso; donec rex, tumultu cognito, legem de supplicio coniunctorum insontibus remittere edixit. 21. Philotas verone an mendacio liberare se a cruciatu voluerit, anceps coniectura est, quoniam et vera confessis et falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur. 22. Ceterum, *Pater, inquit, meus Hegelochus quam familiariter usus sit, non ignoratis; illum dico Hegelochum, qui in acie cecidit. Ille omnium malorum nobis causa fuit.* 23. *Nam quum primum Iovis filium se salutare iussit rex, id indigne ferens ille: „Hunc igitur regem agnoscimus,“ inquit, „qui Philip-pum dedignatur patrem? Actum est de nobis, si ista perpeti possumus.* 24. *Non homines solum, sed etiam deos despicit, qui postulat deus credi. Amisimus Alexandrum, amisimus regem: incidimus in superbiam, nec diis, quibus se exaequat, nec hominibus, quibus se eximit, tolerabilem.* 25. *Nostrone sanguine deum fecimus, qui nos fastidiat? qui gravetur mortalium adire concilium? Credite mihi, et nos, si viri sumus, a diis adoptabimur.* 26. *Quis proavum huius Alexandrum, quis deinde Archelaum; quis Perdiccam occisos ultus est? hic quidem interfecto-ribus patris ignovit.“* 27. *Haec Hegelochus dixit super coenam: et postero die prima luce a patre accersor. Tristis erat, et me moestum videbat: audieramus enim, quae sollicitudinem incuterent.* 28. *Itaque ut experiremur, utrumne vino gravatus effudisset illa, an altiore concepta consilio, accersiri eum placuit. Venit: eodemque sermone ultro repetito adiecit, „se, sive auderemus duces esse, proximas a nobis partes vindicaturum; sive deesset animus, consilium silentio esse tecturum.“* 29. *Parmenioni, vivo adhuc Dario, intempestiva res videbatur; non enim sibi, sed hosti, esse occisuros Alexandrum: Dario vero sublato, praemium regis occisi Asiam et totum Orientem interfecto-ribus esse cessura. Approbatoque consilio, in haec fides data est et accepta.* 30. *Quod*

ad Dimnum pertinet, nihil scio; et haec confessus intelligo non prodesse mihi, quod prorsus sceleris expers sum. 31. Illi rursus tormentis admotis, quum ipsi quoque hastis os oculosque eius everberarent, ut hoc quoque crimen confiteretur, expressere. 32. Exigentibus deinde, ut ordinem cogitati sceleris exponeret; quum diu Bactra retentura regem viderentur, timuisse respondit, ne pater, LXX natus annos, tanti exercitus dux, tantae pecuniae custos, interim exstingueretur, ipsique, spoliato tantis viribus, occidendi regis causa non esset. 33. Festinasse ergo se, dum praemium haberet in manibus, repraesentare consilium, cuius patrem non fuisse auctorem nisi crederent, tormenta, quamquam tolerare non posset, tamen non recusare. 34. Illi collocti satis quaesitum videri, ad regem revertuntur. Qui postero die et quae confessus erat Philotas recitari, et ipsum, quia ingredi non poterat, iussit afferri. 35. Omnia agnoscente eodem, Demetrius, qui proximi sceleris particeps esse arguebatur, producitur: multa affirmatione, animique pariter constantia, et vultu abnuens, quidquam sibi in regem cogitatum esse, tormenta etiam deposcebat in semetipsum. 36. Quum Philotas circumlatis oculis incideret in Calin quemdam, haud procul stantem, propius eum iussit accedere. Illo perturbato et recusante transire ad eum, *patieris, inquit, Demetrium mentiri, rursusque me excruciaris?* 37. Calin vox sanguisque defecerant: et Macedones Philotam inquinare innoxios velle suspicabantur, quia nec a Nicomacho, nec ab ipso Philota, quum torqueretur, nominatus esset adolescens. Qui ut praefectos regis circumstantes se vidit, Demetrium et semetipsum id facinus cogitasse confessus est. 38. Omnes ergo a Nicomacho nominatos, more patrio, dato signo, saxis obruerunt. 39. Magno non modo salutis, sed etiam invidiae periculo libera

tus erat Alexander: quippe Parmenio et Philotas, principes amicorum, nisi palam sontes, sine indignatione totius exercitus non potuissent damnari. 40. Itaque anceps quaestio fuit: dum infitatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur; post confessionem, Philotas ne amicorum quidem misericordiam meruit.

Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER VII.

ARGUMENTUM.

1. Rex, quoniam semel quaestionibus instituendis vacaverat, Alexandrum etiam quendam Lyncestem maiestatis reum interfici iubet. Deinde in Amyntam et Simmiam, Philotae amicos, inquit; qui suam innocentiam gravi oratione tuentur. 2. Amynta et fratribus in gratiam receptis, Polydamas in Mediam missus est, ad Parmenionem interficiendum: quo facto indignatio militum orta, et seditio; quae tandem exstinguitur. 3. Varios populos sub iugum mittit Alexander, et septemdecim diebus cum exercitu Caucasum superat. 4. Bessus de bello adversus Alexandrum inter epulas consultat, sapienti tamen Co-baris consilio uti negligit. Interim rex Bactra pervenit, ubi de Graecorum defectione et de Satibarzane singulari certamine occiso, certior fit. 5. Exercitus magna siti liberatus Oxum amnem traiecit. Bessus dolo captus ad Alexandrum adducitur,

a quo Darii fratri Oxathri cruci sigendus traditur. 6. Barbarorum erga Macedones et regem benevolentia. Alexander varias expugnat urbes. Alexandriam ad Tanaim condit, brevissimoque temporis spatio absolvit. 7. De bello Scythis inferendo aeger ex vulnere cum suis inquit consilium. Aristander vates regis voluntati extorum accommodat significata. Menedemus, a Spitamene circumventus, cum duobus peditum millibus et CCC equitibus a Dahis interficitur: quam cladem sollerter dissimulat Alexander. 8. Dum exercitus ad bellum accingitur, Scytharum legati adveniunt, ac de pace egregiam ad Alexandrum orationem habent. 9. Alexander autem legatis dimissis Tanaim traicit, bellum Scythis infert, et cum victis benigne agit. 10. Sogdianorum nobilium invictus animus. Bessi supplicium. Novo milite auctus Alexandri exercitus. 11. Petram, urbem amplissimam, situ naturaque loci fere inexpugnabilem, Alexander ad deditionem cogit.

1. **P**hilotam sicut recentibus sceleris eius vestigiis iure affectum supplicio censuerant milites, ita, postquam desierat esse quem odissent, invidia in misericordiam vertit. 2. Moverat et claritas iuvenis, et patris eius senectus atque orbitas. 3. Primus Asiam aperuerat regi, omnium periculorum eius particeps; semper alterum in acie cornu defenderat; Philippo quoque ante omnes amicus; et ipsi Alexandro tam fidus, ut occidendi Attalum non alio ministro uti mallet. 4. Horum cogitatio subibat exercitum; seditiosaeque voces referebantur ad regem. Quis ille haud sane motus, satisque prudens, otii vitia negotio discuti, edicit, ut omnes in vestibulo regiae praesto afforent. 5. Quos ubi frequentes adesse cognovit, in concionem processit. Haud dubie ex composito Apharias postulare coepit, ut Lyncestes Alexander, qui multo ante quam Philotas regem voluisset occidere, exhiberetur. 6. A duobus indicibus, sicut supra diximus, delatus, tertium iam annum cu-

stodiebatur in vinculis. Eundem in Philippi quoque caedem coniurasse cum Pausania, pro comperto fuit; sed quia primus Alexandrum regem salutaverat, supplicio magis quam crimini fuerat exemptus. 7. Tum quoque Antipatri soceri eius preces iustam regis iram morabantur. Ceterum recruduit soporatus dolor; quippe veteris periculi memoriam praesentis cura renovabat. 8. Igitur Alexander ex custodia educitur, iussusque dicere, quamquam toto triennio meditatus erat defensionem, tamen haesitans et trepidus pauca ex iis, quae composuerat, protulit: ad ultimum non memoria solum, sed etiam mens, eum destituit. 9. Nulli erat dubium, quin trepidatio conscientiae indicium esset, non memoriae vitium. Itaque ex iis, qui proxime adstiterant, obluctantem adhuc oblivioni, lanceis confoderunt. 10. Cuius corpore ablato, rex introduci iussit Amyntam et Simmiam: nam Polemon, minimus ex fratribus, quum Philotam torqueri comperisset, profugerat. 11. Omnium Philotae amicorum hi carissimi fuerant, ad magna et honorata ministeria illius maxime suffragatione producti: memineratque rex, summo studio ab eo conciliatos sibi; nec dubitabat, huius quoque ultimi consilii fuisse participes. 12. Igitur, olim esse sibi suspectos matris suae literis, quibus esset admonitus, ut ab his salutem suam tueretur. Ceterum se invitum deteriora credentem, nunc manifestis indiciis victum, iussisse vinciri. 13. Nam pridie quam detegeretur Philotae scelus, quin secreto cum eo fuissent, non posse dubitari. Fratrem vero, qui profugerit, quum de Philota quaereretur, aperuisse fugae causam. 14. Nuper praeter consuetudinem, officii specie, amotis longius ceteris, admovisse semetipsos lateri suo, nulla probabili causa: seque mirantem, quod non vice sua tali fungerentur officio, et ipsa trepidatione eorum perterritum, strenue ad armigeros, qui proxime sequebantur, recessisse. 15.

Ad hoc accedere, quod, quum Antiphanes, scriba equitum, Amyntae denuntiasset pridie quam Philotae scelus deprehensum esset, ut ex suis equis more solito daret iis, qui amisissent suos, superbe respondisset, nisi incepto desisteret, brevi sciturum quis ipse esset. 16. Iam linguae violentiam, temeritatemque verborum, quae in semetipsum iacularentur, nihil aliud esse, quam scelesti animi indicem ac testem. Quae si vera essent, idem meruisse eos, quod Philotam; si falsa, exigere ipsum ut refellant. 17. Productus deinde Antiphanes, de equis non traditis et adiectis etiam superbe minis indicat. 18. Amyntas, facta dicendi potestate, *Si nihil, inquit, interest regis, peto ut, dum dico, vinculis liberer.* Rex solvi utrumque iubet: desiderantique Amyntae, ut habitus quoque redderetur armigeri, lanceam dari iussit. 19. Quam ut laeva comprehendit, evitato eo loco, in quo Alexandri corpus paullo ante iacuerat, *Qualiscunque, inquit, exitus nos manet, rex, confitemur, prosperum tibi debituros, tristere fortunae imputaturos.* 20. *Sine praeiudicio dicimus causam, liberis corporibus animisque. Habitum etiam, in quo te comitari solemus, reddidisti. Causam non possumus, fortunam timere desinemus.* 21. *Te quaeso, permittas mihi id primum defendere, quod a te ultimum obiectum est. Nos, rex, sermonis adversus maiestatem tuam habiti nullius conscii sumus nobis. Dicerem, iampridem vicisse te invidiam, nisi periculum esset, ne alia maligne dicta crederes blanda oratione purgari.* 22. *Ceterum etiamsi militis tui vel in agmine deficientis et fatigati, vel in acie perichitantis, vel in tabernaculo aegri et vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta, merueramus fortibus factis, ut malle ea tempore nostro imputare, quam animo.* 23. *Quum quid accidit tristius, omnes rei sunt: corporibus nostris, quae utique non odimus, infestas admovemus manus: parentes liberis si occurrant, et ingrati et invidi sunt. Contra quum do-*

nis honoramur, quum praemiis onusti revertimur, quis ferre nos potest? quis illam animorum alacritatem continere? 24. Militantium nec indignatio, nec laetitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapimur: vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur, utcunque praesens movit affectio. Modo Indiam adire et Oceanum libet; modo coniugum et liberorum patriaeque memoria occurrit. 25. Sed has cogitationes, has inter se colloquentium voces, signum tuba datum finit: in suos ordines quisque currimus, et quidquid irarum in tabernaculo conceptum est, in hostium effunditur capita. 26. Utinam Philotas quoque intra verba peccasset! Proinde ad id revertar, propter quod rei sumus. Amicitiam, quae nobis cum Philota fuit, adeo non eo infitias, ut expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear. 27. An vero Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti, filium, omnes paene amicos tuos dignatione vincentem, cultum a nobis esse miraris? 28. Tu hercule, si verum audire vis, rex, huius nobis periculi causa es. Quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi ad hunc gradum amicitiae tuae adscendimus. Is apud te fuit, cuius gratiam expetere, et iram timere possemus. 29. An non propemodum in tua verba tui omnes te praeceunte iuravimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros esse, quos tu haberes? Hoc sacramento pietatis obstricti aversaremur scilicet, quem tu omnibus praeferebas? 30. Igitur si hoc crimen est, paucos innocentes habes, immo hercule neminem. Omnes enim Philotae amici esse voluerunt: totidem, quot volebant, esse non poterant. Ita si a consciis amicos non dividis, ne ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt. 31. Quod igitur conscientiae affertur indicium? Ut opinor, quia pridie familiariter et sine arbitris locutus est nobiscum! At ego purgare non possem, si pridie quidquam ex vetere vita ac more mutassem. Nunc vero, si, ut omnibus diebus, illo quo

que, qui suspectus est, fecimus, consuetudo diluet crimen. 32. Sed equos Antiphani non dedimus! et pridie quam Philotas detectus est, haec mihi cum Antiphane res erat! Qui si nos suspectos facere vult, quod illo die equos non dederimus, semetipsum, quod eos desideraverit, purgare non poterit. 33. Anceps enim crimen est inter retinentem et exigentem; nisi quod melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum. 34. Ceterum, rex, equos decem habui, e quibus Antiphanes octo iam distribuerat iis, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos quum vellet abducere homo superbissimus, certe iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebam. 35. Nec infitias eo, liberi hominis animo locutum esse me cum ignavissimo, et hoc unum militiae suae usurpante, ut alienos equos pugnantibus distribuat. Huc enim malorum ventum est, ut verba mea eodem tempore et Alexandro excusarem, et Antiphani. 36. At hercule mater de nobis inimicis tibi scripsit. Utinam prudentius esset sollicita pro filio, et non inanes quoque species anxio animo figuraret! Quare enim non adscribit metus sui causam? denique non ostendit auctorem? Quo facto dictove nostro mota tam trepidas tibi literas scripsit? 37. O miseram conditionem meam, cui forsitan non periculosius est tacere, quam dicere! Sed utcunque cessura res est, malo tibi defensionem meam displicere, quam causam. Agnosces autem, quae dicturus sum; quippe meministi, quum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te, multos integros iuvenes in domo tuae matris abscondi. 38. Praecipisti igitur mihi, ne quem praeter te intuerer, sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, et liberius, quam expediebat mihi, exsecutus sum imperium tuum. Gorgiam, et Hecateum, et Gorgatam, quorum bona opera uteris, inde perduxisti. 39. Quid igitur iniquius est, quam me, qui, si tibi non paruissem, iure daturus fui poenas, nunc perire, quia parui? Neque enim ulla alia matri tuae

persequendi nos causa est, quam quod utilitatem tuam muliebri praeposuimus gratiae. 40. Sex millia Macedonum peditum et DC equites adduxi; quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem. Sequitur ergo, ut, quia illa propter hanc causam irascitur nobis, tu mitiges matrem, qui irae eius nos obtulisti.

II. Dum haec Amyntas agit, forte supervenerunt, qui fratrem eius Polemonem, de quo ante dictum est, fugientem consecuti vinctum reducebant. Infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum iaceret. 2. Atque ille sane interritus, *Nihil, inquit, pro me deprecor; modo ne fratrum innocentiae fuga imputetur mea. Haec si defendi non potest, meum crimen sit. Horum ob id ipsum melior est causa, quod ego, qui profugi, suspectus sum.* 3. Haec elocuto universa concio assensa est. Lacrimae deinde omnibus manare coeperunt, adeo in contrarium repente mutatis, ut solum pro eo esset, quod maxime laeserat. 4. Iuvenis erat primo aetatis flore pubescens, quem inter equites tormentis Philotae conturbatos alienus terror abstulerat. Desertum eum a comitibus, et haesitantem inter revertendi fugiendique consilium, qui secuti erant occupaverunt. 5. Is tum flere coepit, et os suum converberare, moestus non suam vicem, sed propter ipsum periclitantium fratrum. 6. Moveratque iam regem quoque, non concionem modo: sed unus erat implacabilis frater; qui terribili vultu intuens eum, *Tum, ait, demens, lacrimare debueras, quum equo calcaria subderes, fratrum desertor et desertorum comes. Miser, quo, et unde fugiebas? Effecisti, ut reus capitis, accusatoris uterer verbis.* 7. Ille peccasse se, sed gravius in fratres, quam in semetipsum, fatebatur. Tum vero neque lacrimis, neque acclamationibus, quibus studia sua multitudo profitetur, temperaverunt. Una vox erat pari emissa consensu, ut insontibus et fortibus

viris parceret. Amici quoque, data misericordiae occasione, consurgunt, flentesque regem deprecantur. 8. Ille silentio facto, *Et ipse, inquit, Amyntam mea sententia fratresque eius absolvo. Vos autem, iuvenes, malo beneficii mei oblivisci, quam periculi vestri meminisse. Ea fide redite in gratiam mecum, qua ipse vobiscum revertor.* 9. *Nisi, quae delata essent, excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset. Sed satius est purgatos esse, quam suspectos. Cogitate, neminem absolvi posse, nisi qui dixerit causam.* 10. *Tu, Amynta, ignosce fratri tuo. Erit hoc simpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus.* 11. Concione deinde dimissa, Polydamanta vocari iubet. Longe acceptissimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie stare solitus. 12. Et quamquam conscientia fretus in regiam venerat, tamen, ut iussus est fratres suos exhibere, admodum iuvenes et regi ignotos ob aetatem, fiducia in sollicitudinem versa trepidare coepit, saepius quae nocere possent, quam quibus eluderet, reputans. 13. Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerunt eos; quum exsanguem metu Polydamanta propius accedere iubet; submotisque omnibus, *Scelere, inquit, Parmenionis omnes pariter appetiti sumus, maxime ego ac tu, quos amicitiae specie fefellit.* 14. *Ad quem persequendum puniendumque (vide quantum fidei tuae credam) te ministro uti statui. Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui.* 15. *Proficiscere in Mediam, et ad praefectos meos literas scriptas manu mea perfer. Velocitate opus est, qua celeritatem famae antecedas. Noctu pervenire illuc te volo; postero die, quae scripta erunt, exsequi.* 16. *Ad Parmenionem quoque epistolas feres; unam a me, alteram Philotae nomine scriptam. Signum annuli eius in mea potestate est. Sic pater, credens a filio impressum, quum te viderit, nihil metuet.* 17. Polydamas, tanto liberatus metu, impensius etiam, quam exigebatur, promittit operam; collaudatusque et promissis one-

ratus, deposita veste quam habebat, Arabica induitur. 18. Duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi, vinculum fidei, obsides apud regem erant, dati comites. Per deserta etiam ob siccitatem loca camelis, undecima die, quo destinaverat, pervenit. 19. Et prius quam ipsius nuntiaretur adventus, rursus Polydamas vestem Macedonicam sumit, et in tabernaculum Cleandri (praetor hic regius erat) quarta vigilia pervenit. 20. Redditis deinde literis, constituerunt prima luce ad Parmenionem coire: namque ceteri quoque, quibus literas regis attulerat, ad eum venturi erant: quum Parmenioni Polydamanta venisse nuntiaverunt. 21. Qui dum laetatur adventu amici, simulque noscendi, quae rex ageret, avidus, (quippe longo intervallo nullam ab eo epistolam acceperat) Polydamanta requiri iubet. 22. Diversoria regionis illius magnos recessus habent, amoenosque nemoribus manu consitis: ea praecipue regum satraparumque voluptas erat. 23. Spatiabatur in nemore Parmenio, medius inter duces, quibus erat imperatum literis regis, ut occiderent. Agendaem rei constituerant tempus, quum Parmenio a Polydamante literas traditas legere coepisset. 24. Polydamas procul veniens, ut a Parmenione conspectus est, vultu laetitiae speciem praeferente, ad complectendum eum cucurrit; mutuaque gratulatione functi, Polydamas epistolam ab rege scriptam ei tradidit. 25. Parmenio vinculum epistolae solvens, quidnam rex ageret, requirebat. Ille ex ipsis literis cogniturum esse respondit. 26. Quibus Parmenio lectis, *Rex, inquit, expeditionem parat in Arachosios. Strenuum hominem, et nunquam cessantem! Sed tempus, saluti suae, tanta iam parta gloria, parcere.* 27. Alteram deinde epistolam, Philotae nomine scriptam, laetus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum eius latus gladio haurit Cleander, deinde iugulum ferit; ceteri exanimem quoque confodiunt. 28. Et armigeri, qui

ad aditum nemoris adstiterant, cognita caede, cuius causa ignorabatur, in castra perveniunt, et tumultuoso nuntio milites concitant. 29. Illi armati ad nemus, in quo perpetrata caedes erat, coeunt: et, ni Polydamas ceterique eiusdem noxae participes dedantur, murum circumdatum nemori eversuros denuntiant, omniumque sanguine duci parentaturos. 30. Cleander primores eorum intromitti iubet; literasque regis scriptas ad milites recitat, quibus insidiae Parmenionis in regem, precesque, ut ipsum vindicarent, continebantur. 31. Igitur cognita regis voluntate, non quidem indignatio, sed tamen seditio compressa est. Dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui, saltem ut corpus ipsius sepelire permetterent, precabantur. 32. Diu id negatum est, Cleandri metu, ne offenderet regem. Pertinacius deinde precantibus, materiam consternationis subtrahendam ratus, capite deciso truncum humare permisit. Ad regem caput missum est. 33. Hic exitus Parmenionis fuit, militiae domique clari viri. Multa sine rege prospere, rex sine illo nihil magnae rei gesserat. Felicissimo regi, et omnia ad fortunae suae exigenti modum, satisfecit. LXX natus annos, iuvenis ducis, et saepe etiam gregarii militis munia explevit: acer consilio, manu strenuus, carus principibus, vulgo militum acceptior. 34. Haec impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum suspectum fecerint, ambigi potest; quia Philotas ultimis cruciatibus victus verane dixerit, quae facta probari non poterant, an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, quum magis posset liquere, dubitatum est. 35. Alexander, quos libere mortem Parmenionis conquestos esse compererat, separandos a cetero exercitu ratus, in unam cohortem secrevit, ducemque his Leonidam dedit, et ipsum Parmenioni quondam intima familiaritate coniunctum. 36. Fere iidem erant, quos alioqui rex habuerat invisos. Nam quum experiri

vellet militum animos, admonuit, qui literas in Macedoniam ad suos scripsisset, iis, quos ipse mittebat, perlaturis cum fide, traderet. Simpliciter ad necessarios suos quisque scripserat, quae sentiebat: aliis gravis erat, plerisque non ingrata militia. Ita et agentium gratias, et querentium literae exceptae sunt. 37. Et qui forte taedium laboris per literas erant questi, hanc seorsum cohortem a ceteris tendere ignominiae causa iubet, fortitudine usurus in bello, libertatem linguae ab auribus credulis remoturus. Et consilium, temerarium forsitan (quippe fortissimi iuvenes contumeliis irritati erant) sicut omnia alia felicitas regis exceptit. 38. Nihil illis ad bella promptius fuit. Incitabat virtutem et ignominiae demendae cupido, et quia fortia facta in paucis latere non poterant.

III. His ita compositis, Alexander, Arianorum satrape constituto, iter pronuntiari iubet in Arimaspos, quos iam tunc mutato nomine Euergetas appellabant; ex quo frigore victusque penuria Cyri exercitum affectum, tectis et com meatibus iuverant. 2. Quintus dies erat, ut in eam regionem pervenerat. Cognoscit, Satibarzanem, qui ad Bessum defecerat, cum equitum manu irrupisse rursus in Arios. Itaque Caranum et Erigyium cum Artabazo et Andronico et sex millibus Graecorum peditum DC equites sequebantur. 3. Ipse LX diebus gentem Euergetarum ordinavit, magna pecunia ob egregiam in Cyrum fidem donata. 4. Relicto deinde, qui iis praeesset, Aménide, (scriba is Darii fuerat) Arachosios, quorum regio ad Ponticum mare pertinet, subegit. Ibi exercitum, qui sub Parmenione fuerat, occupavit. Sex millia Macedonum erant, et CC nobiles, et quinque millia Graecorum cum equitibus ducentis, haud dubie robur omnium virium regis. 5. Arachosiis datus Menon praetor, IV millibus peditum et DC equitibus in praesidium relictis. Ipse rex nationem, ne finiti-

mis quidem satis notam, quippe nullo commercio volentem mutuos usus, cum exercitu intravit. 6. Parapamisadae appellantur, agreste hominum genus, et inter barbaros maxime inconditum. Locorum asperitas hominum quoque ingenia duraverat. 7. Geli-
dissimum Septemtrionis axem ex magna parte spectant; Bactrianis ad Occidentem coniuncti sunt: meridiana regio ad mare Indicum vergit. 8. Tuguria latere primo struunt, et quia sterilis est terra materiae, in nudo etiam montis dorso, usque ad summum aedificiorum fastigium eodem laterculo utuntur. 9. Ceterum structura latior ab imo, paullatim incremento operis in arctius cogitur: ad ultimum in carinae maxime modum coit. Ibi foramine relicto superne lumen accipiunt. 10. Ad medium vites et arbores, si quae in tanto terrae rigore durare potuerunt, ob-
ruunt. Penitus hieme defossae latent. Quum, nive discussa, aperiri humus coepit, coelo solique redduntur. 11. Ceterum adeo altae nives premunt terram, gelu et perpetuo paene rigore constrictae, ut ne avium quidem feraeve ullius vestigium exstet. Obscura coeli verius umbra quam lux, nocti similis premit terram, vix ut quae prope sunt, conspici possint. 12. In hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, pertulit; inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. 13. Multos exanimavit rigor insolitus nivis; multorum adussit pedes; plurimorum oculos. Praecipue pernicialis fuit fatigatis: quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant: quae quum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum conniti non possent. 14. A commilitonibus torpentes excitabantur: neque aliud remedium erat, quam ut ingredi cogerentur. Tum demum vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. 15. Si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter refecti sunt. Sed tanta caligo erat, ut aedificia nulla

alia res quam fumus ostenderet. 16. Illi, nunquam ante in terris suis advena viso, quum armatos repente conspicerent, exanimati metu, quidquid in tuguriis erat, afferebant, ut corporibus ipsorum parceretur orantes. 17. Rex agmen circumibat pedes, iacentes quosdam erigens, et alios, quum aegre sequerentur, adminiculo corporis sui excipiens. Nunc ad prima signa, nunc in medium, nunc in ultimo agmine, itineris multiplicato labore, aderat. 18. Tandem ad cultiora perventum loca est, commeatuque largo recreatus exercitus: simul et qui consequi non poterant, in illa castra venerunt. 19. Inde agmen processit ad Caucasum montem, cuius dorsum Asiam perpetuo iugo dividit: hinc simul mare, quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum et amnem Araxem aliaque regionis Scythiae deserta spectat. 20. Taurus, secundae magnitudinis mons, committitur Caucaso; a Cappadocia se attollens Ciliciam praeterit, Armeniaeque montibus iungitur. 21. Sic inter se tot iuga velut serie cohaerentia perpetuum habent dorsum, ex quo Asiae omnia fere flumina, alia in Rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanum et Ponticum decidunt. 22. XVII dierum spatio Caucasum superavit exercitus. Rupes in eo X in circuitu stadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit, in qua vinctum Promethea fuisse antiquitas tradit. 23. Condendae in radicibus montis urbi sedes electa est. VII millibus seniorum Macedonum, et praeterea militibus, quorum opera uti desisset, permissum in novam urbem considerare. Hanc quoque Alexandriam incolae appellaverunt.

IV. At Bessus, Alexandri celeritate perterritus, Diis patriis sacrificio rite facto, sicut illis gentibus mos est, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultabat. 2. Graves mero suas vires extollere: hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem, spernere. 3. Praecipue Bessus, ferox verbis,

et parto per scelus regno superbus, ac vix potens mentis, dicere: „Socordia Darii crevisse hostium famam. 4. Occurrisse enim in Ciliciae angustissimis faucibus, quum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturae situ invia, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis, ne fugae quidem, nedum resistendi occasionem fuerit habiturus. 5. Sibi placere in Sogdianos recedere: Oxum annem velut murum obiecturum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. 6. Venturos autem Chorasmios et Dahas Sacasque et Indos, et ultra Tanaim annem colentes Scythas; quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri eius non possent Macedonis militis verticem aequare.“ 7. Conclamant temulenti, unam hanc sententiam salubrem esse: et Bessus circumferri merum largius iubet, debellaturus super mensam Alexandrum. 8. Erat in eo convivio Cobares, natione Medus, sed magicae artis (si modo ars est, non vanissimi cuiusque ludibrium) magis professione, quam scientia, celeberrimus; alioquin moderatus et probus. 9. Is quum praefatus esset, „scire, servo utilius esse parere dicto, quam afferre consilium, quum illos, qui pareant, idem quod ceteros maneat; qui vero suadeant, proprium periculum:“ poculum ei, quod habebat in manu, tradidit. 10. Quo accepto, Cobares, *Natura, inquit, mortalium hoc quoque nomine prava et sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno.* 11. *Turbida sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Obstat metus; aliis cupiditas; nonnunquam naturalis eorum, quae cogitaveris, amor. Nam in te superbia non cadit. Expertus es, unumquemque, quod ipse repererit, aut solum aut optimum ducere.* 12. *Magnum onus sustines capite, regium insigne. Hoc aut moderate perferendum est, aut (quod obominor,) in te ruet. Consilio, non impetu, opus est.* 13. Adicit deinde, quod apud Bactrianos vulgo usur-

pabant: „canem timidum vehementius latrare, quam mordere: altissima quaeque flumina minimo sono labi.“ 14. Quae inserui, ut, qualiscunque inter Barbaros potuit esse prudentia, traderetur. In his audientium suspenderat expectationem sui. Tum consilium aperit, utilius Besso, quam gratius. *In vestibulo, inquit, regiae tuae velocissimus consistit rex. Ante ille agmen, quam tu mensam istam movebis.* 15. *Nunc ab Tanai exercitum accerses, et armis flumina oppones. Scilicet qua tu fugiturus es, hostis sequi non potest. Iter utrique commune est; victori tutius. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamen spes est.* 16. *Quin validioris occupas gratiam, dedisque te? utcunque cesserit, meliorem fortunam deditus, quam hostis, habiturus.* 17. *Alienum habes regnum; quo facilius eo careas. Incipies forsitan iustus esse rex, quum ipse fecerit, qui tibi et dare potest regnum et eripere.* 18. *Consilium habes fidele, quod diutius exsequi supervacaneum est. Nobilis equus umbra quoque virgae regitur: ignavus ne calcari quidem concitari potest.* 19. Bessus, et ingenio et multo mero ferox, adeo exarsit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum, (nam strinxerat quoque acinacem) contineretur. Certe e convivio prosilivit, haudquaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus, ad Alexandrum transfugit. 20. VIII millia Bactrianorum habebat armata Bessus: quae, quamdiu propter coeli intemperiem Indiam potius Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt: 21. postquam adventare Alexandrum compertum est, in suos quisque vicos dilapsi, Bessum reliquerunt. Ille cum clientium manu, qui non mutaverant fidem, Oxo amne superato, exustisque navigiis, quibus transierat, ne iisdem hostis uteretur, novas copias in Sogdianis contrahebat. 22. Alexander Caucasum quidem, ut supra dictum est, transierat; sed inopia frumenti prope ad famem ventum erat. 23. Succo ex sesama

expresso, haud secus quam oleo, artus perungebant. Sed huius succi ducenis quadragenis denariis amphorae singulae; mellis, denariis trecenis nonagenis; trecenis vini aestimabantur. Tritici nihil, aut admodum exiguum reperiebatur. 24. Siros vocabant barbari, quos ita sollerter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt, invenire non possint. In iis conditae fruges erant. In quarum penuria milites fluviatili pisce et herbis sustinebantur. 25. Iamque haec ipsa alimenta defecerant; quum iumenta, quibus onera portabant, caedere iussi sunt: horum carne, dum in Bactrianos perventum, traxere vitam. 26. Bactriae terrae multiplex et varia natura est. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit: solum pingue crebri fontes rigant: quae mitiora sunt, frumento conseruntur, cetera armentorum pabulo cedunt. 27. Magnam deinde partem eiusdem terrae steriles arenae tenent: squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit: quum vero venti a Pontico mari spirant, quidquid sabuli in campis iacet, converrunt. Quod ubi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt. 28. Itaque qui transeunt campos, navigantium modo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter dirigunt, et propemodum clarior est noctis umbra, quam lux. 29. Ergo interdum invia est regio, quia nec vestigium, quod sequantur, inveniunt; et nitor siderum caligine absconditur. Ceterum si quos ille ventus, qui a mari exoritur, deprehendit, arena obruit. 30. Sed qua mitior terra est, ingens hominum equorumque multitudo gignitur. [Itaque Bactriani equites XXX millia expleverant.] 31. Ipsa Bactra, regionis eius caput, sita sunt sub monte Parapamiso. Bactrus amnis praeterit moenia. Is urbi et regioni dedit nomen. 32. Hic regi stativa habenti nuntiatur ex Graecia Peloponnesium Laconumque defectio. Nondum enim victi

erant, quum proficiscerentur tumultus eius principia nuntiaturi. Et alius praesens terror affertur, Scythas, qui ultra Tanaim annem colunt, adventare, Besso ferentes opem. Eodem tempore, quae in gente Ariorum Caranus et Erigyus gesserant, perferuntur.

33. Commissum erat proelium inter Macedones Ariosque. Transfuga Satibarzanes barbaris praeerat: qui quum pugnam segnem utrimque aequis viribus stare vidisset, in primos ordines adequitavit, demtaque galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis viritum dimicare vellet, provocavit ad pugnam; nudum se caput in certamine habiturum.

34. Non tulit ferociam barbari dux exercitus Erigyus, gravis quidem aetate, sed et animi et corporis robore nulli iuvenum postferendus. Is galea demta canitiem ostentans, *Venit, inquit, dies, quo aut victoria, aut morte honestissima, quales amicos et milites Alexander habeat, ostendam.*

35. Nec plura elocutus, equum in hostem egit. Crederes imperatum, ut acies utraeque tela cohiberent. Protinus certe recesserunt, dato libero spatio; intenti in eventum, non duorum modo, sed etiam suae sortis, quippe alienum discrimen secuturi.

36. Prior barbarus emisit hastam, quam Erigyus modica capitis declinatione vitavit, atque ipse infestam sarissam, equo calcaribus concito, in medio barbari gutture ita fixit, ut per cervicem emereret.

37. Praecipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat. Sed ille extractam ex vulnere hastam rursus in os dirigit. Satibarzanes [hastam] manu complexus, quo maturius interiret, ictum hostis adiuvit.

38. Et barbari, duce amisso, quem magis necessitate quam sponte secuti erant, tunc haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyio tradunt.

39. Rex his quidem laetus, de Spartanis haudquam securus, magno tamen animo defectionem eorum tulit, dicens, non ante ausos consilia nudare, quam ipsum ad fines Indiae pervenisse cognovissent.

40. Ipse Bessum persequens copias movit; cui Eri-gyius spolia barbari, ceu opimum belli decus, praeferens occurrit.

V. Igitur Bactrianorum regione Artabazo tradita, sarcinas et impedimenta ibi cum praesidio reliquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens.

2. Aquarum (ut ante dictum est) penuria prius desperatione, quam desiderio bibendi, sitim accendit. Per CCC stadia ne modicus quidem humor existit. 3.

Arenas vapor aestivi solis accendit: quae ubi flagrare coeperunt, haud secus quam continenti incendio cuncta torrentur. 4. Caligo deinde, immodico terrae fervore excitata, lucem tegit: camporumque non alia quam vasti et profundi aequoris species est. 5. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore et matutino frigore corpora levabantur. Ceterum cum ipsa luce aestus oritur: omnemque naturalem absorbet humorem siccitas; ora visceraque penitus uruntur. 6. Itaque primum animi, deinde corpora, deficere coeperunt. Pigebat et consistere, et progredi.

7. Pauci, a peritis regionis admoniti, praepararant aquam. Haec paullisper repressit sitim: deinde, crescente aestu, rursus desiderium humoris accensum est. Ergo quidquid vini oleique erat, hominibus ingerebatur; tantaque dulcedo bibendi fuit, ut in posterum sitis non timeretur. 8. Graves deinde avide hausto humore, non sustinere arma, non ingredi poterant; et feliciores videbantur, quos aqua defecerat, quum ipse sine modo infusam vomitu cogerentur egerere. 9. Anxium regem tantis malis, circumfusi amici, ut meminisset, orabant, animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus esse:

10. quum ex iis, qui praecesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, et aegre pati sitim non ignorabant, occurrerent. 11. Qui

quum in regem incidissent, alter ex iis, utre resoluto, vas, quod simul ferebat, implet, porrigens regi. Ille accipit: percontatur, quibus aquam portarent: filiis ferre cognoscit. 12. Tunc, poculo pleno, sicut oblatum est, reddito, *Nec solus, inquit, bibere sustineo; nec tam exiguum dividere omnibus possum. Vos currite, et liberis vestris, quod propter illos attulistis, date.* 13. Tandem ad flumen Oxum ipse pervenit prima fere vespera. Sed exercitus magna pars non potuerat consequi: in edito monte ignes iubet fieri, ut ii, qui aegre sequebantur, haud procul castris se abesse cognoscerent. 14. Eos autem, qui primi agminis erant, mature cibo ac potione firmatos, implere alios utres, alios vasa, quibuscunque aqua posset portari, iussit, ac suis opem ferre. 15. Sed qui intemperantius hauserant, intercluso spiritu extincti sunt: multoque maior horum numerus fuit, quam ullo amiserat proelio. 16. At ille, thoracem adhuc indutus, nec aut cibo refectus aut potu, qua veniebat exercitus, constitit: nec ante ad curandum corpus recessit, quam praeterierant, qui [ultimi] agmen sequebantur: totamque eam noctem cum magno animi motu perpetuis vigiliis egit. 17. Nec postero die laetior erat, quia nec navigia habebat, nec pons erigi poterat, circumquaque nudo solo, et materia maxime sterili. Consilium igitur, quod unum necessitas subiecerat, init. 18. Utres quamplurimos stramentis refertos dividit. His incubantes transnavere amnem: quique primi transierant, in statione erant, dum traicerent ceteri. Hoc modo sexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum exposuit. 19. Iamque ad persequendum Bessum statuerat progredi, quum ea, quae in Sogdianis [acta] erant, cognoscit. Spitamenes erat inter omnes amicos praecipuo honore cultus a Besso. 20. Sed nullis meritis perfidia mitigari potest: quae tamen iam minus in eo invisae esse poterat, quia nihil ulli nefas tum in Bessum, interfe-

ctorem regis sui, videbatur. Titulus facinoris speciosus praeferebatur, vindicta Darii: sed fortunam, non scelus, oderat Bessi. 21. Nam ut Alexandrum flumen Oxum superasse cognovit, Dataphernem et Catenem, quibus a Besso maxima fides habebatur, in societatem cogitatae rei adsciscit. Illi promptius ad-eunt, quam rogabantur; assumtisque octo fortissimis iuvenibus, talem dolum intendunt. 22. Spitamenes pergit ad Bessum, et remotis arbitris, comperisse ait se, insidiari ei Dataphernem et Catenem, ut vivum Alexandro traderent agitantes; a semet occupatos esse, et vinctos teneri. 23. Bessus tanto merito, ut credebat, obligatus, partim gratias agit, partim avidus explendi supplicii adduci eos iubet. 24. Illi, manibus sua sponte religatis, a participibus consilii trahebantur: quos Bessus truci vultu intuens, consurgit, manibus non temperaturus. At illi simulatione omissa circumstant eum, et frustra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni, lacera-taque veste, quam e spoliis occisi regis induerat. 25. Ille, deos sui sceleris ultores adesse confessus, adiecit, non Dario iniquos fuisse, quem sic ulciscerentur, sed Alexandro propitios, cuius victoriam semper etiam hostis adiuvisset. 26. Multitudo an vindicatura Bessum fuerit, incertum est; nisi illi, qui vinxerant, iussu Alexandri fecisse ipsos ementiti, dubios adhuc animi terruissent. In equum impositum Alexandro tradituri ducunt. 27. Inter haec rex, quibus matura erat missio, electis DCCCC fere, equiti bina talenta dedit, pediti terna denarium millia: monitosque, ut liberos generarent, remisit domum. Ceteris gratiae actae, quod ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur. [Tum Bessus perducitur.] 28. Perventum erat in parvulum oppidum: Branchidae eius incolae erant. Mileto quondam iussu Xerxis, quum e Graecia rediret, transierant, et in ea sede constiterant, quia templum, quod Didymaeon appel-

latur, in gratiam Xerxis violaverant. 29. Mores patrii nondum exoleverant: sed iam bilingues erant, paullatim a domestico externo sermone degeneres. Magno igitur gaudio regem excipiunt, urbem seque dedentes. Ille Milesios, qui apud ipsum militabant, convocari iubet. 30. Vetus odium Milesii gerebant in Branchidarum gentem, proditionis ergo. His, sive iniuriae, sive originis meminisse mallent, liberum de Branchidis permittit arbitrium. 31. Variantibus deinde sententiis, se ipsum consideraturum quod optimum factu esset, ostendit. Postero die occurrentibus, Branchidas secum procedere iubet. Quumque ad urbem ventum esset, ipse cum expedita manu portam intrat. 32. Phalanx moenia oppidi circumire iussa, et dato signo diripere urbem, proditorum receptaculum, ipsosque ad unum caedere. 33. Illi inermes passim trucidantur; nec aut commercio linguae, aut supplicum velamentis precibusque inhiberi crudelitas potest. Tandem, ut deiicerent, fundamenta murorum ab imo moliantur, ne quod urbis vestigium exstaret. 34. Nemora quoque et lucos sacros non caedunt modo, sed etiam extirpant, ut vasta solitudo et sterilis humus, excussis etiam radicibus, linqueretur. 35. Quae si in ipsos proditionis auctores excogitata essent, iusta ultio esse, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum posterius luere, qui ne viderant quidem Miletum; adeo Xerxi non potuerant prodere. 36. Inde processit ad Tanaim amnem. Quo perductus est Bessus non vinctus modo, sed etiam omni velamento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat collo inserta catena, tam barbaris, quam Macedonibus, gratum spectaculum. 37. Tum Spitamenes, *Et te, inquit, et Darium, reges meos, ultus, interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum. Aperiat ad hoc spectaculum oculos Darius. Existat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit, et hoc solatio dignus est.*

38. Alexander, multum collaudato Spitamene, conversus ad Bessum, *Cuius, inquit, ferae rabies occupavit animum tuum, quum regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere sustinuisti? Sed huius parricidii mercedem falso regis nomine persolvisti.* 39. Ibi ille, facinus purgare non ausus, regis titulum se usurpare dixit, ut gentem suam tradere ipsi possit: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum. 40. At Alexander Oxathrem, fratrem Darii, quem inter corporis custodes habebat, propius iussit accedere; tradique Bessum ei, ut cruci affixum, mutilatis auribus naribusque, sagittis configerent barbari; adservarentque corpus, ut ne aves quidem contingerent. 41. Oxathres cetera sibi curae fore pollicetur. Aves non ab alio, quam a Catene, posse prohiberi adiicit, eximiam eius artem cupiens ostendere: namque adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet. 42. Nam etsi forsitan sagittandi tam celebri usu minus admirabilis videri haec ars possit; tamen ingens visentibus miraculum, magnoque honori Cateni fuit. 43. Dona deinde omnibus, qui Bessum adduxerant, data sunt. Ceterum supplicium eius distulit, ut eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur.

VI. Interea Macedones, ad petendum pabulum incomposito agmine egressi, a barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur; pluresque capti sunt quam occisi: 2. barbari autem, captivos prae se agentes, rursus in montem recesserunt. XX millia latronum erant. Fundis sagittisque pugnam invadunt. 3. Quos dum obsidet rex, inter promptissimos dimicans sagitta ictus est, quae in medio crure fixa reliquerat spiculum. 4. Illum quidem moesti et attoniti Macedones in castra referebant: sed nec barbaros fefellit subductus ex acie rex; quippe ex edito monte cuncta prospexerant. 5. Itaque postero die misere legatos ad regem, quos ille protinus iussit ad-

mitti; solutisque fasciis magnitudinem vulneris dissimulans, crus barbaris ostendit. 6. Illi iussi considerare affirmant, non Macedonas, quam ipsos, fuisse tristiores cognito vulnere ipsius: cuius si auctorem reperissent, dedituros fuisse; cum Diis enim pugnare sacrilegos tantum. 7. Ceterum se gentem in fidem dedere, superatos virtute illius. Rex, fide data, et captivis receptis, gentem in deditioem accepit. 8. Castris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant: equites, cum quibus rex proelia inire solitus erat, sui muneris id esse censebant: pedites contra, quum saucios commilitones ipsi gestare adsuevissent, eripi sibi proprium officium tum potissimum, quum rex gestandus esset, querebantur. 9. Rex, in tanto utriusque partis certamine, et sibi difficilem, et praeteritis gravem electionem futuram ratus, invicem subire eos iussit. 10. Hinc quarto die ad urbem Maracanda perventum est. LXX stadia murus urbis amplectitur: arx alio cingitur muro. Ac praesidio urbi relicto, proximos vicos depopulatur atque urit. 11. Legati deinde Abiorum Scytharum superveniunt; liberi, ex quo decesserat Cyrus; tum imperata facturi. Iustissimos barbarorum constabat: armis abstinebant, nisi lacessiti: libertatis modico et aequali usu, principibus humiliores pares fecerant. 12. Hos benigne allocutus, ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Penidam quendam misit ex amicis, qui denuntiaret eis, ne Tanaim amnem regionis iniussu regis transirent. Eidem mandatum, ut contemplaretur locorum situm; et illos quoque Scythas, qui super Bosphoron incolunt, viseret. 13. Condendae urbi sedem super ripam Tanais eligeret, claustrum et iam perdomitorum, et quos deinde adire decreverat. Sed consilium distulit Sogdianorum nuntiata defectio, quae Bactrianos quoque traxit. 14. VII millia equitum erant, quorum auctoritatem ceteri sequebantur. Alexander

Spitamenem et Catenem, a quibus ei traditus erat Bessus, haud dubius quin eorum opera redigi possent in potestatem, qui novaverant res, iussit accersiri. 15. At illi, defectionis, ad quam coërcendam evocabantur, auctores, vulgaverant famam, „Bactrianos equites a rege omnes, ut occiderentur, accersiri: idque imperatum ipsis, non sustinuisse tamen exsequi, ne inexpiabile in populares facinus admitterent. Non magis Alexandri saevitiam, quam Bessi parricidium, ferre potuisse.“ Itaque sua sponte iam motos, metu poenae haud difficulter concitaverunt ad arma. 16. Alexander, transfugarum defectione comperta, Craterum obsidere Cyropolim iubet: ipse aliam urbem regionis eiusdem corona capit; signoque, ut puberes interficerentur, dato, reliqui in praedam cessere victoris. Urbs diruta est, ut ceteri cladis eius exemplo continerentur. 17. Memaceni, valida gens, obsidionem non ut honestiorem modo, sed etiam ut tutiorem, ferre decreverant. Ad quorum pertinaciam mitigandam rex L equites praemisit, qui clementiam ipsius in deditos, simulque inexorabilem animum in devictos ostenderent. 18. Illi, nec de fide, nec de potentia regis, ipsos dubitare respondent; equitesque tendere extra munimenta urbis iubent. Hospitaliter deinde exceptos, gravesque epulis et somno, intempesta nocte adorti interfecerunt. 19. Alexander haud secus, quam par erat, motus, urbem corona circumdedit; munitiorem, quam ut primo impetu capi posset. Itaque Meleagrum et Perdiccam in obsidionem iungit, Cyropolim, ut ante dictum est, obsidentes. 20. Statuerat autem parcere urbi conditae a Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus est, quam hunc regem, et Semiramini, quos et magnitudine animi, et claritate rerum longe emicuisse credebat. 21. Ceterum pertinacia oppidanorum eius iram accendit. Itaque captam urbem diripi iussit et deleri. Tum, Memacenis haud iniuria

infestus, ad Meleagrum et Perdiccam redit. 22. Sed non alia urbs fortius obsidionem tulit: quippe et militum promptissimi cecidere; et ipse rex ad ultimum periculum venit: namque cervix eius saxo ita icta est, ut oculis caligine offusa collaberetur, ne mentis quidem compos; exercitus certe velut erepto eo ingenuit. 23. Sed invictus adversus ea, quae ceteros terrent, nondum percurato vulnere, acrius obsidioni institit, naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo suffossa moenia ingens nudavere spatium, per quod irrupit, victorque urbem dirui iussit. 24. Hinc Menedemum cum III millibus peditum et DCCC equitibus ad urbem Maracanda misit. Spitamenes transfuga, praesidio Macedonum inde deiecto, muris urbis eius incluserat se; haud oppidanis consilium defectionis approbantibus. Sequi tamen videbantur, quia prohibere non poterant. 25. Interim Alexander ad Tanaim amnem redit, et quantum soli occupaverant castris, muro circumdedit. LX stadiorum urbis murus fuit: hanc quoque urbem Alexandriam appellari iussit. 26. Opus tanta celeritate perfectum est, ut decimo septimo die, quam munimenta excitata erant, tecta quoque urbis absolverentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, ut suum quisque munus (nam divisum erat) primus ostenderet. 27. Incolae novae urbi dati captivi, quos, reddito pretio dominis, liberavit, quorum posterum nunc quoque nondum apud eos tam longa aetate propter memoriam Alexandri exoleverunt.

VII. At rex Scytharum, cuius tum ultra Tanaim imperium erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse cervicibus, fratrem Cartasim nomine cum magna equitum manu misit ad diruendam eam, proculque amne submovendas Macedonum copias. 2. Bactrianos Tanais ab Scythis, quos Europaeos vocant, dividit. Idem Asiam et Europam finis interfluit. 3. Ceterum

Scytharum gens, haud procul Thracia sita, ab Oriente ad Septemtrionem se vertit, Sarmatarumque, ut quidam credidere, non finitima, sed pars est. 4. Recta deinde regionem aliam ultra Istrum iacentem colit: ultima Asiae, quae Bactra sunt, stringit. Quae septemtrioni propiora sunt, profundae inde silvae vastaeque solitudines excipiunt; rursus quae ad Tainaim et Bactra spectant, humano cultu haud disparia sunt. 5. Primus cum hac gente non provisum bellum Alexander gesturus, quum in conspectu eius obequitaret hostis, adhuc aeger ex vulnere, praecipue voce deficiens, quam et modicus cibus et cervicis extenuabat dolor, amicos in consilium advocari iubet. 6. Terrebat eum non hostis, sed iniquitas temporis. Bactriani defecerant: Scythae etiam lacescebant: ipse non insistere in terra, non equo vehi, non docere, non hortari suos poterat. 7. Ancipiti periculo implicitus, Deos quoque incusans, querebatur, se iacere segnem, cuius velocitatem nemo antea valuisset effugere: vix suos credere non simulari valetudinem. 8. Itaque qui post Darium victum ariolos et vates consulere desierat, rursus ad superstitionem, humanarum mentium ludibria, revolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare eventum rerum sacrificiis iubet. Mos erat aruspibus, exta sine rege spectare, et quae portenderentur, referre. 9. Inter haec rex, dum fibris pecudum explorantur eventus latentium rerum, propius ipsum considerare amicos iubet, ne contentione vocis cicatricem infirmam adhuc rumperet. Hephæstio, Craterus, et Erigyus erant cum custodibus in tabernaculum admissi. 10. *Discrimen, inquit, me occupavit, meliore hostium quam meo tempore. Sed necessitas ante rationem est; maxime in bello, quo raro permittitur tempora eligere.* 11. *Defecere Bactriani, in quorum cervicibus stamus; et quantum in nobis animi sit, alieno Marte experiuntur. Haud dubie, si omiserimus Scythas ultro arma inferen-*

tes, contemti ad illos, qui defecerunt, revertemur. 12. Si vero Tanaim transierimus, et ubique invictos esse nos Scytharum pernicie ac sanguine ostenderimus, quis dubitabit parere etiam Europae victoribus? 13. Fallitur, qui terminos gloriae nostrae metitur spatio, quod transituri sumus. Unus annis interfluit; quem si traicimus, in Europam arma proferimus. 14. Et quanti aestimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe tropaea statuere: et quae tam longo intervallo natura videtur diremisisse, una victoria subito committere? 15. At hercule si paullulum cessaverimus, in tergis nostris Scythae haerebunt. An soli sumus, qui flumina transare possumus? Multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus. 16. Fortuna, belli artem victos quoque docet. Utribus annum traiciendi exemplum fecimus nuper: hoc ut Scythae imitari nesciant, Bactriani docebunt. 17. Praeterea unus gentis huius adhuc exercitus venit, ceteri expectantur. Ita bellum vitando alemus; et quod inferre possumus, accipere cogemur. 18. Manifesta est consilii mei ratio. Sed an permissuri sint mihi Macedones animo uti meo, dubito; quia ex quo hoc vulnus accepi, non equo vectus sum, non pedibus ingressus. 19. Sed si me sequi vultis, valeo, amici. Satis virium est ad toleranda ista: aut si iam adest vitae meae finis, in quo tandem opere melius exstinguar? 20. Haec quassa adhuc voce subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat, quum omnes a tam praecipiti consilio regem deterrere coeperunt: 21. Erigyus maxime, qui haud sane auctoritate proficiens apud obstinatum animum, superstitionem, cuius potens non erat rex, incutere tentavit, dicendo, deos quoque obstare consilio; magnumque periculum, si flumen transisset, ostendi. 22. Intransi Erigyio tabernaculum regis Aristander occurrerat, tristitia exta fuisse significans: haec ex vate comperta Erigyus nuntiabat. 23. Quo inhibito, Alexander, non ira solum, sed etiam pudore confusus, quod su-

perstitio, quam celaverat, detegebatur, Aristandrum vocari iubet. 24. Qui ut venit, intuens eum, *Non rex, inquit, sed privatus sum. Sacrificium ut faceres, mandavi; quid eo portenderetur, cur apud alium, quam apud me, professus es? Erigyus arcana mea et secreta, te prodente, cognovit. Quem certum mehercule habeo, extorum interprete uti metu suo.* 25. *Tibi autem quam potest, denuntio, ipsi mihi indices, quid ex extis cognoveris, ne possis infitiri dixisse, quae dixeris.* 26. Ille exsanguis attonitoque similis stabat, per metum etiam voce suppressa: tandemque eodem metu stimulante, ne regis expectationem moraretur, *Magni, inquit, laboris, non irriti, discrimen instare praedixi: nec me mea ars, quam benevolentia magis perturbat.* 27. *Infirmi- tatem valetudinis tuae video, et quantum in uno te sit scio. Vereor, ne non praesenti fortunae tuae sufficere possis.* 28. Rex iussum confidere felicitati suae remisit. Sibi enim ad alia gloriam concedere Deos. 29. Consultanti deinde cum iisdem, quonam modo flumen transirent? supervenit Aristander, non alias laetiora exta vidisse se affirmans: utique prioribus longe diversa. Tum sollicitudinis causas apparuisse; nunc prorsus egregie litatum esse. 30. Ceterum quae subinde nuntiata sunt regi, continuae felicitati rerum eius imposuerant labem. 31. Menedemum, ut supra dictum est, miserat ad obsidendum Spitamenem, Bactrianae defectionis auctorem. Qui, comperto hostis adventu, ne muris urbis includeretur, simul fretus excipi posse; qua venturum sciebat, consedit occultus. 32. Silvestre iter aptum insidiis tegendis erat: ibi Dahas condidit. Equi binos armatos vehunt, quorum invicem singuli repente desiliunt: equestris pugnae ordinem turbant. 33. Equorum velocitati par est hominum pernecitas. Hos Spitamenes saltum circumire iussos pariter et a lateribus, et a fronte, et a tergo hosti ostendit. 34. Menedemus undique inclusus, ne numero quidem par, diu

tamen restitit, clamitans, nihil aliud superesse locorum fraude deceptis, quam honestae mortis solatium ex hostium caede. 35. Ipsum praevalens equus vehabat, quo saepius in cuneos barbarorum effusis habenis evectus, magna strage eos fuderat. 36. Sed quum unum omnes peterent, multis vulneribus exanguis Hypsidem quendam ex amicis hortatus est, ut in equum suum ascenderet, et se fuga eriperet. Haec agentem anima defecit, corpusque ex equo defluxit in terram. 37. Hypsides poterat quidem effugere; sed amisso amico mori statuit. Una erat cura, ne inultus occideret. Itaque subditis calcaribus equo, in medios hostes se immisit, et memorabili edita pugna, obrutus telis est. 38. Quod ubi videre, qui caedi supererant, tumulum paullo quam cetera editiorem capiunt. Quos Spitamenes fame in deditionem subacturus obsedit. 39. Cecidere eo proelio peditum II millia, CCC equites. Quam cladem Alexander sollerti consilio texit, morte denuntiata iis, qui ex proelio venerant, si acta vulgassent.

VIII. Ceterum quum animo disparem vultum diutius ferre non posset, in tabernaculum, super ripam fluminis de industria locatum, secessit. 2. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit, saepe pellibus tabernaculi adlevatis, ut conspiceret hostium ignes, e quibus coniectare poterat, quanta hominum multitudo esset. 3. Iamque lux apparebat, quum thoracem indutus procedit ad milites, tum primum post vulnus proxime acceptum. 4. Tanta erat apud eos veneratio regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem praesentia eius excuteret. 5. Laeti ergo et manantibus praegaudio lacrimis, consalutant eum; et quod ante recusaverant bellum, feroces deposcunt. 6. Ille se rati- bus equitem phalangemque transportaturum esse pronuntiat; super utres iubet nare levius armatos. 7. Plura nec dici res desideravit, nec rex dicere per

valetudinem potuit. Ceterum tanta alacritate militum rates iunctae sunt, ut in triduum ad XII millia effectae sint. 8. Iamque ad transeundum omnia aptaverant, quum legati Scytharum XX, more gentis per castra equis vecti, nuntiari iubent regi, velle ipsos ad eum mandata perferre. 9. Admissi in tabernaculum, iussique considerare, in vultu regis defixerant oculos; credo quia magnitudine corporis animum aestimantibus modicus, haudquaquam famae par, videbatur. 10. Scythis autem non, ut ceteris barbaris, rudis et inconditus sensus est: quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit semper armata. 11. Sicque locutos esse apud regem memoriae proditum est, abhorrentia forsitan moribus nostris, et tempora et ingenia cultiora sortitis; sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet. Quae utcunque tradita sunt, incorrupta perferemus. 12. Igitur unum ex his maximum natu ita locutum accepimus: *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Et hoc assecutus scire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur.* 13. *Sic quoque concupiscis, quae non capis. Ab Europa petis Asiam; ex Asia transis in Europam: deinde si humanum genus omne superaveris, cum silvis, et nivibus, et fluminibus, ferisque bestiis gesturus es bellum.* 14. *Quid tu? ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas.* 15. *Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido.* 16. *Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desi-*

deramus. 17. *Dona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum boum, aratrum, hasta, sagitta, patera. His utimur et cum amicis, et adversus inimicos.* 18. *Fruges amicis damus, boum labore quaesitas: patera cum iisdem vinum Diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Syriae regem, et postea Persarum, Medorumque superavimus; patuitque nobis iter usque in Aegyptum.* 19. *At tu, qui te gloriaris ad latrones persecuendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti: Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate: Indos petisti: iam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis.* 20. *Quid tibi divitiis opus est, quae te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem; ut, quo plura haberes, acrius, quae non habes, cuperes.* 21. *Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra haereas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare coeperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut maior fortiorque sis quam quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult.* 22. *Transi modo Tanaim: scies, quam late pateant; nunquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui praedam tot nationum vehit. Rursus, quum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate et sequimur et fugimus.* 23. *Scytharum solitudines Graecis etiam proverbiiis audio eludi. At nos deserta et humano cultu vacua, magis quam urbes et opulentos agros sequimur.* 24. *Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens, quam praesens, tempus ostendit melius. Impone felicitati tuae frenos; facilius illam reges.* 25. *Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet; quum manus porrigit, pennas quoque comprehendere non sinit.* 26. *Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es; id quod es, semper*

esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quae tui oblivisceris. 27. *Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia; et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium.* 28. *Quos viceris, amicos tibi esse cave credas. Inter dominum et servum nulla amicitia est. Etiam in pace belli tamen iura servantur.* 29. *Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem, iurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta consignant, et Deos invocant. Nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* 30. *Nec tibi amico opus est, de cuius benevolentia dubites. Ceterum nos et Asiae et Europae custodes habebis: Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus: ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus; Thraciae Macedoniam coniunctam esse fama est. Utrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse, considera.*

IX. Haec barbarus. Contra rex, fortuna sua et consiliis suorum se usurum esse, respondet. Nam et fortunam, cui confidat, et consilium suadentium, ne quid temere et audacter faciat, secuturum. 2. Dimissisque legatis, in praeparatas rates exercitum imposuit. In proris clypeatos locaverat, iussos in genua subsidere, quo tutiores essent adversus ictus sagittarum. 3. Post hos, qui tormenta intenderent, stabant; et ab utroque latere, et a fronte circumdati armatis. Reliqui, qui post tormenta constiterant, remigem lorica indutum scutorum testudine armati protegebant. 4. Idem ordo in illis quoque ratibus, quae equitem vehebant, servatus est. Maior pars a puppe nantes equos loris trahebat. At illos, quos utres stramento repleti vehebant, obiectae ratesuebantur. 5. Ipse rex cum delectis primus ratem solvit, et in ripam dirigi iussit. Cui Scythae admotos ordines equitum in primo ripae margine opponunt, ut ne applicari quidem terrae rates possent. 6. Ce-

terum praeter hanc speciem ripis praesidentis exercitus, ingens navigantes terror invaserat: namque cursum gubernatores, quum obliquo flumine impellerentur, regere non poterant; vacillantesque milites, et ne excuterentur solliciti, nautarum ministeria turbaverant. 7. Nec tela quidem conati nisu vibrare poterant, quum prior standi sine periculo, quam hostem incessendi, cura esset. Tormenta saluti fuerunt, quibus in confertos ac temere se offerentes, haud frustra excussa sunt tela. 8. Barbari quoque ingentem vim sagittarum infudere ratibus: vixque ullum fuit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforaretur. 9. Iamque terrae rates applicabantur, quum acies clypeata consurgit, et hastas certo ictu, utpote libero nixu, mittit e ratibus. Et ut territores recipientesque equos videre, alacres mutua adhortatione in terram desiliere. 10. Turbatis acriter pedem inferre coeperunt. Equitum deinde turmae, quae frenatos habebant equos, perfregere barbarorum aciem. Interim ceteri, agmine dimicantium tecti, aptavere se pugnae. 11. Ipse rex, quod vigoris aegro adhuc corpori deerat, animi firmitate supplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cervicis; sed dimicantem cuncti videbant. 12. Itaque ipsi quidem ducum fungebantur officio; aliusque alium adhortati, in hostem salutis immemores ruere coeperunt. 13. Tum vero non ora, non arma, non clamorem hostium barbari tolerare potuerunt; omnesque effusis habenis (namque equestris acies erat) capessunt fugam. Quos rex, quamquam vexationem invalidi corporis pati non poterat, per LXXX tamen stadia insequi perseveravit. 14. Iamque linquente animo suis praecepit, ut, donec lucis aliquid superesset, fugientium tergis inhaerent: ipse, exhaustis etiam animi viribus, in castra se recepit, reliquum substitit. 15. Transierant iam Liberi patris terminos; quorum monumenta lapi-

des erant crebris intervallis dispositi, arboresque procerae, quarum stipites hedera contexerat. 16. Sed Macedonas ira longius provexit: quippe media fere nocte in castra redierunt, multis interfectis, pluribus captis, equosque MDCCC abegere. Ceciderunt autem Macedonum equites LX, pedites C fere, mille saucii fuerunt. 17. Haec expeditio deficientem magna ex parte Asiam fama tam opportuna victoriae domuit. Invictos Scythas esse crediderant; quibus fractis nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur. Itaque Sacae misere legatos, qui pollicerentur, gentem imperata facturam. 18. Moverat eos regis non virtus magis, quam clementia in devictos Scythas: quippe captivos omnes sine pretio remiserat, ut fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de ira, fuisse certamen. 19. Benigne igitur exceptis Sacarum legatis, comitem Excipinum dedit, admodum iuvenem aetatis flore conciliatum sibi; qui quum specie corporis aequaret Hephaestionem, lepore haud sane illi par erat. 20. Ipse, Cratero cum maiore parte exercitus modicis itineribus sequi iusso, ad Maracanda urbem pervenit; ex qua Spitamenes, cognito eius adventu, Bactra perfugerat. 21. Itaque quatrinduo rex longum itineris spatium emensus, pervenerat in eum locum, in quo, Menedemo duce, II millia peditum, et CCC equites amiserat. Horum ossa tumulo contegi iussit, et inferias more patrio dedit. 22. Iam Craterus, cum phalange subsequi iussus, ad regem pervenerat. Itaque ut omnes, qui defecerant, pariter belli clade premerentur, copias dividit; urique agros et interfici puberes iussit.

X. Sogdiana regio maiori ex parte deserta est: octingenta fere stadia in latitudinem vastae solitudines tenent. 2. Ingens spatium rectae regionis est, per quam amnis (Polytmetum vocant incolae) fertur torrens. Eum ripae in tenuem alveum cogunt; dein-

de caverna accipit, et sub terram rapit. 3. Cursus absconditi indicium est aquae meantis sonus; quum ipsum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore. 4. Ex captivis Sogdianorum ad regem XXX nobilissimi, corporum robore exinio, perducti erant: qui ut per interpretem cognoverunt, iussu regis ipsos ad supplicium trahi, carmen laetantium more canere, tripudiisque et lasciviori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare coeperunt. 5. Admiratus rex, tanta magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos iussit, causam tam effusae laetitiae, quum supplicium ante oculos haberent, requirens. 6. Illi, si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse respondent; nunc a tanto rege, victore omnium gentium, maioribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expeterent, carminibus sui moris laetitiaeque celebrare. 7. Tum rex, *quaero itaque*, inquit, *an vivere velitis non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis?* 8. Illi, nunquam se inimicos ei, sed bello laccessitos, hostes fuisse respondent. Si quis ipsos beneficio, quam iniuria, experiri maluisset, certaturos fuisse, ne vincerentur officio. 9. Interroganti-que, quo pignore fidem obligaturi essent? vitam, quam acciperent, pignore futuram esse dixerunt: reddituros, quandoque repetisset. Nec promissum fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, in fide continuere populares: quatuor, inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem caritate cesserunt. 10. In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neque enim maiori praesidio indigebat) relicto, Bactra pervenit. Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dario poenas capite persolaturum. 11. Iisdem fere diebus Ptolemaeus et Menidas peditum tria millia, et equites mille adduxerunt mercede militaturos. 12. Alexander quoque ex Lycia cum pari numero peditum et D equitibus

venit. Totidem e Syria Asclepiodorum sequebantur: Antipater Graecorum VIII millia, in quibus Equites erant, miserat. 13. Itaque exercitu aucto, ad ea quae defectione turbata erant, componenda processit; interfectisque consternationis auctoribus, quarto die ad flumen Oxum perventum est. Hic, quia limum vehit, turbidus semper et insalubris est potu. Itaque puteos miles coeperat fodere. 14. Nec tamen humo alte egesta exsistebat humor; quum in ipso tabernaculo regis conspectus est fons, quem quia tarde notaverant, subito exstitisse finxerunt. Rexque ipse credi voluit, deorum donum id fuisse. 15. Superatis deinde annibus Ocho et Oxo, ad urbem Marginiam pervenit. Circa eam VI oppidis condendis electa sedes est. Duo ad meridiem versa, quatuor spectantia Orientem, modicis inter se spatiis distabant, ne procul repetendum esset mutuum auxilium. 16. Haec omnia sita sunt in editis collibus: tum velut freni domitarum gentium; nunc originis suae oblita serviunt, quibus imperaverunt.

XI. Et cetera quidem pacaverat rex. Una erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum XXX millibus armatorum obtinebat, alimentis ante congestis, quae tantae multitudini vel per biennium suppeterent. 2. Petra in altitudinem XXX eminent stadia, circuitu C et L complectitur. Undique abscissa et abrupta, semita perangusta aditur. 3. In medio altitudinis spatium habet specum, cuius os arctum et obscurum est: paullatim deinde ulteriora panduntur; ultima etiam altos recessus habent. Fontes per totum fere specum manant; e quibus collatae aquae per prona montis flumen emittunt. 4. Rex, loci difficultate spectata, statuerat inde abire: cupido deinde incessit animo, naturam quoque fatigandi. 5. Prius tamen quam fortunam obsidionis experiretur, Copen (Artabazi hic filius erat) misit ad barbaros, qui suaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus superbe multa

respondit. Ad ultimum, an Alexander volare possit, interrogat. 6. Quae nuntiata regi, sic accendere animum, ut adhibitis, cum quibus consultare erat solitus, indicaret insolentiam barbari, eludentis ipsos, quia pinnas non haberent. Se autem proxima nocte effecturum, ut crederet Macedones etiam volare. 7. *Trecentos, inquit, perniciosissimos iuvenes ex suis quisque copiis perducite ad me, qui per calles et paene invias rupes domi pecora agere consueverint.* 8. Illi praestantes et levitate corporum et ardore animorum strenue adducunt: quos intuens rex, *Vobiscum, inquit, o iuvenes et mei aequales, urbium invictarum ante munimenta superavi: montium iuga perenni nive obruta emensus sum: angustias Ciliciae intravi: Indiae sine lassitudine vim frigoris sum perpessus. Et mei documenta vobis dedi, et vestra habeo.* 9. *Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obsident, cetera negligunt: nullae vigiliae sunt, nisi quae castra nostra spectant.* 10. *Invenietis viam, si sollerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quae ceteri desperaverunt, Asiam habemus in potestate.* 11. *Evadite in cacumen: quod quum ceperitis, candidis velis signum mihi dabit. Ego copiis admotis hostem in nos a vobis convertam.* 12. *Praemium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta X: uno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines servabitur portio. Certum autem habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.* 13. His animis regem audierunt, ut iam cepisse verticem viderentur. Dimissique, ferreos cuneos, quos inter saxa defigerent, validosque funes parabant. 14. Rex circumvectus petram, qua minime asper ac praeruptus aditus videbatur, secunda vigilia (quod bene verteret) ingredi iubet. Illi, alimentis in biduum sumtis, gladiis modo atque hastis armati, subire coeperunt. 15. Ac primo pedibus in-

gressi sunt: deinde, ut in praerupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi levavere semet; alii adiectis funium laqueis evasere, quum cuneos inter saxa defigerent, quis gradus subinde insisterent. Diem inter metum laboremque consumserunt. 16. Per aspera enixis duriora restabant, et crescere altitudo petrae videbatur. Illa vero miserabilis erat facies, quum ii, quos instabilis gradus fefellerat, ex praecipiti devolverentur. Mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. 17. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati laboris affecti; quidam multati parte membrorum; pariterque eos et nox et somnus oppressit. 18. Stratis passim corporibus in inviis et in asperis saxorum, periculi instantis obliti in lucem quieverunt: tandemque velut ex alto sopore excitati, occultas subiectasque ipsis valles rimantes, ignari in qua parte petrae tanta vis hostium condita esset, fumum specus infra se ipsos evolutum notaverunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram esse. 19. Itaque hastis imposuere, quod convenerat signum: totoque e numero duos et XXX in ascensu interiisse cognoscunt. 20. Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit. Noctum demum, quum obscuritas conspectum oculorum admississet, ad curandum corpus recessit. 21. Postero die nondum satis clara luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies, dubitare cogebat varietas coeli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito. Verum ut liquidior lux apparuit coelo, dubitatio exemta est; 22. vocatumque Cophen, per quem barbarorum animos tentaverat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent. Sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo iussit, qui ceperant verticem.

23. Cophes admissus suadere coepit Arimazi petram tradere, gratiam regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione haerere non coëgisset. Ille, ferocius superbisque quam antea locutus, abire Cophen iubet. 24. At is prehensum manu barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat: quo impetrato, iuvenes in cacumine ostendit, eiusque superbiae haud immerito illudens, pinnas ait habere milites Alexandri. 25. Iamque e Macedonum castris signorum concentus et totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraque belli vana et inania, barbaros ad deditioem traxit. Quippe occupati metu, paucitatem eorum, qui a tergo erant, aestimare non poterant. 26. Itaque Cophen (nam trepidantes reliquerat) strenue revocant; et cum eo XXX principes mittunt, qui petram tradant, et ut incolumibus abire liceat, paciscantur. 27. Ille, quamquam vererbatur, ne inspecta iuvenum paucitate deturbarent eos barbari; tamen et fortunae suae confisus, et Arimazi superbiae infensus, nullam se conditionem deditioem accipere respondit. 28. Arimazes, desperatis magis quam perditis rebus, cum propinquis nobilissimisque gentis suae descendit in castra: quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petrae crucibus iussit affigi. 29. Multitudo deditioem incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est: Artabazus in petrae regionisque, quae apposita esset ei, tutela relictus.

Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER VIII.

ARGUMENTUM.

1. Massagetae, Dahae et Sogdiani subacti. Scythae sui regis filiam Alexandro coniugem offerunt. Rex, leone interfecto et quatuor millibus ferarum in venatione deiectis, Clitum in convivio liberius loquentem hasta transigit. 2. Alexandri poenitentia: quam sequuntur bellicae expeditiones adversus Bactrianos transfugas et Sysimithren. Philippi item, strenuissimi iuvenis, et Erigyii, clarissimi ducis, obitus. 3. Spitamenis uxorem, interfecti mariti caput afferentem, Alexander castris excedere iubet: provincias quasdam a praefectorum suorum iniuriis vindicat. 4. Frigoris nimia vi paene opprimitur exercitus Gabazam aditurus. Alexandri constantia, et erga gregarium militem humanitas, eiusdemque cum Roxane matrimonium. 5. Cogitatione in bellum Indicum conversa, adulatorum fraude nimia superbia elatus Alexander, Iovis filius vult salu-

tari: quod Callisthenes gravi oratione improbat. 6. Ex ignominia Hermolao nobili puero illata nascitur in caput Alexandri coniuratio. Qua detecta, inter auctores sceleris innocens Callisthenes coniiicitur. 7. Hermolai, Callisthenem iustum esse asseverantis, adversus crudelem Alexandri superbiam invectiva. 8. Alexandri ad Hermolai invectivam responsio: coniuratorum item, atque innocentis Callisthenis supplicium. 9. Indi, Gangis, Dyardenis, Indiae, eius incolarum, luxu diffluentium regum, ac sapientum, luculenta descriptio. 10. Varios Indiae populos mira felicitate, non tamen sine sanguine, Alexander subigit. 11. Aornus petra et arx inaccessa ab Alexandro oppugnatur, et ab obsessis relicta capitur. 12. Omphis, rex potentissimus, se regnumque suum Alexandro permittit. A quo in integrum restituitur: unde mutua dona regia. 13. Porum regem, Omphis suasu, Alexander ancipiti quidem et ab initio periculosissimo aggreditur bello. 14. Indorum et Macedonum insignis et cruenta pugna: Pori captivi magnanimitas, et Alexandri clementia.

I. Alexander maiore fama, quam gloria, in ditionem redacta petra, quum propter vagum hostem spargendae manus essent, in tres partes divisit exercitum. Hephaestionem uni, Coenon alteri duces dederat: ipse ceteris praeerat. 2. Sed non eadem mens omnibus barbaris fuit. Armis quidam subacti; plures ante certamen imperata fecerunt: quibus eorum, qui in defectione perseveraverant, urbes agrosque iussit attribui. 3. At exsules Bactriani cum DCCC equitibus Massagetarum proximos vicos vastaverunt. Ad quos coercendos Attinas, regionis eius praefectus, CCC equites, insidiarum, quae parabantur, ignarus, eduxit. 4. Namque hostis in silvis, quae erant forte campo iunctae, armatum militem condidit; paucis propellentibus pecora, ut improvidum ad insidias praeda perduceret. 5. Itaque in composito agmine, solutisque ordinibus, Attinas praedabundus

sequebatur; quem praetergressum silvam, qui in ea conserant, ex improvise adorti, cum omnibus interemerunt. 6. Celeriter ad Craterum huius cladis fama perlata est; qui cum omni equitatu supervenit. Et Massagetae quidem iam refugerant; Dahae mille oppressi sunt: quorum clade totius regionis finita defectio est. 7. Alexander quoque, Sogdianis rursus subactis, Maracanda repetit. Ibi Berdes, quem ad Scythas super Bosphorum colentes miserat, cum legatis gentis occurrit. 8. Phrataphernes quoque, qui Chorasmiis praeerat, Massagetis et Dahis regionum confinio adiunctus, miserat, qui facturum imperata pollicerentur. 9. Scythae petebant, ut regis sui filiam matrimonio sibi iungeret. Si dedignaretur affinitatem, principes Macedonum cum primoribus suae gentis connubio coire pateretur. Ipsum quoque regem venturum ad eum pollicebantur. 10. Utraque legatione benigne audita, Hephaestionem et Artabazum opperiens, stativa habuit: quibus adiunctis, in regionem, quae appellatur Bazaira, pervenit. 11. Barbarae opulentiae in illis locis haud ulla sunt maiora indicia, quam magnis nemoribus saltibusque nobilium ferarum greges clausi. 12. Spatiosas ad hoc eligunt silvas, crebris perennium aquarum fontibus amoenas. Muris nemora cinguntur, turresque habent venantium receptacula. 13. Quatuor continuis aetatibus intactum saltum fuisse constabat. Quem Alexander cum toto exercitu ingressus agitari undique feras iussit. 14. Inter quas cum leo magnitudinis rarae ipsum regem invasurus incurreret; forte Lysimachus, qui postea regnavit, proximus Alexandro, venabulum obicere ferae coeperat. Quo rex repulso, et abire iusso, adiecit, tam a semet uno, quam a Lysimacho, leonem interfici posse. 15. Lysimachus enim quondam, quum venaretur in Syria, occiderat eximiae magnitudinis feram solus: sed laevo humero usque ad ossa laceratus ad ultimum peri-

culi pervenerat. 16. Id ipsum exprobrans ei rex, fortius, quam locutus est, fecit. Nam feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit. 17. Fabulam, quae obiectum leoni a rege Lysimachum temere vulgavit, ab eo casu, quem supra diximus, ortam esse crediderim. 18. Ceterum Macedones, quamquam prospero eventu defunctus erat Alexander, tamen scivere gentis suae more, ne pedes venaretur, aut sine delectis principum amicorumque. 19. Ille, IV millibus ferarum deiectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est. Inde Maracanda reditum est: acceptaque aetatis excusatione ab Artabazo, provinciam eius destinat Clito. 20. Hic erat, qui apud Granicum annem nudo capite regem dimicantem clypeo suo textit, et Rhoesacis manum capiti regis imminentem gladio amputavit: vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus. 21. Hellanice, quae Alexandrum educaverat, soror eius, haud secus quam mater a rege diligebatur. Ob has causas validissimam imperii partem fidei eius tutelaeque commisit. 22. Iamque iter parare in posterum iussum, sollemni et tempestivo adhibetur convivio. In quo rex quum multo incaluisset mero, immodicus aestimator sui, celebrare, quae gesserat, coepit; gravis etiam eorum auribus, qui sentiebant vera memorari. 23. Silentium tamen habuere seniores, donec Philippi res orsus obterere, nobilem apud Chaeroneam victoriam sui operis fuisse iactavit; adentamque sibi malignitate et invidia patris tantae rei gloriam. 24. Illum quidem, seditione inter Macedones milites et Graecos mercenarios orta, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse, non alias quam simulatione mortis tutiorem: se corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos. 25. Quae patrem nunquam aequo animo esse confessum, invitum filio debentem salutem suam. Itaque post expeditionem, quam sine eo fecisset ipse

in Illyrios, victorem scripsisse se patri, fusos fugatosque hostes: nec adfuisse unquam Philippum. 26. Laude dignos esse, non qui Samothracum initia viderent, quum Asiam uri vastarique oporteret; sed eos, qui magnitudine rerum fidem antecessissent. 27. Haec et his similia laeti audiere iuvenes: ingrata senioribus erant, maxime propter Philippum, sub quo diutius vixerant. 28. Tum Clitus, ne ipse quidem satis sobrius, ad eos, qui infra ipsum cubabant, conversus, Euripidis retulit carmen, ita ut sonus magis, quam sermo exaudiri posset a rege: 29. quo significabatur, male instituisse Graecos, quod tropaeis regum dumtaxat nomina inscriberent: alieno enim sanguine partam gloriam intercipi. Itaque rex, quum suspicaretur malignius habitum esse sermonem, percontari proximos coepit, quid ex Clito audissent. 30. Et illis ad silentium obstinatis, Clitus paullatim maiore voce Philippi acta bellaque in Graecia gesta commemorat, omnia praesentibus praeferens. 31. Hinc inter iuniores senesque orta contentio est. Et rex, velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem iram conceperat. 32. Ceterum quum animo videretur imperaturus, si finem procaciter orto sermoni Clitus imponeret, nihil eo remittente magis exasperabatur. 33. Iamque Clitus etiam Parmenionem defendere audebat, et Philippi de Atheniensibus victoriam Thebarum praeferebat excidio; non viro modo, sed etiam animi prava contentione proventus. 34. Ad ultimum, *Si moriendum, inquit, est pro te, Clitus est primus: at quum victoriae arbitrium agis, praecipuum ferunt praemium, qui procacissime patris tui memoriae illudunt.* 35. *Sogdianam regionem mihi attribuis, toties rebellem, et non modo indomitam, sed quae ne subigi quidem possit. Mittor ad feras bestias, praecipitia ingenia sortitas.* 36. *Sed quae ad me pertinent transeo: Philippi milites spernis, oblitus, nisi hic Atharrias senex iuniores pugnam de-*

trectantes revocasset, adhuc nos circa Halicarnassum haesuros fuisse. 37. Quomodo igitur Asiam etiam cum istis iunioribus subiecisti? Verum est, ut opinor, quod avunculum tuum in Italia dixisse constat, ipsum in viros incidisse, te in feminas. 38. Nihil ex omnibus inconsulte ac temere iactis regem magis moverat, quam Parmenionis cum honore mentio illata. Dolorem tamen rex pressit, contentus iussisse ut convivio excederet. 39. Nec quidquam aliud adiecit, quam: forsitan eum, si diutius locutus foret, exprobraturum sibi fuisse vitam a semetipso datam: hoc enim superbe saepe iactasse. 40. Atque illum cunctantem adhuc surgere, qui proximi ei cubuerant, iniectis manibus iurgantes monentesque conabantur abducere. 41. Clitus quum abstraheretur, ad pristinam violentiam ira quoque adiecta, suo pectore tergum illius asse defensum; nunc postquam tanti meriti praeterierit tempus, etiam memoriam invisam esse proclamavit. 42. Attali quoque caedem obiiciebat; et ad ultimum Iovis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se regi, quam patrem eius, respondisse dicebat. 43. Iam tantum irae conceperat rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Enimvero olim mero sensibus victis, ex lecto repente prosiluit. 44. Attoniti amici ne positis quidem, sed abiectis poculis, consurgunt, in eventum rei, quam tanto impetu acturus esset, intenti. 45. Alexander rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguae intemperantia furentem percutere conatus, a Ptolemaeo et Perdicca inhibetur. 46. Medium complexi et obluctari perseverantem morabantur: Lysimachus et Leonnatus etiam lanceam abstulerant. 47. Ille militum fidem implorans, comprehendi se a proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat; signumque tuba dari, ut ad regiam armati coirent, iubet. 48. Tum vero Ptolemaeus et Perdicas genibus advoluti orant, ne in tam praecipiti

ira perseveret, spatiumque potius animo det. Omnia postero die iustius executurum. 49. Sed clausae erant aures, obstrepente ira. Itaque impotens animi percurrit in regiae vestibulum, et vigili excubanti hasta ablata constitit in aditu, quo necesse erat iis, qui simul coenaverant, egredi. 50. Abierant ceteri. Clitus ultimus sine lumine exhibat. Quem rex, quisnam esset? interrogat. Eminebat etiam in voce sceleris, quod parabat, atrocitas. 51. Et ille iam non suae, sed regis irae memor, Clitum esse, et de convivio exire respondit. 52. Haec dicentis latus hasta transfixit: morientisque sanguine aspersus, *I nunc*, inquit, *ad Philippum et Parmenionem et Attalum.*

II. Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Quippe rex, postquam ira mente decesserat, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspexit. 2. Videbat tunc immodica libertate abusum, sed alioqui egregium bello virum, et, nisi erubesceret fateri, servatorem sui, occisum. Detestabile carnificis ministerium occupaverat rex; verborum licentiam, quae vino poterat imputari, nefanda caede ultus. 3. Manabat toto vestibulo cruor paulo ante convivae: vigiles attoniti et stupentibus similes procul stabant, liberiolemque poenitentiam solitudo exciebat. 4. Ergo hastam ex corpore iacentis evulsam retorsit in semet: iamque admoverat pectori, quum advolant vigiles, et repugnanti e manibus extorquent, allevatumque in tabernaculum deferunt. 5. Ille humi prostraverat corpus, gemitu eiulatuque miserabili totam personans regiam. Laniare deinde os unguibus, et circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur. 6. Inter has preces tota nox extracta est. Scrutantemque, num ira Deorum ad tantum nefas actus esset, subit anniversarium sacrificium Libero Patri non esse redditum statuto tempore. Itaque inter vinum et epulas

caede commissa, iram Dei fuisse manifestam. 7. Ceterum magis eo movebatur, quod omnium amicorum animos videbat attonitos: neminem cum ipso sociare sermonem postea ausurum. Vivendum esse in solitudine velut ferae bestiae, terrenti alias, alias timenti. 8. Prima deinde luce tabernaculo corpus, sicut adhuc cruentum erat, iussit inferri. Quo posito ante ipsum, lacrimis obortis, *Hanc, inquit, nutrici meae gratiam retuli, cuius duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem: hic frater, unicum orbitatis solatium, a me inter epulas occisus est.* 9. Quo nunc se conferet misera? Omnibus eius unus supersum, quem solum aequis oculis videre non poterit. *Et ego servatorum meorum latro, revertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici sine memoria calamitatis eius offerre possim?* 10. Et quum finis lacrimis querelisque non fieret, iussu amicorum corpus ablatum est. Rex triduum iacuit inclusus. 11. Quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognoverunt, universi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus ipsorum reluctatum aegre vicerunt, ut cibum caperet. 12. Quoque minus caedis puderet, iure interfectum Clitum Macedones decernunt, sepultura quoque prohibitori, ni rex humari iussisset. 13. Igitur decem diebus maxime ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumtis, cum parte exercitus Hephaestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hiemem paraturum. 14. Quam Clito autem destinaverat provinciam, Amyntae dedit. Ipse Xenippa pervenit. Scythiae confinis est regio, habitaturque pluribus ac frequentibus vicis, quia ubertas terrae non indigenas modo detinet, sed etiam advenas invitat. 15. Bactrianorum exsulum, qui ab Alexandro defecerant, receptaculum fuerat. Sed postquam regem adventare compertum est; pulsi ab incolis II millia fere et quingenti congregantur. 16. Omnes equites erant, etiam in pace latrocinii

assueti. Tum ferocia ingenia non bellum modo, sed etiam veniae desperatio, efferaverat. Itaque ex improviso adorti Amyntam, praetorem Alexandri, diu anceps proelium fecerant. 17. At ultimum, DCC suorum amissis, quorum CCC hostis cepit, dedere terga victoribus; haud sane inulti; quippe LXXX Macedonum interfecerunt, praeterque eos CCC et L saucii facti sunt. 18. Veniam tamen etiam post alteram defectionem impetraverunt. 19. His in fidem acceptis, in regionem, quam Nautaca appellant, rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Sysimithres, duobus ex sua matre filiis genitis: quippe apud eos parentibus stupro coire cum liberis fas est. 20. Is, armatis popularibus, fauces regionis, qua in arctissimum cogitur, valido munimento sepserat. Praeterfluebat torrens amnis; a tergo petra claudebat: hanc manu perviam incolae fecerant. 21. Sed aditus specus accipit lucem; interiora, nisi illato lumine, obscura sunt. Perpetuus cuniculus iter praebet in campos, ignotum, nisi indigenis. 22. At Alexander, quamquam angustias naturali situ munitas valida manu barbari tuebantur, tamen arietibus admotis munimenta, quae manu adiuncta erant, concussit, fundisque et sagittis propugnantium plerosque deiecit: quos ubi dispersos fugavit, ruinas munimentorum supergressus, ad petram admovit exercitum. 23. Ceterum interveniebat fluvius, coeuntibus aquis ex superiore fastigio in vallem; magnique operis videbatur, tam vastam voraginem explere. Caedi tamen arbores et saxa congeri iussit. 24. Ingensque barbaros pavor rudes ad talia opera concusserat, excitatam molem subito cernentes. 25. Itaque rex, ad deditioem metu posse compelli ratus, Oxarten misit nationis eiusdem, sed ditionis suae, qui suaderet duci, ut traderet petram. 26. Interim ad augendam formidinem et turre admovebantur, et excussa tormentis tela micabant. Itaque verticem petrae, omni

alio praesidio damnato, petiverunt. 27. At Oxartes trepidum diffidentemque rebus suis Sysmithrem coepit hortari, ut fidem, quam vim, Macedonum mallet experiri; neu moraretur festinationem victoris exercitus, in Indiam tendentis: cui quisquis semet offerret, in suum caput alienam cladem esse versurum. 28. Et ipse quidem Sysmithres deditionem annuebat: ceterum mater eademque coniux morituram se ante denuntians, quam in ullius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora quam tutiora converterat: pudebatque, libertatis maius esse apud feminas, quam apud viros, pretium. 29. Itaque dimisso internuntio pacis, obsidionem ferre decreverat. Sed quum hostis vires suasque pensaret, rursus mulieris consilii, quod praeceps magis quam necessarium esse credebat, poenitere eum coepit. 30. Revocatoque strenue Oxarte, futurum se in regis potestate respondit; unum precatus, ne voluntatem et consilium matris suae proderet, quo facilius venia illi quoque impetraretur. 31. Praemissum igitur Oxartem cum matre liberisque et totius cognationis grege sequebatur, ne expectato quidem fidei pignore, quod Oxartes promiserat. 32. Rex, equite praemisso, qui reverti eos iuberet, opperiri que praesentiam ipsius, supervenit; et victimis Minervae ac Victoriae caesis imperium Sysmithri restituit, spe maioris etiam provinciae facta, si cum fide amicitiam ipsius coluisset. 33. Duos illi iuvenes patre tradente, secum militaturos sequi iussit. Relicta deinde phalange ad subigendos, qui defecerant, cum equite processit. 34. Arduum et impeditum saxis iter primo utcunque tolerabant. Mox equorum non unguis modo attritis, sed corporibus etiam fatigatis, sequi plerique non poterant, et rarius subinde agmen fiebat, pudorem, ut fere fit, immodico labore vincente. 35. Rex tamen, subinde equos mutans, sine intermissione fugientes insequabatur. Nobiles iuvenes, comitari

eum soliti, defecerant, praeter Philippum. Lysimachi erat frater, tum primum adultus, et, quod facile appareret, indolis rarae. 36. Is pedes, incredibile dictu, per D stadia vectum regem comitatus est; saepe equum suum offerente Lysimacho, nec tamen ut digrederetur a rege effici potuit, quum lorica indutus arma gestaret. 37. Idem, quum perventum esset in saltum, in quo se barbari abdiderant, nobilem edidit pugnam; regemque cominus cum hoste dimicantem protexit. 38. Sed postquam barbari in fugam effusi deseruere silvas, animus, qui in ardore pugnae corpus sustentaverat, liquit; subitoque ex omnibus membris profuso sudore, arboris proximae stipiti se applicuit. 39. Deinde ne illo quidem adminiculo sustinente, manibus regis exceptus est, inter quas collapsus exstinguitur. 40. Moestum regem alius haud levis dolor exceptit. Erigyius inter claros duces fuerat; quem exstinctum esse paulo antequam revertetur in castra, cognovit. Utriusque funus omni apparatu atque honore celebratum est.

III. Dahas deinde statuerat petere: ibi namque Spitamenem esse cognoverat. Sed hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia, fortuna, indulgendo ei nunquam fatigata, pro absente transegit. 2. Spitamenes uxoris immodico amore flagrabat; quam, aegre fugam et nova subinde exsilia tolerantem, in omne discrimen comitem trahebat. Illa malis fatigata identidem muliebres adhibere blanditias, ut tandem fugam sisteret, victorisque Alexandri clementiam expertus, placaret quem effugere non posset. 3. Tres adulti erant liberi ex eo geniti: quos quum pectori patris admovisset, ut saltem eorum misereri vellet, orabat; et quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander. 4. Ille, se prodi, non moneri ratus, et formae profecto fiducia cupere eam quam primum dedi Alexandro, acinacem strinxit, percussurus uxorem, nisi prohibitus esset fratrum eius oc-

cursum. 5. Ceterum abire e conspectu iubet, addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset: et ad desiderium levandum noctes inter pellices agere coepit. 6. Sed penitus haerens amor, fastidio praesentium accensus est. Itaque rursus uni ei deditus, orare non destitit, ut tali consilio abstineret, patereturque sortem, quamcunque eis fortuna fecisset. Sibi mortem deditioe esse leviolem. 7. At illa purgare se, quod quae utilia esse censebat, muliebriter forsitan, sed fida tamen mente, suasisset: de cetero futuram in viri potestate. 8. Spitamenes, simulato captus obsequio, de die convivium apparari iubet; vinoque et epulis gravis, semisomnus in cubiculum fertur. 9. Quem ut alto et gravi somno sopitum esse sensit uxor, gladium, quem veste occultaverat, stringit, caputque eius abscisum, cruore respersa, servo suo conscio facinoris tradit. 10. Eodem comitante, sicut erat, cruenta veste in Macedonum castra pervenit, nuntiarique Alexandro iubet, esse, quae ex ipsa deberet cognoscere. 11. Ille protinus barbaram iussit admitti. Quam ut adpersam cruore conspexit; ratus ad deplorandam contumeliam venisse, dicere quae vellet, iubet. 12. At illa servum, quem stare in vestibulo iusserat, introduci desideravit. Qui quia caput Spitamenis veste tectum habebat, suspectus scrutantibus, quid occuleret, ostendit. 13. Confuderat oris exsanguis notas pallor, nec quis esset, nosci satis poterat. Ergo rex certior factus humanum caput afferre eum, tabernaculo excessit, percontatusque quid rei sit, illo profitente cognoscit. 14. Variarum hinc cogitationes invicem animum diversa agitantem commoverant. Meritum ingens in semet esse credebatur, quod transfuga et proditor, tantis rebus, si vixisset, iniecturus moram, interfectus esset: contra facinus ingens aversabatur, quum optime meritum de ipsa, communium parentem liberum, per insidias interemisisset. 15. Vicit tamen gratiam meriti sceleris

atrocitas, denuntiarique iussit, ut excederet castris, neu licentiae barbarae exemplar in Graecorum mores et mitia ingenia transferret. 16. Dahae, Spitamenis caede comperta, Dataphernem, defectionis eius participem, vinctum Alexandro seque dedunt. Ille, maxima praesentium curarum parte liberatus, convertit animum ad vindicandas iniurias eorum, quibus a praetoribus suis avare ac superbe imperabatur. 17. Ergo Phratapherni Hyrcaniam et Mardos cum Tapyris tradidit, mandavitque, ut Phradatem, cui succedebat, ad se in custodiam mitteret. Arsani, Drangarum praefecto, substitutus est Stasanor. Arsaces in Mediam missus, ut Oxydates inde discederet. Babylonia, demortuo Mazaeo, Stameni subiecta est.

IV. His compositis, tertio mense ex hibernis movit exercitum, regionem, quae Gabaza appellatur, aditurus. 2. Primus dies quietum iter praebuit: proximus ei nondum quidem procellosus et tristis, obscurior tamen pristino, non sine minis crescentis mali praeteriit. 3. Tertio ab omni parte coeli emicare fulgura, et nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, sed etiam animos, terrere coeperunt. 4. Erat prope continuus coeli fragor, et passim cadentium fulminum species visabatur: attonitisque auribus stupens agmen, nec progredi nec consistere audebat. 5. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. Ac primo quidem armis suis tecti exceperant: sed iam nec retinere arma lubricae et rigentes manus poterant; nec ipsi destinare, in quam regionem obverterent corpora, quum undique tempestatis violentia maior, quam vitabatur, occurreret. 6. Ergo ordinibus solutis per totum saltum errabundum agmen ferebatur; multique, prius metu, quam labore, defatigati, prostraverant humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu adstrinxerat. 7. Alii se stipitibus arborum admoverant. Id plurimis et ad-

miniculum et suffugium erat. 8. Nec fallebat ipsos, morti locum eligere, quum immobiles vitalis calor linqueret: sed grata erat pigritia corporum fatigatis; nec recusabant exstingui quiescendo: quippe non vehemens modo, sed etiam pertinax, vis mali insistebat; lucemque, naturale solatium, praeter tempestatem haud disparem nocti, silvarum quoque umbra suppresserat. 9. Rex, unus tanti mali patiens, circumire milites, contrahere dispersos, allevare prostratos, ostendere procul evolutum ex tuguriis fumum, hortarique ut proxima quaeque suffugia occuparent. 10. Nec ulla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescerent. 11. Ceterum efficacior in adversis necessitas, quam ratio, frigoris remedium invenit. Dolabris enim silvas sternere aggressi, passim acervos struesque accenderunt. 12. Continenti incendio ardere crederes saltum, et vix inter flammam agminibus relictum locum. Hic calor stupentia membra commovit, paullatimque spiritus, quem continuerat rigor, meare libere coepit. 13. Excepere alios tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita necessitas investigaverat: alios castra, quae in humido quidem, sed iam coeli mitescente saevitia, locaverunt. Mille militum atque lixarum caloremque pestis illa consumpsit. 14. Memoriae proditum est, quosdam applicatos arborum truncis, et non solum viventibus, sed et inter se colloquantibus similes, esse conspectos; durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. 15. Forte Macedo gregarius miles seque et arma sustentans, tandem in castra pervenerat. Quo viso, rex, quamquam ipse tum maxime admoto igne refovebat artus, ex sella sua exsiluit, torpentemque militem, et vix compotem mentis, dentis armis in sua sede iussit considerare. 16. Ille diu, nec ubi requiesceret, nec a quo esset exceptus, agnovit. Tandem recepto calo-

re vitali, ut regiam sedem regemque vidit, territus surgit. 17. Quem intuens Alexander, *ecquid intelligis, miles, inquit, quanto meliore sorte, quam Persae, sub rege vivatis? Illis enim in sella regis consedissee capital foret; tibi saluti fuit.* 18. Postero die convocatis amicis copiarumque ducibus, pronuntiari iussit, ipsum omnia, quae amissa essent, redditurum. Et promisso fides exstitit. 19. Nam Sysmithres multa iumenta, et camelorum duo millia adduxit, pecoraeque et armenta: quae distributa pariter militem et damno et fame liberaverunt. 20. Rex, gratiam sibi relatam a Sysmithre praefatus, sex dierum cocta cibaria ferre milites iussit, Sagos petens. Totam hanc regionem depopulatus, XXX millia pecorum ex praeda Sysmithri dono dat. 21. Inde pervenit in regionem, cui Oxyartes, satrapes nobilis, praerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius, quam ut duo ex tribus filiis secum militarent, exegit. 22. Satrapes etiam eum, qui penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbara opulentia convivium, quo regem accipiebat, instruxerat. 23. Id quum multa comitate celebraret, introduci XXX nobiles virgines iussit. Inter quas erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis specie et decore habitus in barbaris raro. 24. Quae quamquam inter electas processerat, omnium tamen oculos convertit in se; maxime regis, minus iam cupiditatibus suis imperantis inter obsequia fortunae, contra quam non satis cauta mortalitas est. 25. Itaque ille, qui uxorem Darii, qui duas filias virgines, quibus forma praeter Roxanem comparari nulla poterat, haud alio animo, quam parentis, adspexerat, tunc in amorem virgunculae, si regiae stirpi compararetur, ignobilis, ita effusus est, ut diceret, „ad stabiliendum regnum pertinere, Persas et Macedones connubio iungi: hoc uno modo et pudorem victis, et superbiam victoribus detrahi posse. 26. Achillem quoque, a quo genus ipse

deduceret, cum captiva coisse: ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonii iure velle iungi.“ 27. In sperato gaudio laetus pater sermonem eius excipit: et rex in medio cupiditatis ardore iussit afferri patrio more panem: (hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntium pignus) quem divisum gladio, uterque libabat. 28. Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco et parabili victu ostendere voluisse iungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. 29. Hoc modo rex Asiae et Europae introductam inter convivales ludos matrimonio sibi adiunxit, e captiva geniturus, qui victoribus imperaret. 30. Pudebat amicos, super vinum et epulas socerum ex deditis esse delectum: sed post Cliti caedem libertate sublata, vultu, qui maxime servit, assentiebantur.

V. Ceterum Indiam, et inde Oceanum petiturus, ne quid a tergo, quod destinata impedire posset, moveretur, ex omnibus provinciis XXX millia iuniorum legi iussit, et ad se armata perduci, obsides simul habiturus, et milites. 2. Craterum ad persequendos Haustanem et Catenem, qui ab ipso defecerant, misit: quorum Haustanes captus est, Catenes in proelio occisus. Polypercon quoque regionem, quae Bubacene appellatur, in ditionem redegit. 3. Itaque omnibus compositis, cogitationes in bellum Indicum vertit. Dives regio habebatur non auro modo, sed gemmis quoque margaritisque, ad luxum magis quam ad magnificentiam exulta. 4. Periti militares auro et ebore fulgere dicebant: itaque, necubi vinceretur, quum ceteris praestaret, scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornavit. CXX millia armatorum erant, quae regem ad id bellum sequebantur. 5. Iamque omnibus praeparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc esse maturum ratus, quonam modo coelestes honores usurparet, coepit agitare. Iovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat,

tanquam perinde animis imperare posset, ac linguis: 6. itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti perniciose adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes saepius assentatio, quam hostis, evertit. 7. Nec Macedonum haec erat culpa; nemo enim illorum quidquam ex patrio more labare sustinuit; sed Graecorum, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. 8. Agis quidam Argivus, pessimorum carminum post Choerilum conditor, et ex Sicilia Cleo: hic quidem, non ingenii solum, sed etiam nationis vitio, adulator; et cetera urbium suarum purgamenta, quae propinquis etiam maximorumque exercituum ducibus a rege praeferebantur: hi tum coelum illi aperiebant, Herculemque et Patrem Liberum, et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse iactabant. 9. Igitur festo die omni opulentia convivium exornari iubet, cui non Macedones modo et Graeci principes amicorum, sed etiam [barbari] nobiles adhiberentur. Cum quibus quum discubisset rex, paullisper epulatus convivio egreditur. 10. Cleo, sicut praeparaverat, sermonem cum admiratione laudum eius instituit. Merita deinde percensuit, quibus uno modo referri gratia posset, „si, quem intelligerent Deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi. 11. Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter, reges suos inter Deos colere: maiestatem enim imperii salutis esse tutelam. Ne Herculem quidem et Patrem Liberum prius dicatos Deos, quam vicissent secum viventium invidiam. Tantundem quoque posteros credere, quantum praesens aetas spondisset. 12. Quodsi ceteri dubitent, semetipsum, quum rex inisset convivium, prostratum humi corpus. Debere idem facere ceteros, et imprimis sapientia praeditos. Ab illis enim cultus in regem esse prodendum exemplum.“ 13. Haud per-

plexe in Callisthenem dirigebatur oratio. Gravitas viri et prompta libertas invisæ erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur. 14. Is tum, silentio facto, unum illum intuentibus ceteris, *Si rex, inquit, sermoni tuo affuisset, nullius profecto vox responsuri tibi desideraretur: ipse enim peteret, ne in peregrinos externosque ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissime gestis invidiam tali adulatione contraheres.* 15. *Sed quoniam abest, ego tibi pro illo respondeo: Nullum esse eundem et diuturnum et præcocem fructum; coelestesque honores non dare te regi, sed auferre. Intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posterì reddunt.* 16. *Ego autem seram immortalitatem precor regi, ut et vita diuturna sit, et æterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur, divinitas.* 17. *Herculem modo et Patrem Liberum consecratae immortalitatis exempla referebas. Credisne illos unius convivii decreto deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in coelum fama perveheret.* 18. *Scilicet ego et tu, Cleo, deos facimus? a nobis divinitatis suae auctoritatem accepturus est rex? Potentiam tuam experiri libet. Fac aliquem regem, si deum potes facere. Facilius est imperium dare, quam coelum.* 19. *Dii propitii sine invidia, quæ Cleo dixit, audierint, eodemque cursu, quo fluxere adhuc res, ire patientur. Nostris moribus velint nos esse contentos. Non pudet patriæ, nec desidero, ad quem modum rex mihi colendus sit, a victis discere. Quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, quis vivamus, accipimus.* 20. *Aequis auribus Callisthenes veluti vindex publicæ libertatis audiebatur. Expresserat non assensionem modo, sed etiam vocem, seniorum præcipue, quibus gravis erat inveterati moris externa mutatio.* 21. *Nec quidquam eorum, quæ invicem iactata erant, rex ignorabat, quum post aulaea, quæ lectis obduxerat, staret. Igitur ad*

Agin et Cleonem misit, ut sermone finito barbaros tantum, quum intrasset, procumbere suo more paterentur: et paullo post, quasi potiora quaedam egisset, convivium repetit. 22. Quem venerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat super regem, unum ex his mento contingentem humum, per ludibrium coepit hortari, ut vehementius id quateret ad terram; elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. 23. Itaque rex, *Tu autem, inquit, non veneraberis me? An tibi uni digni videmur esse ludibrio?* Ille nec regem ludibrio, nec se contemtu dignum esse respondit. 24. Tum detractum eum lecto rex praecipitat in terram. Et quum is pronus corruisset: *Videsne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paullo ante ridebas?* Et tradi eo in custodiam iusso, convivium solvit.

VI. Polyperconti quidem postea, castigato diu, ignovit: in Callisthenem, olim contumaciae suspectum, pervicacioris irae fuit; cuius explendae matura obvenit occasio. 2. Mos erat, ut supra dictum est, principibus Macedonum, adultos liberos regibus tradere, ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. 3. Excubabant, servatis noctium vicibus, proximi foribus eius aedis, in qua rex adqueescebat. Per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obsidebant. 4. Idem acceptos ab agasonibus equos, quum rex ascensurus esset, admovebant; comitabanturque et venantem, et in proeliis; omnibus artibus studiorum liberalium exculti. 5. Praecipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum rege. Castigandi eos verberibus nullius potestas, praeter ipsum, erat. 6. Haec cohors velut seminarium ducum praefectorumque apud Macedonas fuit. Hinc habuere posteri reges, quorum stirpibus post multas aetates Romani opes ademerunt. 7. Igitur Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte, quum aprum telo occupasset, quem rex fe-

rire destinaverat, iussu eius verberibus affectus est. Quam ignominiam aegre ferens, deflere apud Sostratum coepit. 8. Ex eadem cohorte erat Sostratus, amore eius ardens. Qui quum laceratum corpus, in quo deperibat, intueretur, forsitan olim ob aliam quoque causam regi infestus, iuvenem sua sponte iam motum, data fide acceptaque perpulit, ut occidendi regem consilium secum iniret. 9. Nec puerili impetu rem exsecuti sunt: quippe sollerter legerunt, quos in societatem sceleris adsciscerent, Nicostratum, Antipatrum Asclepiodorumque; placuit et Philotam assumi. Per hos adiecti sunt Anticles, Elaptonius, et Epimenes. 10. Ceterum agenda rei haud sane facilis patebat via. Opus erat eadem omnes coniuratos nocte excubare, ne ab expertibus consilii impedirentur; forte autem alius alia nocte excubabat. 11. Itaque in permutandis stationum vicibus, ceteroque apparatu exsequendae rei, triginta et duo dies absumti sunt. 12. Aderat nox, qua coniurati excubare debebant, mutua fide laeti, cuius documentum tot dies fuerant. Neminem metus spesve mutaverat: tanta omnibus vel in regem ira, vel fides inter ipsos fuit. 13. Stabant igitur ad fores aedis eius, in qua rex vescebatur, ut convivio egressum in cubiculum deducerent. 14. Sed fortuna ipsius, simulque epulantium comitas, provexit omnes ad largius vinum; ludi etiam convivales extraxere tempus, nunc laetantibus coniuratis, quod sopitum aggressuri essent, nunc sollicitis, ne in lucem convivium extraheretur. 15. Quippe alios in stationem oportebat prima luce succedere; ipsorum post septimum diem reditura vice. Nec sperare poterant, in illud tempus omnibus duraturam fidem. 16. Ceterum quum iam lux appeteret, et convivium solvitur, et coniurati exceperunt regem, laeti occasionem exsequendi sceleris admotam; quum mulier attonitae, ut creditum est, mentis, conversari in regia solita, quia instinctu vi-

debatur futura praedicere, non occurrit modo abeunti, sed etiam semet obiecit; vultuque et oculis motum praeferens animi, ut rediret in convivium movit: 17. et ille per ludum, bene Deos suadere, respondit; revocatisque amicis in horam diei ferme secundam convivii tempus extraxit. 18. Iam alii ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubituri; adhuc tamen coniurati stabant, vice officii sui expleta: adeo pertinax spes est humanae mentis, quam ingentes concupiscentiae devotaverunt. 19. Rex benignius quam alias allocutus, discedere eos ad curanda corpora, quoniam tota nocte perstitissent, iubet. Data singulis quinquaginta sestertia, collaudatque, quod etiam aliis tradita vice, tamen excubare perseverassent. 20. Illi, tanta spe destituti, domos abeunt. Et ceteri quidem exspectabant stationis suae noctem: Epimenes, sive comitate regis, qua ipsum inter coniuratos exceperat, repente mutatus, sive quia coeptis deos obstare credebat, fratri suo Eurylocho, quem antea expertem esse consilii voluerat, quid pararetur, aperit. 21. Omnibus Philotae supplicium in oculis erat. Itaque protinus iniicit fratri manum, et in regiam pervenit; excitatisque custodibus corporis, ad salutem regis pertinere, quae afferret, affirmat. 22. Et tempus, quo venerant, et vultus haud sane securi animi index, et moestitia e duobus alterius, Ptolemaeum ac Leonnatum excubantes ad cubiculi limen excitaverunt. Itaque apertis foribus, et lumine illato, sopitum mero ac somno excitant regem. Ille paullatim mente collecta, quid afferrent, interrogat. 23. Nec cunctatus Eurylochus, non ex toto domum suam aversari deos dixit, quia frater ipsius, quamquam impium facinus ausus foret, tamen et poenitentiam eius ageret, et per se potissimum profiteretur indicium. In eam ipsam noctem, quae decederet, insidias comparatas fuisse; auctores scelesti consilii esse, quos minime crederet rex. 24.

Tum Epimenes cuncta ordine, consciorumque nomina exponit. Callisthenem non ut participem facinoris nominatum esse constabat; sed solitum puerorum sermonibus vituperantium criminantiumque regem faciles aures praeberere. 25. Quidam adiiciunt, quum Hermolaus apud eum quoque verberatum se a rege quereretur, dixisse Callisthenem: meminisse debere, eos iam viros esse. Idque an ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandum iuvenum dolorem, dictum esset, in ambiguo fuisse. 26. Rex, animi corporisque sopore discusso, quum tanti periculi, quod evaserat, imago oculis oberraret, Eurylochum L talentis et cuiusdam Tyridatis opulenti bonis protinus donat; fratremque, antequam pro salute eius precaretur, restituit. 27. Sceleris autem auctores, interque eos Callisthenem, vinctos asservari iubet: quibus in regiam adductis, toto die et nocte proxima, mero ac vigiliis gravis, adquievit. 28. Postero autem frequens consilium adhibuit, cui patres propinquire eorum, de quibus agebatur, intererant, ne de sua quidem salute securi: quippe Macedonum more perire debebant, omnium devotis capitibus, qui sanguine contigissent eos. 29. Rex introduci coniuratos praeter Callisthenem iussit: atque quae agitaverant, sine cunctatione confessi sunt. 30. Increpantibus deinde universis eos; ipse rex, quo suo merito tantum in semet cogitassent facinus? interrogat.

VII. Stupentibus ceteris, Hermolaus, *Nos vero, inquit, (quoniam, quas nescias, quaeris) occidendi te consilium inivimus, quia non ut ingenuis imperare coepisti, sed quasi in mancipia dominaris.* 2. Primus ex orantibus pater ipsius, Sopolis, parricidam etiam parentis sui clamitans esse, consurgit, et ad os manu obiecta, scelere et malis insanientem ultra negat audiendum. 3. Rex, inhibito patre, dicere Hermolaum iubet, quae ex magistro didicisset Callisthene. Et Hermolaus, *Utor, inquit, beneficio tuo, et dico, quae nostris malis*

didici. 4. Quota pars Macedonum saevitiae tuae superest? quotusquisque non e vilissimo sanguine? Attalus, et Philotas, et Parmenio, et Lyncestes Alexander, et Clitus, quantum ad hostes pertinet, vivunt, stant in acie, te clypeis suis protegunt, et pro gloria tua, pro victoria, vulnera accipiunt: quibus tu egregiam gratiam retulisti. 5. Alius mensam tuam sanguine suo adpersit: alius ne simplici quidem morte defunctus est. Duces exercituum tuorum in equuleum impositi, Persis, quos vicerant, fuere spectaculo. Parmenio indicta causa trucidatus est, per quem Attalum occideras. 6. Invicem enim miserorum uteris manibus ad expetenda supplicia: et quos paullo ante ministros caedis habuisti, subito ab aliis iubes trucidari. 7. Obstrepunt subinde cuncti Hermolao. Pater supremum strinxerat ferrum, percussurus haud dubie, ni inhibitus esset a rege; quippe Hermolaum dicere iussit, petiitque, ut causas supplicii augentem patienter audirent. 8. Aegre ergo coërcitis, rursus Hermolaus: Quam liberaliter, inquit, pueris rudibus ad dicendum agere permittis! at Callisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. 9. Cur enim non producitur, quum etiam confessi audiuntur? Nempe liberam vocem innocentis audire metuis, ac ne vultum quidem pateris. 10. Atqui nihil eum fecisse contendo. Sunt hic, qui mecum rem pulcherrimam cogitaverunt: nemo est, qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat, quum morti olim destinatus sit a iustissimo et patientissimo rege. 11. Haec ergo sunt Macedonum praemia, quorum ut supervacuo et sordido abuteris sanguine. At tibi XXX millia mulorum captivum aurum vehunt, quum milites nihil domum praeter gratuitas cicatrices relaturi sint. 12. Quae tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, et novo more victores sub iugum miteres. Persarum te vestis et disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum, regem occidere voluimus; et te, transfugam, belli iure

persequimur. 13. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum: tu Philippum patrem aversaris, et si quis Deorum ante Iovem haberetur, fastidires etiam Iovem. 14. Miraris, si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te, quibus aut insontibus moriendum est, aut, quod tristius morte est, in servitute vivendum? 15. Tu quidem, si emendari potes, multum mihi debes. Ex me enim scire coepisti, quid ingenui homines ferre non possent. De cetero parce, quorum orbam senectutem suppliciiis ne oneraveris. Nos iube duci, ut, quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.

VIII. Haec Hermolaus. At rex: *Quam falsa sint, inquit, quae iste tradita a magistro suo dixit, patientia mea ostendit. 2. Confessum enim ultimum facinus, tamen ut vos quoque, non solum ipse, audiretis, expressi, non imprudens, quum permisisset huic latroni dicere, usurum eum rabie, qua compulsus est, ut me, quem parentis loco colere deberet, vellet occidere. 3. Nuper quum procacius se in venatione gessisset, more patrio et ab antiquissimis Macedoniae regibus usurpato eum castigari iussi. Hoc et oportet fieri, et, ut a tutoribus pupilli, a maritis uxores, servis quoque pueros huius aetatis verberare concedimus. 4. Haec est saevitia in ipsum mea, quam impia caede voluit ulcisci. Nam in ceteros, qui mihi permittunt uti ingenio meo, quam mitis sim, non ignoratis, et commemorare supervacuum est. 5. Hermolao parricidarum supplicia non probari, quum eadem ipse meruerit, minime hercule admiror. Nam quum Parmenionem et Philotam laudat, suae servit causae. 6. Lyncesten vero Alexandrum bis insidiatum capiti meo a duobus iudiciis liberavi: rursus convictum, per biennium tamen distuli; donec vos postularetis, ut tandem debito supplicio scelus lueret. 7. Atalum, antequam rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clitus utinam non coëgisset me sibi irasci; cuius temerariam linguam, probra dicentem mihi et vo-*

bis, diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tulisset. 8. *Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia: ubi vero reverentia excessit animis et summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus.* 9. *Sed quid ego mirer, istum crudelitatem mihi obiecisse, qui avaritiam exprobrare ausus sit? Nolo singulos vestrum excitare, ne invisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro gravem fecero. Totum exercitum adspicite: qui paullo ante nihil praeter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis; mensas auro onerant; greges servorum ducunt; spolia de hostibus sustinere non possunt.* 10. *At enim Persae, quos vicimus, in magna honore sunt apud me! Equidem moderationis meae certissimum indicium est, quod ne victis quidem superbe impero. Veni enim in Asiam, non ut funditus everterem gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem facerem; sed ut illos quoque, quos bello subegissem, victoriae meae non poeniteret.* 11. *Itaque militant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbe habiti rebellassent. Non est diuturna possessio, in quam gladio inducimur: beneficiorum gratia sempiterna est.* 12. *Si habere Asiam, non transire, volumus, cum his communicanda est nostra clementia: horum fides stabile et aeternum faciet imperium. Etsane plus habemus, quam capimus. Insatiabilis autem avaritiae est, adhuc implere velle, quod iam circumfluit.* 13. *Veruntamen eorum mores in Macedonas transfundo! In multis enim gentibus esse video, quae non erubescamus imitari: nec aliter tantum imperium apte regi potest, quam ut quaedam et tradamus illis, et ab iisdem discamus.* 14. *Illud paene dignum risu fuit, quod Hermolaus postulabat a me, ut aversarer Iovem, cuius oraculo agnoscor. An etiam, quid Dii respondeant, in mea potestate est? Obtulit nomen filii mihi: recipere, ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinam Indi quoque Deum*

esse me credant! Fama enim bella constant; et saepe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit. 16. *An me luxuriae indulgentem putatis arma vestra auro argentoque adornasse? Adsuetis nihil vilius hac videre materia volui ostendere, Macedonas invictos ceteris nec auro quidem vinci.* 17. *Oculos ergo primum eorum sordida omnia et humilia spectantium capiam, et docebo, nos non auri aut argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venire. Quam gloriam tu, parricida, intercipere voluisti, et Macedonas, rege adempto, devictis gentibus dedere.* 18. *At nunc mones me, ut vestris parentibus parcam! Non oportebat quidem vos scire, quid de his statuisssem, quo tristiores periretis, si qua vobis parentum memoria et cura est. Sed olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parentesque solvi; et profiteor, in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt.* 19. *Nam tuum Callisthenem, cui uni vir videris, quia latro es, scio, cur produci velis: ut coram his probra, quae modo in me iecisti, modo audisti, illius quoque ore referantur. Quem, si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum; nunc Olynthio non idem iuris est.* 20. *Post haec consilium dimisit, tradique damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, iussit. Illi, ut fidem suam saevitia regi approbarent, excruciatos necaverunt.* 21. *Callisthenes quoque tortus interiit, initi consilii in caput regis innoxius; sed haudquaquam aulae et assentantium accommodatus ingenio.* 22. *Itaque nullius caedes maiorem apud Graecos Alexandro excitavit invidiam, quod praeditum optimis moribus artibusque, a quo revocatus ad vitam erat, quum interfecto Clito mori perseveraret, non tantum occiderit, sed etiam torserit, indicta quidem causa.* 23. *Quam crudelitatem sera poenitentia consecuta est.*

IX. *Sed ne otium serendis rumoribus natum ale-ret, in Indiam movit; semper bello, quam post victo-*

riam, clarior. 2. India tota ferme spectat Orientem, minus in latitudinem, quam recta regione spatiosa. 3. Quae Austrum accipiunt, in altius terrae fastigium excedunt; plana sunt cetera, multisque inclitis annibus, Caucasio monte ortis, placidum per campos iter praebent. 4. Indus gelidior est, quam ceteri. Aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes. 5. Ganges, omnium ab ortu maximus, ad meridianam regionem decurrit, et magnorum montium iuga recto alveo stringit. 6. Inde eum obiectae rupes inclinant ad Orientem. Utque Rubro mari accipitur, findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exsorbet. 7. Saxis quoque impeditus, crebro reverberatur. Ubi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Acesines eum auget. 8. Ganges decursurum in mare intercipit; magnoque motu amnis uterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti obiicit; nec repercussae aquae cedunt. 9. Dyardenes minus celebris auditu est, quia per ultima Indiae currit: ceterum non crocodilos modo, uti Nilus, sed etiam delphinos ignotasque aliis gentibus belluas alit. 10. Erymanthus, crebris flexibus subinde curvatus, ab accolis rignantibus carpitur. Ea causa est, cur tenues reliquias iam sine nomine in mare emittat. 11. Multis praeter hos annibus tota regio dividitur, sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt. 12. Ceterum quae propiora sunt mari, aquilones maxime deurrunt: ii cohibiti iugis montium, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mitia. 13. Sed adeo in illa plaga mundus stas temporum vices mutat, ut, quum alia fervore solis exaestuant, Indiam nives obruant: rursusque ubi cetera rigent, illic intolerandus aestus existat. Nec, cur, ulli se naturae causa ingressit. 14. Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege inditum est nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt. 15. Terra lini ferax; inde plerisque sunt vestes. Libri arbo-

rum teneri, haud secus quam chartae, literarum notas capiunt. 16. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata ceteris gentibus, nisi invecta. 17. Eadem terra et rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum maior est vis, quam quos in Africa domitant; et viribus magnitudo respondet. 18. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. 19. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit. Neque alia illis maior opulentiae causa est; utique, postquam vitiorum commercium vulgavere in exteris gentes: quippe aestimantur purgamenta aestuantis freti pretio, quod libido constituit. 20. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoquesitus format. 21. Corpora usque pedes carbaso velant: soleis pedes, capita linteis vinciunt. Lapilli ex auribus pendent; brachia quoque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. 22. Capillum pectunt saepius, quam tondent. Mentum semper intonsum est; reliquam oris cutem ad speciem laevitatis exaequant. 23. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, supra omnium gentium [vitia] est. Quum rex se in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. 24. Aurea lectica, margaritis circumpendentibus, recubat: distincta sunt auro et purpura carbasa, quae indutus est: lecticam sequuntur armati corporisque custodes: 25. inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt. 26. Regia auratas columnas habet: totas eas vitis auro caelata percurrit, aviumque, quarum visu maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. 27. Regia adeuntibus patet, quum capillum pectit atque ornat. Tunc responsa legationibus, tunc iura popularibus reddit. Dentis soleis, odoribus illinuntur pedes. 28. Venatus maximus labor est, in-

clusa vivario animalia inter vota cantusque pellicum figere. Binum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt maiore nixu, quam effectu; quippe telum, cuius in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. 29. Breviora itinera equo conficit: longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum; et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pellicum longus ordo sequitur: separatam a reginae ordine agmen est, aequatque luxuriâ. 30. Feminae epulas parant. Ab iisdem vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus est usus. Regem mero somnoque sopitum in cubiculum pellices referunt, patrio carmine noctium invocantes deos. 31. Quis credat inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste et horridum genus est, quos Sapientes vocant. 32. Apud hos occupare fati diem pulchrum; et vivos se cremari iubent, quibus aut segnâ aetas, aut incommoda valetudo est: exspectatam mortem pro dedecore vitae habent. Nec ullus corporibus, quae senectus solvit, honos redditur: inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. 33. Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur, et futura praedicere. Nec quemquam admovere leti diem credunt, cui exspectare interrito liceat. 34. Deos putant, quidquid colere coeperunt: arbores maxime, quas violare capital est. 35. Menses in quinos denos descripserunt dies. Anni plena spatia servant. 36. Lunae cursu notant tempora, non ut plerique, quum orbem sidus implevit; sed quum se curvare coepit in cornua. Et idcirco breviores habent menses, qui spatium eorum ad hunc lunae modum dirigunt. 37. Multa et alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud sane operae pretium videbatur.

X. Igitur Alexandro fines Indiae ingresso gentium suarum reguli occurrerunt, imperata facturi; il-

lum tertium Iove genitum ad ipsos pervenisse memorantes: Patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse; ipsum coram adesse cernique. 2. Rex benigne exceptos sequi iussit, iisdem itinerum ducibus usus. Ceterum quum amplius nemo occurreret, Hephaestionem et Perdiccam cum copiarum parte praemisit ad subigendos, qui aversarentur imperium: iussitque ad flumen Indum procedere, et navigia facere, quis in ulteriora transportari posset exercitus. 3. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naves, ut solutae plaustris vehi possent, rursusque coniungi. 4. Post se Cratero cum phalange iusso sequi, equitatum ac levem armaturam eduxit; eosque, qui occurrerant, levi proelio in urbem proximam compulit. 5. Iam supervenerat Craterus. Itaque ut principio terrorem incuteret genti nondum arma Macedonum expertae, praecipit ne cui parceretur, munimentis urbis, quam obsidebat, incensis. 6. Ceterum dum obequitat moenibus, sagitta ictus, cepit tamen oppidum; et, omnibus incolis eius trucidatis, etiam in tecta saevitum est. 7. Inde domita ignobili gente, ad Nysam urbem pervenit. Forte castris ante ipsa moenia in silvestri loco positis, nocturnum frigus, vehementius quam alias, horrore corpora affecit, opportunumque remedium ignis oblatum est. 8. Caesis quippe silvis flammam excitaverunt: quae, igni alito, oppidanorum sepulcra comprehendit. Vetusta cedro facta erant, conceptumque ignem late fudere; donec omnia solo aequata sunt. 9. Et ex urbe primum canum latratus, deinde etiam hominum fremitus auditus est. Tum et oppidani hostem, et Macedones ipsos ad urbem, venisse cognoscunt. 10. Iamque rex eduxerat copias, et moenia obsidebat; quum hostium, qui discrimen tentaverant, obruti telis sunt. Aliis ergo deditionem, aliis pugnam experiri placebat: quorum dubitatione comperta, circumsideri tantum eos, et abstineri cae-

dibus iussit. 11. Tandemque obsidionis malis fatigati dedidere se. A Libero Patre conditos se esse dicebant; et vera haec origo erat. 12. Sita est sub radicibus montis, quem Mieron incolae appellant. Inde Graeci mentiendi traxere licentiam, Iovis femine Liberum Patrem esse celatum. 13. Rex, situ montis cognito ex incolis, cum toto exercitu, praemissis com meatibus, verticem eius ascendit. Multa hedera vitisque toto gignitur monte; multae perennes aquae manant. 14. Pomorum quoque varii salubresque succi sunt, sua sponte fortuitorum seminum fruges humo nutriente. Lauri baccharisque et multa in illis rupibus agrestis est silva. 15. Credo equidem, non divino instinctu, sed lascivia esse proVectos, ut passim hederæ ac vitium folia decerperent, redimitique fronde toto nemore similes Bacchantibus vagarentur. 16. Vocibus ergo tot milium, praesidem nemoris eius Deum adorantium, iuga montis collesque resonabant; quum orta licentia a paucis, ut fere fit, in omnes se repente vulgasset. 17. Quippe velut in media pace, per herbas congestamque frondem prostraverant corpora. Et rex, fortuitam laetitiam non aversatus, large ad epulas omnibus praebitis, per decem dies Libero Patri operatum habuit exercitum. 18. Quis neget, eximiam quoque gloriam saepius fortunæ, quam virtutis, esse beneficium? quippe ne epulantes quidem et sopitos mero aggredi ausus est hostis, haud secus Bacchantium ululantiumque fremitu perterritus, quam si proeliantium clamor esset auditus. Eadem felicitas ab Oceano revertentes temulentos comessantesque [inter ora hostium] protexit. 19. Hinc ad regionem, quæ Daedala vocatur, perventum est. Deseruerant incolae sedes, et in avios silvestresque montes confugerant. Ergo Acadira transit, aequæ vasta et destituta incolentium fuga. 20. Itaque rationem belli necessitas mutavit. Divisis enim copiis, pluribus si-

mul locis arma ostendit; oppressique ubi non exspectaverant hostem, omni clade perdomiti sunt. 21. Ptolemaeus plurimas urbes, Alexander maximas cepit: rursusque, quas distribuerat, copias iunxit. 22. Superato deinde Choaspe amne, Coenon in obsidione urbis opulentae, (Beiram incolae vocant,) reliquit. Ipse ad Mazagas venit. Nuper Assacano, cuius regnum fuerat, demortuo, regioni urbique praeerat mater eius Cleophis. 23. Triginta millia peditum tuebantur urbem, non situ solum, sed etiam opere munitam. Nam qua spectat orientem, cingitur amne torrenti, qui praeruptis utrimque ripis aditum ad urbem impedit. 24. Ad occidentem et a meridie velut de industria rupes praealtas admolita natura est, infra quas cavernae et voragines longa vetustate in altum cavatae iacent: quaque desinunt, fossa ingentis operis obiecta est. 25. XXXV stadiûm murus urbem complectitur, cuius inferiora saxo, superiora crudo latere, sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere, ut duriori materiae fragilis incumberet, simulque terra humore diluta. 26. Ne tamen universa consideret, impositae erant trabes validae, quibus iniecta tabulata muros et tegebant, et pervios fecerant. 27. Haec munimenta contemplantem Alexandrum, consiliiue incertum, quia nec cavernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admovere, quidam e muro sagitta percussit. 28. Tum forte in suram incidit telum: cuius spiculo evulso, admoveri equum iussit; quo vectus ne obligato quidem vulnere, haud segnius destinata exsequebatur. 29. Ceterum quum crus saucium penderet, et cruore siccato frigescens vulnus aggravaret dolorem, dixisse fertur: se quidem Iovis filium dici, sed corporis aegri vitia sentire. 30. Non tamen ante se recepit in castra, quam cuncta perspexit, et quae fieri vellet, edixit. Ergo, sicut imperatum erat, alii extra urbem tecta demoliebantur, ingentemque

vim materiae faciendo aggeri detrahebant: alii magnarum arborum stipites [cumulis] ac moles saxorum in cavernas deiiciebant. 31. Iamque agger aequaverat summae fastigium terrae: itaque turres erigebantur, quae opera ingenti militum ardore intra nonum diem absoluta sunt. Ad ea visenda rex nondum obducta vulneri cicatrice processit; laudatisque militibus, admoveri machinas iussit: e quibus ingens vis telorum in propugnatores effusa est. 32. Praecipue rudes talium operum terrebant mobiles turres, tantasque moles, nulla ope, quae cerneretur, adductas, deorum numine agi credebant. Pila quoque muralia, et excussas tormentis praegraves hastas negabant convenire mortalibus. 33. Itaque desperata urbis tutela, concessere in arcem. Inde, quia nihil obsessis praeter deditionem placebat, legati ad regem descenderunt, veniam petaturi. 34. Qua impetrata, regina cum magno nobilium feminarum grege, aureis pateris vina libantium, processit. 35. Ipsa, genibus regis parvo filio admoto, non veniam modo, sed etiam pristinae fortunae impetravit decus: quippe appellata regina est; et credidere quidam, plus formae, quam miserationi, datum. 36. Puero quoque certe, postea ex ea utcunque genito, Alexandro fuit nomen.

XI. Hinc Polypercon ad urbem Noram cum exercitu missus, inconditos oppidanos proelio vicit: intra munimenta compulsos secutus, urbem in ditionem redegit. 2. Multa ignobilia oppida deserta a suis venire in regis potestatem. Quorum incolae armati petram Aornin nomine occupaverunt. Hanc ab Hercule frustra obsessam esse, terraeque motu coactum absistere, fama vulgaverat. 3. Inopem consilii Alexandrum, quia undique praeceps et abrupta rupes erat, senior quidam peritus locorum cum duobus filiis adit, si pretium operi esset, aditum se monstraturum esse promittens. 4. LXXX talenta constituit

daturum Alexander; et altero ex iuvenibus obside retento, ipsum ad exsequenda, quae obtulerat, dimisit. 5. Leviter armatis dux datus est Mullinus, scriba regis. Hos enim circumitu, qui fallerent hostem, in summum iugum placebat evadere. 6. Petra non, ut pleraeque, modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit; sed in metae maxime modum erecta est, cuius ima spatiosiora sunt, altiora in arctius coeunt, summa in acutum cacumen exsurgunt. 7. Radices eius Indus amnis subit, praealtus utrimque asperis ripis: ab altera parte voragines eluviesque praeruptae sunt. Nec alia expugnandi patebat via, quam ut replerentur. 8. Ad manum silva erat, quam rex ita caedi iussit, ut nudi stipites iacerentur: quippe rami fronde vestiti impedissent ferentes. Ipse primus truncam arborem iecit; clamorque exercitus, index alacritatis, secutus est, nullo detrectante munus, quod rex occupasset. 9. Intra septimum diem cavernas expleverant; quum rex sagittarios et Agrianos iubet per ardua niti. Iuvenesque promptissimos ex sua cohorte XXX delegit. 10. Duces his dati sunt Charus et Alexander; quem rex nominis, quod sibi cum eo commune esset, admonuit. Ac primo, quia tam manifestum periculum erat, ipsum regem discrimen subire non placuit: 11. sed ut signum tuba datum est, vir audaciae promptae conversus ad corporis custodes sequi se iubet, primusque invadit in rupem. Nec deinde quisquam Macedonum substitit; relictisque stationibus sua sponte regem sequebantur. 12. Multorum miserabilis fuit casus, quos ex praerupta rupe lapsos amnis praeterfluens hausit; triste spectaculum etiam non periclitantibus: quum vero alieno exitio, quid ipsis timendum foret, admonerentur, in metum misericordia versa, non extinctos, sed semetipsos deflebant. 13. Et iam eo perventum erat, unde sine pernicie, nisi victores, redire non possent, ingentia saxa in subeuntes provolventi-

bus barbaris, quis perculsi instabili et lubrico gradu praecipites recidebant. 14. Evaserant tamen Alexander et Charus, quos cum XXX delectis praemiserat rex, et iam pugnare cominus coeperant: sed quum superne tela barbari ingererent, saepius ipsi feriebantur, quam vulnerabant. 15. Ergo Alexander, et nominis sui et promissi memor, dum acrius quam cautius dimicat, confossus undique obruitur. 16. Quem ut Charus iacentem conspexit, ruere in hostem, omnium praeter ultionem immemor, coepit; multosque hasta, quosdam gladio interemit. Sed quum tot unum incesserent manus, super amici corpus procubuit exanimis. 17. Haud secus, quam par erat, promptissimorum iuvenum ceterorumque militum interitu commotus rex, signum receptui dedit. 18. Saluti fuit, quod sensim et intrepidi se receperunt; et barbari, hostem depulisse contenti, non insistere cedentibus. 19. Ceterum Alexander quum statuisset desistere incepto, (quippe nulla spes potiundae petrae offerebatur;) tamen speciem ostendit in obsidione perseverantis. Nam et itinera obsideri iussit, et turres admoveri, et fatigatis alios succedere. 20. Cuius pertinacia cognita, Indi per biduum quidem ac duas noctes, cum ostentatione non fiducia modo, sed etiam victoriae, epulati sunt, tympana suo more pulsantes. 21. Tertia vero nocte tympanorum quidem strepitus desierat audiri; ceterum ex tota petra faces refulgebant, quas accenderant barbari, ut tutior esset ipsis fuga, obscura nocte per invia saxa cursuris. 22. Rex, Balacro, qui specularetur, praemisso, cognoscit petram fuga Indorum esse desertani. Tum dato signo, ut universi conclamarent, incomposite fugientibus metum incussit: 23. multique, tanquam adesset hostis, per lubrica saxa, perque invias cotes praecipitati occiderunt: plures aliqua membrorum parte mulctati, ab integris deserti sunt. 24. Rex, locorum magis quam hostium vi-

ctor, tamen magnae victoriae magnis sacrificiis et cultu deum satisfecit. Arae in petra locatae sunt Minervae Victoriaeque. Ducibus itineris, quos subire iusserat leviter armatos, etsi promissis minora praestiterant, pretium cum fide redditum est. Petrae regionisque ei adiunctae Sisocosto tutela permissa.

XII. Inde processit Echolima: et quum angustias itineris obsideri XX millibus armatorum ab Eryce quodam comperisset; gravius agmen exercitus Ceno ducendum modicis itineribus tradidit. 2. Ipse praegressus cum funditore ac sagittario, deturbatis qui obsederant saltum, sequentibus se copiis viam fecit. 3. Indi, sive odio ducis, sive gratiam victoris initari, Erycem fugientem adorti interemerunt, caputque eius atque arma ad Alexandrum detulerunt. Ille facto impunitatem dedit; honorem denegavit exemplo. 4. Hinc ad flumen Indum sextisdecimis castris pervenit, omniaque, ut praeceperat, ad traiciendum praeparata ab Hephaestione reperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui patri quoque fuerat auctor dedendi regnum Alexandro. 5. Et post mortem parentis legatos miserat, qui consulerent eum, regnare se interim vellet, an privatum opperiri eius adventum? 6. Permissoque ut regnaret, non tamen ius datum usurpare sustinuit. Is benigne quidem exceperat Hephaestionem, gratuitum frumentum copiis eius admensus: non tamen ei occurrerat, ne fidem ullius, nisi regis, experiretur. 7. Itaque venienti obviam cum armato exercitu egressus est: elephantum quoque per modica intervalla militum agmini immixti, procul castellorum fecerant speciem. 8. Ac primo Alexander non socium, sed hostem, adventare credebat. Iamque et ipse arma milites capere, et equites discedere in cornua iusserat, paratus ad pugnam. At Indus, cognito Macedonum errore, iussis subsistere ceteris, ipse concitat equum, quo

vehebatur: 9. idem Alexander quoque fecit, sive hostis, sive amicus occurreret, vel sua virtute, vel illius fide tutus. Coivere, quod ex utriusque vultu posset intelligi, amicis animis: ceterum sine interprete non poterat conseri sermo. Itaque adhibito eo, barbarus occurrisse se dixit cum exercitu, totas imperii vires protinus traditurum; nec exspectasse, dum per nuntios daretur fides. 10. Corpus suum et regnum permittere illi; quem sciret gloriae militan-tem, nihil magis quam famam timere perfidiae. Laetus simplicitate barbari rex, et dextram fidei suae pignus dedit, et regnum restituit. 11. LVI elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaue pecora eximiae magnitudinis: tauros ad III millia, pretiosum in ea regione acceptumque animis regnantium armentum. 12. Quaerenti Alexandro, plures agricultores haberet an milites? cum duobus regibus bellanti sibi maiore militum quam agrestium manu opus esse respondit. 13. Abisares et Porus erant; sed in Poro eminebat auctoritas. Uterque ultra Hydaspem amnem regnabat; et belli fortunam, quisquis arma inferret, experiri decreverat. 14. Omphis, permittente Alexandro, et regium insigne sumsit, et more gentis suae nomen, quod patris fuerat. Taxilen appellavere populares, sequente nomine imperium, in quemcunque transiret. 15. Ergo quum per triduum hospitaliter Alexandrum accepisset, quarto die, et quantum frumenti copiis, quas Hephaestion duxerat, praebitum a se esset, ostendit; et aureas coronas ipsi amicisque omnibus, praeter haec signati argenti LXXX talenta dono dedit. 16. Qua benignitate eius Alexander mire laetus, et quae is dederat, remisit, et mille talenta ex praeda, quam vehebat, adiecit, multaue convivalia ex auro et argento vasa, plurimum Persicae vestis, XXX equos ex suis, cum iisdem insignibus, quis adsueverant, quum ipsum veherent. 17. Quae liberalitas, sicut barbarum obstrinxerat,

ita amicos ipsius vehementer offendit. E quibus Meleager, super coenam largiore vino usus, gratulari se Alexandro dixit, quod saltem in India reperisset dignum talentis mille. 18. Rex, haud oblitus quam aegre tulisset, quod Clitum ob linguae temeritatem occidisset, iram quidem tenuit, sed dixit: invidos homines nihil aliud, quam ipsorum esse tormenta.

XIII. Postero die legati Abisarae adiere regem. Omnia ditioni eius, ita ut mandatum erat, permittebant: firmataque invicem fide, remittuntur ad regem. 2. Porum quoque nominis sui fama ratus ad deditio-nem posse compelli, misit ad eum Cleocharem, qui denuntiaret ei, ut stipendium penderet, et in primo finium suorum aditu occurreret regi. Porus alterum ex his facturum sese respondit, ut intranti regnum suum praesto esset, sed armatus. 3. Iam Hydaspem Alexander superare decreverat; quum Barzaentes, defectionis Arachosiis auctor, vinctus, trigintaque elephantis simul capti perducuntur, opportunum adversus Indos auxilium: quippe plus in belluis, quam in exercitu, spei ac virium illis erat. 4. Gamaxusque, rex exiguae partis Indorum, qui Barzaenti se coniunxerat, vinctus adductus est. 5. Igitur transfuga et regulo in custodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaspem pervenit; in cuius ulteriore ripa Porus consederat, transitu prohibiturus hostem. 6. LXXX et V elephantos obiecerat eximio corporum robore; ultraque eos currus CCC, et peditem XXX fere millia, in quibus erant sagittarii, sicuti ante dictum est, gravioribus telis, quam ut apte excuti possent. 7. Ipsum vehebat elephante super ceteras belluas eminens; armaque auro et argento distincta corpus rarae magnitudinis honestabant. Par animus robori corporis, et quanta inter rudes poterat esse sapientia. 8. Macedonas non conspectus hostium solum, sed etiam fluminis, quod trans-eundum erat, magnitudo terrebat. Quatuor in lati-

itudinem stadia diffusum, profundo alveo et nusquam vada aperiente, speciem vasti maris fecerat. 9. Nec pro spatio aquarum late stagnantium impetum coercerat; sed quasi in arctum coeuntibus ripis, torrens et elisus ferebatur: occultaque saxa inesse ostendebant pluribus locis undae repercussae. 10. Terribilior erat facies ripae, quam equi virique compleverant. Stabant ingentes vastorum corporum moles, et de industria irritatae horrendo stridore aures fatigabant. 11. Hinc hostis, hinc annis, capacia quidem bonae spei pectora, et saepe se experta, improvise tamen pavore percusserant. Quippe instabiles rates nec dirigi ad ripam, nec tuto applicari posse credeant. 12. Erant in medio anne insulae crebrae, in quas et Indi et Macedones nantes levatis super capita armis transibant. Ibi levia proelia conserebantur; et uterque rex parvae rei discrimine, summae experiebatur eventum. 13. Ceterum in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus et Nicanor, nobiles iuvenes, et perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi. 14. Quis ducibus promptissimi iuvenum lanceis modo armati tranavere in insulam, quam frequens hostis tenebat; multosque Indorum, nulla re magis quam audacia armati, interemerunt. 15. Abire cum gloria poterant, si unquam temeritas felix inveniret modum; sed dum supervenientes contemtim et superbe quoque exspectant, circumventi ab iis, qui occulti enataverant, eminus obruti telis sunt. 16. Qui effugerant hostem, aut impetu annis ablati sunt, aut verticibus impliciti. Eaque pugna multum Pori fiduciam erexit, cuncta cernentis e ripa. 17. Alexander, inops consilii, tandem ad fallendum hostem talem dolum intendit. Erat insula in flumine amplior ceteris, silvestris eadem et tegendis insidiis apta. Fossa quoque praealta haud procul a ripa, quam tenebat ipse, non pedites modo, sed etiam cum equis

viros poterat abscondere. 18. Igitur ut a custodia huius opportunitatis oculos hostium averteret, Ptolemaeum cum omnibus turmis obequitare iussit procul ab insula, et subinde Indos clamore terrere, quasi flumen tranaturus foret. 19. Per complures dies Ptolemaeus id fecit; eoque consilio Porum quoque agmen suum ei parti, quam se petere simulabat, coëgit advertere. Iam extra conspectum hostis insula erat. 20. Alexander in diversa parte ripae statui suum tabernaculum iussit, adsuetamque comitari ipsum cohortem ante id tabernaculum stare; et omnem apparatus regiae magnificentiae, hostium oculis de industria ostendit. 21. Attalum, et aequalem sibi, et haud disparem habitu oris et corporis, utique quum procul viseretur, veste regia exornat, praebiturum speciem, ipsum regem illi ripae praesidere, nec agitare de transitu. 22. Huius consilii effectum primo morata tempestas est, mox adiuvit, incommoda quoque ad bonos eventus vertente fortuna. 23. Traicere anem cum ceteris copiis in regionem insulae, de qua ante dictum est, parabat, averso hoste in eos, qui cum Ptolemaeo inferiorem obsederant ripam; quum procella imbrem vix sub tectis tolerabilem effudit. Obrutique milites nimbo in terram refugerunt, navigiis ratibusque desertis. Sed tumultuantium fremitus, obstrepentibus ventis, ab hoste non poterat audiri. 24. Deinde momento temporis repressus est imber; ceterum adeo spissae intendere se nubes, ut conderent lucem, vixque colloquentium inter ipsos facies noscigaretur. 25. Teruisset alium obducta nox coelo, quum ignoto ane navigandum esset, forsitan hoste eam ipsam ripam, quam caeci atque improvidi, et ex periculo gloriam arcessentes petebant, occupante. 26. Obscuritatem, quae ceteros terrebat, suam occasionem ratus, dato signo, ut omnes silentio ascenderent in rates, eam, qua ipse vehebatur, primam iussit expelli. 27. Va

cua erat ab hostibus ripa, quae petebatur; quippe adhuc Porus Ptolemaeum tantum intuebatur. Una ergo navi, quam petrae fluctus illiserat, haerente, ceterae evadunt; armaque capere milites, et ire in ordines iussit.

XIV. Iamque agmen in cornua divisum ipse ducebat; quum Poro nuntiatur, armis virisque ripam obtineri, et rerum adesse discrimen. Ac primo, humani ingenii vitio spei suae indulgens, Abisarem belli socium (et ita convenerat) adventare credebat. 2. Mox liquidiore luce aperiente hostem, C quadrigas, et III millia equitum venienti agmini obiecit. Dux erat copiarum, quas praemisit, Hages frater ipsius: summa virium in curribus. 3. Senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios, ab utroque latere dispositos; ceteri aurigae erant, haud sane inermes; quippe iacula complura, ubi cominus proeliandum erat, omissis habenis, in hostem ingerebant. 4. Ceterum vix ullus usus huius auxilii eo die fuit. Namque, ut supra dictum est, imber violentius quam alias fusus campos lubricos et inequitabiles fecerat: gravesque, et propemodum immobiles currus illuvie ac voraginibus haerebant. 5. Contra Alexander expedito ac levi agmine strenue invectus est. Scythae et Dahae primi omnium invasere Indos: Perdiccam deinde cum equitibus in dextrum cornu hostium emisit. 6. Iam undique pugna se moverat; quum ii, qui currus agebant, illud ultimum auxilium suorum rati, effusis habenis in medium discrimen ruere coeperunt. 7. Anceps id malum utrisque erat: nam et Macedonum pedites primo impetu obterebantur, et per lubrica atque invia immissi currus excutiebant eos, a quibus regebantur. 8. Aliorum turbati equi non in voragines modo lacunasque, sed etiam in amnem praecipitavere curricula. 9. Pauci, telis hostium exacti, penetravere ad Porum, acerrime pugnam cientem. Is, ut dissipatos

tota acie currus vagari sine rectoribus vidit, proximis amicorum distribuit elephantos. 10. Post eos posuerat pedites ac sagittarios, et tympana pulsare solitos. Id pro cantu tubarum Indis erat: nec strepitu eorum movebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis. 11. Herculis simulacrum agmini peditem praeferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum, et deseruisse gestantes militare flagitium habebatur. 12. Capitis etiam sanxerant poenam iis, qui ex acie non retulissent; metu, quem ex illo hoste quondam conceperant, etiam in religionem venerationemque converso. Macedonas non belluarum modo, sed etiam ipsius regis adspectus parumper inhibuit. 13. Belluae dispositae inter armatos, speciem turrium procul fecerant. Ipse Porus humanae magnitudinis propemodum excesserat formam; magnitudini adiicere videbatur bellua, qua vehebatur, tantum inter ceteras eminens, quantum aliis ipse praestabat. 14. Itaque Alexander, contemplatus et regem et agmen Indorum, *Tandem, inquit, par animo meo periculum video. Cum bestiis simul, et cum egregiis viris res est.* 15. Intuensque Coenon, *Quum ego, inquit, Ptolemaeo Perdiccaque et Hephaestione comitatus, in laevum hostium cornu impetum fecero, vide risque me in medio ardore certaminis, ipse dextrum move, et turbatis signa infer. Tu, Antigene, et tu, Leonate, et Tauron, invehimini in mediam aciem, et urgebitis frontem.* 16. *Hastae nostrae praelongae et validae non alias magis quam adversus belluas rectoresque earum usui esse poterunt: deturbate eos, qui vehuntur, et ipsas confodite. Anceps genus auxilii est, et in suos acrius furit. In hostem enim imperio, in suos pavore agitur.* 17. Haec elocutus, concitat equum primus. Iamque, ut destinatum erat, invaserat ordines hostium; quum Coenus ingenti vi in laevum cornu invehitur. 18. Phalanx quoque in mediam Indorum aciem uno impetu prorupit. At Porus, qua equitem invehit

senserat, belluas agi iussit: sed tardum et paene immobile animal equorum velocitatem aequare non poterat. 19. Nec sagittarum quidem ullus erat barbaris usus. Quippe longas et prae graves, nisi prius in terra statuerent arcum, haud satis apte et commode imponunt. Tum, humo lubrica et ob id impediende conatum, molientes ictus, celeritate hostium occupabantur. 20. Ergo spreto regis imperio, (quod fere fit, ubi turbatis acrius metus quam dux imperare coepit) totidem erant imperatores, quot agmina errabant. 21. Alius iungere aciem, alius dividere, stare quidam, et nonnulli circumvehi terga hostium iuebant. Nihil in medium consulebatur. 22. Porus tamen cum paucis, quibus metu potior fuerat pudor, colligere dispersos, obvius hosti ire pergit, elephantosque ante agmen suorum agi iubet. 23. Magnum belluae iniecere terrorem; insolitusque stridor non equos modo, tam pavidum ad omnia animal, sed viros quoque ordinesque, turbaverat. 24. Iam fugae circumspiciebant locum, paullo ante victores; quum Alexander Agrianos et Thracas leviter armatos, meliorem concursatione quam cominus militem, emisit in belluas. 25. Ingentem ii vim telorum iniecere et elephantis et regentibus eos. Phalanx quoque instare constanter territis coepit. 26. Sed quidam avidius persecuti belluas in semet irritavere vulneribus. Obtriti ergo pedibus earum, ceteris, ut parcius instarent, fuere documentum. 27. Praecipue terribilis illa facies erat, quum manu arma virosque corripere, et super se regentibus traderent. 28. Anceps ergo pugna nunc sequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei varium certamen extraxit; donec securibus (id namque genus auxilii praeparatum erat) pedes amputare coeperunt. 29. Copidas vocabant gladios leviter curvatos, falcibus similes, quis appetebant belluarum manus. Nec quidquam inexpertum non mortis modo, sed etiam

in ipsa morte novi supplicii timor omittebat. 30. Ergo elephantum, vulneribus tandem fatigatum, suos impetu sternunt, et qui rexerant eos, praecipitati in terram, ab ipsis obterebantur. Itaque pecorum modo magis pavidi, quam infesti, ultra aciem exigebantur; 31. quum Porus, destitutus a pluribus, tela multo ante praeparata in circumfusos ex elephanto suo coepit ingerere, multisque eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus undique petebatur. 32. Novem iam vulnera hinc tergo, illinc pectore exceperat, multoque sanguine profuso languidis manibus magis elapsa, quam excussa, tela mittebat. 33. Nec segnius bellua, instincta rabie, nondum saucia, invehebatur ordinibus; donec rector belluae regem conspexit fluentibus membris omissisque armis vix compotem mentis. 34. Tum belluam in fugam concitat, sequente Alexandro: sed equus eius multis vulneribus confossus deficiensque procubuit, posito magis rege, quam effuso. Itaque dum equum mutat, tardius insecutus est. 35. Interim frater Taxilis, regis Indorum, praemissus ab Alexandro, monere coepit Porum, ne ultima experiri perseveraret, dederetque se victori. 36. At ille, quamquam exhaustae erant vires, deficiebatque sanguis, tamen ad notam vocem excitatus, *Agnosco*, inquit, *Taxilis fratrem, imperii regnique sui proditorem*: et telum, quod unum forte non effluxerat, contorsit in eum; quod per medium pectus penetravit ad tergum. 37. Hoc ultimo virtutis opere edito, fugere acrius coepit: sed elephans quoque, qui multa exceperat tela, deficiebat. Itaque sistit fugam, peditemque sequenti hosti obiecit. 38. Iam Alexander consecutus erat, et, pertinacia Pori cognita, vetebat resistentibus parci. Ergo undique et in pedites, et in ipsum Porum, tela congesta sunt: quis tandem gravatus, labi ex bellua coepit. 39. Indus, qui elephantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum procumbere iussit in genua:

qui ut se submisit, ceteri quoque, (ita enim instituti erant,) demisere corpora in terram. Ea res et Porum et ceteros victoribus tradidit. 40. Rex spoliari corpus Pori, interentum esse credens, iussit, et qui detraherent lorica vestemque, concurrere; quum bellua dominum tueri, et spoliantes coepit appetere, levatumque corpus eius rursus dorso suo imponere. Ergo telis undique obruitur; confossoque eo, in vehiculum Porus imponitur. 41. Quem rex ut vidit allevantem oculos, non odio, sed miseratione commotus, *Quae, malum, inquit, amentia te coëgit, rerum mearum cognita fama, belli fortunam experiri; quum Taxiles esset in deditos clementiae meae tam propinquum tibi exemplum?* 42. At ille, *Quoniam, inquit, percontaris, respondebo ea libertate, quam interrogando fecisti. Neminem me fortiolem esse censebam. Meas enim noveram vires, nondum expertus tuas: fortiolem esse te, belli docuit eventus. Sed ne sic quidem parum felix sum, secundus tibi.* 43. Rursus interrogatus, quid ipse victorem statuere debere censeret; *Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quam caduca felicitas esset.* 44. Plus monendo profecit, quam si precatus esset. Quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo, sed etiam honore, excipere dignatus est. 45. Aegrum curavit haud secus, quam si pro ipso pugnasset: confirmatum, contra spem omnium in amicorum numerum recepit: mox donavit ampliore regno, quam tenuit. 46. Nec sane quidquam ingenium eius solidius aut constantius habuit, quam admirationem verae laudis et gloriae. Simplicius tamen famam aestimabat in hoste, quam in cive. Quippe a suis credebat magnitudinem suam destrui posse; eandem clariorem fore, quo maiores fuissent, quos ipse vicisset.

Q. CURTII RUFII

DE

REBUS GESTIS

ALEXANDRI MAGNI

HISTORIARUM

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

1. Devicto Poro, in Indiam penetrat Alexander, variasque gentes et urbes, quarum mores describuntur, sibi subiicit. 2. Gangaridas et Pharrasios aggressurus, milites, fatigatos et bellum detrectantes, prolixa oratione ad perseverandum hortatur. 3. Coenos, militum nomine, Alexandro respondet. Idem paullo post morbo exstinguitur. 4. Sobiis et aliis expugnatis, regionem Oxydracarum et Mallorum ingreditur. Oratione ad milites habita, barbaros proelio vincit, eorumque oppidum, contemto Demophoonte vate, obsidet. 5. Praecipiti saltu in Oxydracarum oppidum se immittens, graviter vulneratur, et fortissimis quibusdam ducibus desideratis, oppidoque post aliquot dies expugnato, sibi suisque restituitur. 6. Ab amicis rogatus, ut saluti suae publicaeque parceret, generose respondet, in instituto suo de domando orbe perseverans. 7. Graecorum quorundam

in Bactris defectio repressa. Dum Indorum legatos convivio excipit Alexander, inter Horratam et Dioxippum rixa oritur. Paulo post Dioxippus, inimicorum calumniis ultra modum irritatus, semetipsum interimit. 8. Donis a legatis Indorum acceptis, Sabracas, Musicanos, Praestos, aliosque populos debellat; Ptolemaeus, qui venenato telo vulneratus erat, ope cuiusdam herbae, cuius species in somnis Alexandro oblata fuerat, curatur. 9. Cupidine visendi Oceani correptus rex, non sine periculis propter nautarum imperitiam, tandem voti sui compos redditur. 10. Ab Oceano in Arabitarum, Gedrosiorum et Indorum fines revertitur: ubi fame et pestilentia vexatur exercitus. Quibus liberati instituunt laetum bacchantium lusum, supplicio tamen Aspastis satrapis cruentatum.

Alexander, tam memorabili victoria laetus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis, milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli obirent, pro concione laudatos docuit, quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione prostratum. 2. Cetera opimam praedam fore, celebratasque opes in ea regione eminere, quam peterent. Proinde iam vilia et obsoleta esse spolia de Persis: gemmis margaritisque et auro atque ebore Macedoniam Graeciamque, non suas tantum domos, repletum ire. 3. Avidi milites et pecuniae et gloriae, simul quia nunquam eos affirmatio eius fefellerat, pollicentur operam: dimissisque cum bona spe, navigia aedificari iubet, ut, quum totam Asiam percurrisset, finem terrarum mare inviseret. 4. Multa materia navalis in proximis montibus erat: quam caedere aggressi, magnitudinis inusitatae reperere serpentes. 5. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. Ceterum hoc nomen belluis inditum a Graecis: sermonis eius ignari aliud lingua sua usurpant. 6. Rex, duabus urbibus conditis in utraque fluminis, quod superaverat, ripa, copiarum

duces coronis et mille aureis singulos donat: ceteris quoque pro portione aut gradus, quem in militia obtinebant, aut navatae operae, honos habitus est. 7. Abisares, qui prius quam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit, pollicentes, omnia facturum, quae imperasset, modo ne cogeretur corpus suum dedere: neque enim aut sine regio imperio victurum, aut regnaturum esse captivum. 8. Cui Alexander nuntiari iussit, si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum. Hinc, Poro amne superato, ad interiora Indiae processit. 9. Silvae erant prope in immensum spatium diffusae, procerisque et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae. 10. Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursus, qua se curvaverant, erigebantur, adeo ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatae. 11. Coeli temperies salubris: quippe et vim solis umbrae levant, et aquae large manant e fontibus. 12. Ceterum hic quoque serpentium magna vis erat, squamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium est, quippe morsum praesens mors sequebatur; donec ab incolis remedium oblatum est. 13. Hinc per deserta ventum est ad flumen Hyarotim. Iunctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumque pavonum multitudine frequens. 14. Castris inde motis, oppidum haud procul positum corona capit, obsidibusque acceptis, stipendium imponit. Ad magnam deinde, ut in ea regione, urbem pervenit, non muro solum, sed etiam palude munitam. 15. Ceterum barbari vehiculis inter se iunctis dimicaturi occurrerunt. Tela aliis hastae, aliis secures erant; transsilibantque in vehicula strenuo saltu, quum succurrere laborantibus suis velent. 16. Ac primo insolitum genus pugnae Macedonas terruit, quum eminus vulnerarentur: deinde spreto tam incondito agmine, ab utroque latere ve-

huculis circumfusi repugnantes fodere coeperunt. 17. Et vincula, quis conserta erant, iussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur. Itaque VIII milibus suorum amissis in oppidum refugerunt. 18. Postero die, scalis undique admotis, muri occupantur. Paucis pernitas saluti fuit, qui, cognito urbis excidio, paludem transavere, et in vicina oppida ingentem intulere terrorem, invictum exercitum, et deorum profecto, advenisse memorantes. 19. Alexander, ad vastandam eam regionem Perdicca cum expedita manu misso, partem copiarum Eumeni tradidit, ut is quoque barbaros ad deditioem compelleret: ipse ceteros ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolae, duxit. 20. Oppidani, missis, qui regem deprecarentur, nihilominus bellum parabant: quippe orta seditio in diversa consilia diduxerat vulgum: alii omnia deditioe potiora, quidam nullam opem in ipsis esse ducebant. 21. Sed dum nihil in commune consulitur, qui deditioi imminebant, apertis portis hostem recipiunt. 22. Alexander, quamquam belli auctoribus iure poterat irasci, tamen omnibus venia data, et obsidibus acceptis, ad proximam deinde urbem castra movit. 23. Obsides ducebantur ante agmen. Quos quum e muris agnovissent, utpote gentis eiusdem, in colloquium convocaverunt. Illi, clementiam regis simulque vim commemorando, ad deditioem eos compulere: ceterasque urbes simili modo deditas in fidem accepit. 24. Hinc in regnum Sophitis perventum est. Gens, ut barbari, sapientia excellit, bonisque moribus regitur. 25. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntque, sed eorum, quibus spectandi infantium habitum cura mandata est. Si quos insignes aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari iubent. 26. Nuptiis coeunt, non genere ac nobilitate coniunctis, sed electa corporum specie, quia eadem aestimatur in liberis. 27. Huius gentis oppidum, cui

Alexander admoverat copias, ab ipso Sophite obtinebatur. Clausae erant portae; sed nulli in muris turribusque se armati ostendebant: dubitabantque Macedones, deseruissentne urbem incolae, an fraude se occulerent; 28. quum, subito patefacta porta, rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes barbaros eminens corporis specie. 29. Vestis erat auro purpuraque distincta, quae etiam crura velabat: aureis soleis inseruerat gemmas: lacerti quoque et brachia margaritis ornata erant. 30. Pendebant ex auribus insignes candore et magnitudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant: quo tradito precatus, ut sospes acciperet, se liberosque et gentem suam dedit. 31. Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt: latratu abstinere dicuntur, quum videre feram, leonibus maxime infesti. 32. Horum vim ut ostenderet Alexandro, in conspectu leonem eximiae magnitudinis iussit emitti, et IV omnino admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram; quum ex iis, qui adsueverant talibus ministeriis, unus, canis leoni cum aliis inhaerentis crus avellere, et, quia non sequebatur, ferro amputare coepit: 33. nec sic quidem pertinacia victa, rursus aliam partem secare institit; et inde non segnius inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat. Tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam memoriae proditum est. 34. Equidem plura transcribo, quam credo: nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito; nec subducere, quae accepi. 35. Relicto igitur Sophite in suo regno, ad fluvium Hyphasin processit, Hephaestione, qui diversam regionem subegerat, coniuncto. 36. Phegeus erat gentis proximae rex, qui, popularibus suis colere agros, ut adsueverant, iussis, Alexandro cum donis occurrit, nihil, quod imperaret, detrectans.

II. Biduum apud eum substitit rex: tertio die

CURTIUS.

Z

annem superare decreverat, transitu difficilem, non spatio solum aquarum, sed etiam saxis impeditum. 2. Percontatus igitur Phegea, quae noscenda erant, XI dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse cognoscit: excipere deinde Gangem, maximum totius Indiae fluminum. 3. Ulteriorem ripam colere gentes Gangaridas et Prasios; eorumque regem esse Aggrammen, XX millibus equitum ducentisque peditum obsidentem vias. 4. Ad haec quadrigarum duo millia trahere, et praecipuum terrorem elephantos, quos trium millium numerum explere dicebat. 5. Incredibilia regi omnia videbantur. Igitur Porum (nam cum eo erat) percontatur, an vera essent, quae dicerentur? 6. Ille vires quidem gentis et regni haud falso iactari affirmat: ceterum qui regnaret, non modo ignobilem esse, sed etiam ultimae sortis; quippe patrem eius, tonsorem, vix diurno quaestu propulsantem famem, propter habitum haud indecorum cordi fuisse reginae. 7. Ab ea in propiorem eius, qui tum regnasset, amicitiae locum admotum, interfecto eo per insidias, sub specie tutelae liberum, eius invasisse regnum; necatisque pueris, hunc, qui nunc regnat, generasse, invisum vilemque popularibus, magis paternae fortunae, quam suae, memorem. 8. Afirmatio Pori multiplicem animo regis iniecerat curam. Hostem belluasque spernebat: situm locorum, et vim fluminum extimescebat: 9. relegatos in ultimum paene rerum humanarum persequi terminum, et eruere, arduum videbatur. Rursus avaritia gloriae et insatiabilis cupido famae nihil invium, nihil remotum videri sinebat. 10. Et interdum dubitabat, an Macedones, tot emensi spatia terrarum, in acie et in castris senes facti, per obiecta flumina, per tot naturae obstantes difficultates secuturi essent. Abundantes onustosque praeda, magis parta frui velle, quam acquirenda fatigari. 11. Non idem sibi et militibus animi esse. Se, totius orbis imperium men-

te complexum, adhuc in operum suorum primordio stare: militem, labore defatigatum, proximum quemque fructum, finito tandem periculo, expetere. 12. Vicit ergo cupido rationem, et ad concionem vocatis militibus ad hunc maxime modum disseruit: *Non ignoro, milites, multa, quae terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies de industria esse iactata: sed non est improvisa nobis mentientium vanitas.* 13. *Sic Ciliciae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim et Euphratem, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persae.* 14. *Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia, illa tradente, maiora sunt vero. Nostra quoque gloria, quum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis.* 15. *Modo quis belluas, offerentes moenium speciem, quis Hydaspem amnem, quis cetera auditu maiora, quam vero, sustinere posse credebat? Olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent.* 16. *Creditisne elephantorum greges maiores esse, quam usquam armentorum sunt? quum et rarum sit animal, nec facile capiatur, multoque difficilium mitigetur.* 17. *Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit. Nam flumen, quo latius fuscum est, hoc placidius stagnat: quippe angustis ripis coërcita, et in angustiorem alveum elisa, torrentes aquas invehunt; contra spatium alvei segnior cursus est.* 18. *Praeterea in ripa omne periculum est, ubi applicantes navigia hostis expectat. Ita quantumcunque flumen intervenit, idem futurum discrimen est evadentium in terram.* 19. *Sed omnia ista vera esse fingamus: utrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elephantos, praesens habemus exemplum. In suos vehementius, quam in nos, incurrerunt: tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt.* 20. *Quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia, quum, uno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinare videamus?* 21. *Deinde paucos quoque*

incommode regunt: congregata vero tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contemsi, ut, quum haberem, ipse non opposuerim, satis gnarus, plus suis, quam hostibus, periculi inferre. 22. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet! Cum paucis enim pugnare soliti estis, et nunc primum inconditam sustinebitis turbam. 23. Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis, et Cilicia inundata cruore Persarum, et Arbela, cuius campi devictorum a nobis ossibus strati sunt. 24. Sero hostium legiones numerare coepistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Quum per Hellespontum navigarem, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythae sequuntur; Bactriana auxilia praesto sunt; Dahae Sogdianique inter nos militant. 25. Nec tamen illi turbae confido. Vestras manus intueor; vestram virtutem, rerum, quas gesturus sum, vadem praedemque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meum nec hostium exercitus numero: vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. 26. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus: pervenimus ad solis ortum et Oceanum, nisi obstat ignavia: inde victores, perdomito sine terrarum, revertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolae faciunt, maturos fructus per inertiam amittere e manibus. 27. Maiora sunt periculis praemia: dives eadem, et imbellis est regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni estis, qui opes, quas illud mare litoribus invehit, referatis in patriam: digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis. 28. Per vos gloriamque vestram, qua humanum fastigium exceditis, perque et mea in vos et in me vestra merita, quibus invicti contendimus, oro quaesoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem, alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. 29. Cetera vobis

imperavi; hoc unum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil unquam vobis praecepi, quin primus me periculis obtulerim: qui saepe aciem clypeo meo texi: ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque patrem, si invidia abfuerit, aequabo. 30. Date hoc precibus meis, et tandem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestrae index? ubi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos, milites; nec agnosci videor a vobis. Surdas iam dudum aures pulso: aversos animos et infractos excitare conor. 31. Quumque illi in terram demissis capitibus tacere perseverarent: Nescio quid, inquit, imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi videor esse. Nemo respondet; nemo saltem negat. 32. Quos alloquor? Quid autem postulo? Vestram gloriam et magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paullo ante vidi contententium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. 33. Sed solus quoque ire perseverabo. Obiicite me fluminibus et belluis, et illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam, qui desertum a vobis sequantur: Scythae Bactrianique erunt mecum; hostes paullo ante, nunc milites nostri. 34. Mori praestat, quam precario imperatorem esse. Ite reduces domos; ite deserto rege ovantes. Ego hic a vobis desperatae victoriae aut honestae morti locum inveniam.

III. Ne sic quidem ulli militum vox exprimi potuit. Exspectabant, ut duces principesque ad regem perferrent, vulneribus et continuo labore militiae fatigatos non detrectare munia, sed sustinere non posse. 2. Ceterum illi metu attoniti in terram ora defixerant. Ergo primo fremitus sua sponte, deinde gemitus quoque oritur; paullatimque liberius dolor erigi coepit, manantibus lacrimis, adeo ut rex, ira in misericordiam versa, ne ipse quidem, quamquam cuperet, temperare oculis potuerit. 3. Tandem uni-

versa concione effusius flente, Coenus ausus est, cunctantibus ceteris, propius tribunal accedere, significans se loqui velle. 4. Quem ut videre milites detrahentem galeam capiti, (ita enim regem alloqui mos est,) hortari coeperunt, ut causam exercitus ageret. 5. Tum Coenus, *Dii prohibeant, inquit, a nobis impias mentes; et profecto prohibent. Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire quo iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde si perseveras, inermes quoque et nudi et exsanguis, utcunque tibi cordi est, sequimur, vel anteceditur.* 6. *Sed si audire vis non fictas tuorum militum voces, verum necessitate ultima expressas; praebe, quaeso, propitias aures imperium atque auspiciam tuam constantissime secutis, et quocumque pergis secuturis.* 7. *Vicisti, rex, magnitudine rerum non hostes modo, sed etiam milites. Quidquid mortalitas capere poterat, implevimus. Emensis maria terrasque melius nobis, quam incolis, omnia nota sunt. Paene in ultimo mundi fine consistimus.* 8. *In alium orbem paras ire, et Indiam quaeris Indis quoque ignotam: inter feras serpentesque degentes eruere ex latebris et cubilibus suis expetis, ut plura, quam sol videt, victoria lustres.* 9. *Digna prorsus cogitatio animo tuo; sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit; nostra vis iam in fine est.* 10. *Intuere corpora exsanguia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putria. Iam tela hebetia sunt: iam arma deficiunt. Vestem Persicam induimus, quia domestica subvehi non potest. In externum degeneravimus cultum.* 11. *Quoto cuique lorica est? quis equum habet? iube quaeri, quam multos servi ipsorum persecuti sint, quid cuique supersit ex praeda. Omnium victores, omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello instrumenta belli consumsimus.* 12. *Hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obiicies belluis? Quarum ut multitudinem augeant de industria barbari, magnum tamen esse numerum etiam*

ex mendacio intelligo. 13. Quod si adhuc penetrare in Indiam certum est; regio a Meridie minus vasta est. Qua subacta licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit esse natura. 14. Cur circuitu petis gloriam, quae ad manum posita est? hic quoque occurrit Oceanus. Nisi mavis errare, pervenimus, quo tua fortuna ducit. 15. Haec tecum, quam sine te cum his, loqui malui: non ut inirem circumstantis exercitus gratiam, sed ut vocem loquentium potius, quam gemitum murmurantium audires. 16. Ut finem orationi Coenus imposuit, clamor undique cum ploratu oritur, regem, patrem, dominum, confusis appellantium vocibus. 17. Iamque et alii duces, praecipueque seniores, quis ob aetatem et excusatio honestior erat, et auctoritas maior, eadem precabantur. 18. Ille nec castigare obstinatos, nec mitigare poterat iratos. Itaque inops consilii desiluit e tribunali, claudique regiam iussit, omnibus, praeter assuetos, adire prohibitis. 19. Biduum irae datum est: tertio die processit, erigique XII aras ex quadrato saxo, monumentum expeditionis suae; munimenta quoque castrorum iussit extendi, cubiliaque amplioris formae, quam pro corporum habitu, relinqui, ut speciem omnium augetet, posteritati fallax miraculum praeparans. 20. Hinc repetens, quae emensus erat, ad flumen Acesinem locat castra. Ibi forte Coenus morbo exstinctus est. Cuius morte ingemuit quidem rex: adiecit tamen, propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tanquam solus Macedoniam visurus esset. 21. Iam in aqua classis, quam aedificari iusserat, stabat. Inter haec Memnon ex Thracia in supplementum equitum sex millia, praeter eos ab Harpalo peditum septem millia adduxerat; armaque XXV millia auro et argento caelata pertulerat; quis distributis, vetera cremari iussit. 22. Mille navigiis aditurus Oceanum, discordes et vetera odia retractantes Porum et Taxilem, Indiae reges, firmata per

affinitatem gratia reliquit in suis regnis, summo in aedificanda classe amborum studio usus. 23. Oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicaeam appellavit, alterum Bucephalam, equi, quem amiserat, memoriae ac nomini dedicans urbem. 24. Elephantis deinde et impedimentis terra sequi iussis, secundo amne defluxit, quadraginta ferme stadia singulis diebus procedens, ut opportunis locis exponi subinde copiae possent.

IV. Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesini committitur. 2. Hinc decurrit in fines Siborum. Hi de exercitu Herculis maiores suos esse memorant: aegros relictos esse: cepisse sedem, quam ipsi obtinebant. 3. Pelles ferarum pro veste, clavae tela erant: multaque, etiam quum Graeci mores exolevissent, stirpis ostendebant vestigia. 4. Hic excensione facta, CC et L stadia processit, depopulatusque regionem, oppidum caput eius corona cepit. 5. XL peditum millia gens in ripa fluminum opposuerat: quae, amne superato, in fugam compulit, inclusosque moenibus expugnat. Puberes interfecti sunt, ceteri venierunt. 6. Alteram deinde urbem expugnare adortus, magnaque vi defendentium pulsus, multos Macedonum amisit. Sed quum in obsidione perseverasset, oppidani, desperata salute, ignem subiecere tectis, se quoque ac liberos coniugesque incendio cremant. 7. Quod quum ipsi auferent, hostes exstinguerent, nova forma pugnae erat. Delebant incolae urbem; hostes defendebant: adeo etiam naturae iura bellum in contrarium mutat. 8. Arx erat oppidi iactata, in qua praesidium dereliquit; ipse navigio circumvectus est arcem. Quippe III flumina, tota India praeter Gangem maxima, munimento arcis applicant undas. A septemtrione Indus alluit; a meridie Acesines Hydaspis confunditur. 9. Ceterum annium coitus maritimis similes fluctus movet, multoque ac turbido limo, quod aquarum

concurso subinde turbatur, iter, quae meant navigia, in tenuem alveum cogitur. 10. Itaque quum crebri fluctus se inveherent, et navium hinc proras, hinc latera pulsarent; subducere nautae coeperunt. Sed ministeria eorum hinc metu, hinc praerapida celeritate fluminum occupantur. 11. In oculis omnium duo maiora navigia submersa sunt; leviora, quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen innoxia expulsa sunt. Ipse rex in rapidissimos vortices incidit: quibus intorta navis, obliqua, et gubernaculi impatiens agebatur. 12. Iam vestem detraxerat corpori, proiectorum semet in flumen; amicieque, ut exciperent eum, haud procul nabant: apparebatque anceps periculum tam nataturi, quam navigare perseverantis. 13. Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat, admota est, ut fluctus, qui se invehebant, everberarentur. 14. Findi crederes undas, et retro gurgites cedere. Quibus tandem navis erepta, non tamen ripae applicatur, sed in proximum vadum illiditur. Cum anne bellum fuisse crederes. Ergo aris pro numero fluminum positus, sacrificioque facto, XXX stadia processit. 15. Inde ventum est in regionem Oxydracarum Mallorumque, quos, alias bellare inter se solitos, tunc periculi societas iunxerat. Nonaginta millia iuniorum peditum in armis erant; praeter hos equitum X millia, non-gentaeque quadrigae. 16. At Macedones, qui omni discrimine iam defunctos se esse crediderant, posteaquam integrum bellum cum ferocissimis Indiae gentibus superesse cognoverunt, improvise metu territi, rursus seditiosis vocibus regem increpare coeperunt. 17. Gangem annem, et quae ultra essent, coactum transmittere; non tamen finisse, sed mutasse bellum. Indomitae gentibus se obiectos, ut sanguine suo aperirent ei Oceanum. 18. Trahi extra sidera et solem, cogique adire, quae mortalium oculis natura subduxerit. Novis identidem armis novos

hostes existere. Quos ut omnes fundant fugentque, quod praemium ipsos manere? caliginem, ac tenebras, et perpetuam noctem profundo incubantem; repletum immanium belluarum gregibus fretum; immobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit.

19. Rex non sua, sed militum sollicitudine anxius, concione advocata docet, imbelles esse, quos metuant. Nihil deinde praeter has gentes obstare, quo minus, terrarum spatia emensi, ad finem simul mundi laborumque perveniant. 20. Cessisse illis metuentibus Gangem, et multitudinem nationum, quae ultra amnem essent: declinasse iter eo, ubi par gloria, minus periculum esset. 21. Iam prospicere se Oceanum: iam perflare ad ipsos auram maris: ne inviderent sibi laudem, quam peteret. Herculis et Liberi patris terminos transituros illos, regi suo, parvo impendio, immortalitatem famae daturus. Paterentur se ex India redire, non fugere. 22. Omnis multitudo, et maxime militaris, mobili impetu fertur. Ita seditionis non remedia quam principia maiora sunt.

23. Non alias tam alacer clamor ab exercitu est redditus, iubentium, duceret Diis secundis, et aequaret gloria, quos aemularetur. Laetus his acclamationibus ad hostes protinus castra movit. 24. Validissimae Indorum gentes erant, et bellum impigre parabant; ducemque ex natione Oxydracarum spectatae virtutis elegerant, qui sub radicibus montis castra posuit, lateque ignes, ut speciem multitudinis auferret, ostendit; clamore quoque ac sui moris ululatu identidem adquiescentes Macedonas frustra terrere conatus. 25. Iam lux appetebat, quum rex, fiduciae ac spei plenus, alacres milites arma capere, et exire in aciem iubet. Sed, metune an seditione oborta inter ipsos, subito profugerunt barbari. Certe avios montes et impeditos occupaverunt. Quorum agmen rex frustra persecutus, impedimenta cepit. 26. Perventum deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod

plerique confugerant, haud maiore fiducia moenium, quam armorum. 27. Iam admovebat rex, quum vates monere eum coepit, ne committeret, aut certe differret obsidionem: vitae eius periculum ostendi. 28. Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens, *Si quis, inquit, te arti tuae intentum et exta spectantem sic interpellet: non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit.* 29. Et quum ille ita prorsus futurum respondisset; *Censesne, inquit, tantas res, non pecudum fibras, ante oculos habenti, ullum esse maius impedimentum, quam vatem superstitione captum?* 30. Nec diutius quam respondit moratus, admoveri iubet scalas: cunctantibusque ceteris evadit in murum. Angusta muri corona erat: non pinnae, sicut alibi, fastigium eius distinxerant; sed perpetua lorica obducta transitum sepserat. 31. Itaque rex haerebat magis, quam stabat in margine, clypeo undique incidentia tela propulsans; nam undique eminus ex turribus petebatur. 32. Nec subire milites poterant, quia superne vi telorum obruebantur. Tandem magnitudinem periculi pudor vicit: quippe cernebant, cunctatione sua dedi hostibus regem. 33. Sed festinando morabantur auxilia. Nam dum pro se quisque certat evadere, oneravere scalas; quis non sufficientibus, devoluti, unicam spem regis fefellerunt. Stabat enim in conspectu tanti exercitus, velut in solitudine destitutus.

V. Iamque laevam, qua clypeum ad ictus circumferebat, lassaverat, clamantibus amicis, ut ad ipsos desiliret, stabantque excepturi; quum ille rem ausus est incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriae, insignem. 2. Namque in urbem hostium plenam praecipiti saltu semetipse immisit; quum vix sperare posset, dimicantem certe, et non inultum esse moriturum: quippe antequam assurgeret, opprimi poterat, et capi vivus. 3. Sed forte ita libraverat corpus, ut se pedibus ex-

ciperet. Itaque stans in pugnam; et ne circumiri posset, fortuna providerat. 4. Vetusta arbor, haud procul muro, ramos multa fronde vestitos, velut de industria regem protegentes, obiecerat: huius spatioso stipiti corpus, ne circumiri posset, applicuit, clypeo tela, quae ex adverso ingerebantur, excipiens. 5. Nam quum unum procul tot manus peterent, nemo tamen audebat propius accedere; missilia ramis plura, quam clypeo, incidebant. 6. Pugnat pro rege primum celebrati nominis fama; deinde desperatio, magnum ad honeste moriendum incitamentum. 7. Sed quum subinde hostis afflueret, iam ingentem vim telorum exceperat clypeo; iam galeam saxa perfregerant; iam continuo labore gravia genua succidebant. 8. Itaque contemtim et incaute, qui proximi steterant, incurrerunt: e quibus duos gladio ita excepit, ut ante ipsum exanimis procumberent. Nec cuiquam deinde propius incessendi eum animus fuit: procul iacula sagittasque mittebant. 9. Ille ad omnes ictus expositus, aegre iam exceptum poplitis corpus tuebatur; donec Indus duorum cubitorum sagittam (namque Indis, ut antea diximus, huius magnitudinis sagittae erant) ita excussit, ut per thoracem paullum super latus dextrum infingeretur. 10. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma moribundo similis, adeoque resolutus, ut ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra. Itaque ad exspoliandum corpus, qui vulneraverat alacer gaudio accurrit. 11. Quem ut iniicere corpori suo manus sensit, credo, ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem revocavit animum, et nudum hostis latus subiecto mucrone hausit. 12. Iacebant circa regem tria corpora, procul stupentibus ceteris. Ille ut, antequam ultimus spiritus deficeret, dimicans iam exstingueretur, clypeo se allevare conatus est; 13. et postquam ad connitendum nihil supererat virium, dextra impendentes ramos comple-

xus, tentabat assurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit; manu provocans hostes, si quis congredi auderet. 14. Tandem Peucestes per aliam oppidi partem, deturbatis propugnatoribus, muri vestigia persequens, regi supervenit. 15. Quo conspecto Alexander, iam non vitae suae, sed mortis solatium supervenisse ratus, clypeo fatigatum corpus exceptit. Subit inde Timaeus: et paullo post Leonnatus: huic Aristonus supervenit. 16. Indi quoque, quum intra moenia regem esse comperissent, omissis ceteris illuc concurrerunt, urgebantque protegentes. Ex quibus Timaeus, multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregiaque edita pugna, cecidit: 17. Peucestes quoque tribus iaculis confossus, non se tamen scuto, sed regem tuebatur: Leonnatus, dum avidè ruentes barbaros submovet, cervice graviter icta, semianimis procubuit ante regis pedes. 18. Iam et Peucestes vulneribus fatigatus submiserat clypeum: in Aristono spes ultima haerebat. Hic quoque graviter saucius tantam vim hostium ultra sustinere non poterat. 19. Inter haec ad Macedonas regem cecidisse fama perlata est. Terrisset alios, quod illos incitavit. Namque periculi omnis immemores, dolabris perfregere murum; et qua moliti erant aditum, irrupere in urbem, Indosque plures fugientes, quam congredi ausos, ceciderunt. 20. Non senibus, non feminis, non infantibus parcitur; quisquis occurrerat, ab illo vulneratum regem esse credebant. Tandemque internecione hostium iustae irae parentatum est. 21. Ptolemaeum, qui postea regnavit, huic pugnae adfuisse, auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, abfuisse se, missum in expeditionem, memoriae tradidit. Tanta componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel par huic vitium, credulitas fuit. 22. Rege in tabernaculum relato, medici lignum sagittae

corpori infixum, ita ne spiculum moveretur, abscidunt. 23. Corpore deinde nudato animadvertunt hamos inesse telo; nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quam ut secando vulnus auferent. 24. Ceterum ne secantes profluvium sanguinis occuparet, verebantur; quippe ingens telum adactum erat, et penetrasse in viscera videbatur. 25. Critobulus, inter medicos artis eximiae, sed in tanto periculo territus, manus admoveere metuebat, ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret eventus. 26. Lacrimantem eum ac metuentem, et sollicitudine propemodum exsanguem, rex conspexerat. *Quid, inquit, quodve tempus exspectas, et non quamprimum hoc dolore me saltem moriturum liberas? An times, ne reus sis, quum insanabile vulnus acceperim?* 27. At Critobulus tandem, vel finito vel dissimulato metu, hortari eum coepit, ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret: etiam levem corporis motum noxium fore. 28. Rex quum affirmasset, nihil opus esse iis, qui semet continerent; sicut praeceptum erat, sine motu praebuit corpus. Igitur patefacto latius vulnere, et spiculo evulso, ingens vis sanguinis manare coepit; linquique animo rex, et caligine oculis offusa, veluti moribundus extendi. 29. Quumque profluvium medicamentis frustra inhiberent, clamor simul atque ploratus amicorum oritur, regem exspirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paullatimque animum recepit, et circumstantes coepit agnoscere. 30. Toto eo die ac nocte, quae secuta est, armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes unius spiritu vivere. Nec prius recesserunt, quam compertum est, somno paullisper adquiescere. Hinc certiores spem salutis eius in castra retulerunt.

VI. Rex septem diebus curato vulnere, necdum obducta cicatrice, quum audisset, convaluisse apud barbaros famam mortis suae; duobus navigiis iun-

etis, statui in medium undique conspicuum tabernaculum iussit, ex quo se ostenderet perisse credentibus. Conspectusque ab incolis, spem hostium falso nuntio conceptam inhibuit. 2. Secundo deinde anne defluxit, aliquantum intervalli a cetera classe praecipiens, ne quies, corpori invalido adhuc necessaria, pulsu remorum impediretur. 3. Quarto postquam navigare coeperat die, pervenit in regionem, desertam quidem ab incolis, sed frumento et pecoribus abundantem. Placuit is locus et ad suam, et ad militum requiem. 4. Mos erat principibus amicorum et custodibus corporis, excubare ante praetorium, quoties regi adversa valetudo incidisset. Hoc tum more quoque servato, universi cubiculum eius intrant. 5. Ille sollicitus, ne quid novi afferrent, quia simul venerant, percontatur, num hostium recens nuntiaretur adventus. 6. At Craterus, cui mandatum erat, ut amicorum preces perferret ad eum, *Credisne, inquit, adventu magis hostium, ut iam in vallo consisterent, quam cura salutis tuae, ut nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos?* 7. *Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos; impleat armis virisque totum orbem; classibus maria consternat; inusitatas belluas inducat: tu nos praestabis invictos.* 8. *Sed quis deorum hoc Macedoniae columen ac sidus diuturnum fore polliceri potest, quum tam avide manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in casum?* 9. *Quis enim tibi superstes aut optat esse, aut potest? Eo pervenimus, auspiciam atque imperium secuti tuum, unde, nisi te reduce, nulli ad penates suos iter est.* 10. *Qui si adhuc de Persidis regno cum Dario dimicares; etsi nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset, tam promptae esse te ad omne discrimen audaciae. Nam ubi paria sunt periculum ac praemium, et secundis rebus amplior fructus est, et adversis solatium maius.* 11. *Tuo vero capite ignobilem vicum emi, quis ferat, non tuorum modo militum, sed ullius etiam gentis barbarae*

[civis], qui tuam magnitudinem novit? 12. Horret animus cogitatione rei, quam paullo ante vidimus. Eloqui timeo, invicti corporis spoliis inertissimos manus fuisse iniecturos, nisi te interceptum misericors in nos fortuna servasset. Totidem proditores, totidem desertores sumus, quot te non potuimus persequi. 13. Universos licet milites ignominia notes; nemo recusabit luere id, quod ne admitteret, praestare non potuit. Patere nos, quaeso, alio modo esse viles tibi. 14. Quocunque iusseris, ibimus. Obscura bella et ignobiles pugnas nobis depreciamur. Temetipsum ad ea serva [pericula], quae magnitudinem tuam capiunt. Cito gloria obsolescit in sordidis hostibus: nec quidquam indignius est, quam consumi eam, ubi non possit ostendi. 15. Eadem fere Ptolemaeus, et similia iis ceteri. Iamque confusis vocibus flentes eum orabant, ut tandem exsatiatae laudi modum faceret, ac saluti suae, id est publicae, parceret. 16. Grata erat regi pietas amicorum. Itaque singulos familiariter amplexus considerare iubet. 17. Altiusque sermone repetito, *Vobis quidem, inquit, o fidissimi piissimique civium atque amicorum, grates ago habeoque, non solum eo nomine, quod hodie salutem meam vestrae praeponitis, sed quod a primordiis belli nullum erga me benevolentiae pignus atque indicium omisistis: adeo ut confitendum sit, nunquam mihi vitam meam fuisse tam caram, quam esse coepit, ut vobis diu frui possim.* 18. Ceterum non eadem est cogitatio eorum, qui pro me mori optant, et mea: qui quidem hanc benevolentiam vestram virtute meruisse me iudico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum, percipere cupitis: ego me metior non aetatis spatio, sed gloriae. 19. Licuit, paternis opibus contento, intra Macedoniae terminos per otium corporis exspectare obscuram et ignobilem senectutem. Quamquam ne pigri quidem sibi facta disponunt: sed unicum bonum diuturnam vitam aestimantes saepe acerba mors occupat. Verum ego, qui

non annos meos, sed victorias numero, si munera fortunae bene computo, diu vixi. 20. Orsus a Macedonia imperium, Graeciam teneo: Thraciam et Illyrios subegi; Triballis Medisque imperito: Asiam, qua Hellesponto, qua rubro mari alluitur, possideo: iamque haud procul absum a fine mundi; quem egressus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. 21. Ex Asia in Europae terminos momento unius horae transivi. Victor utriusque regionis post nonum regni mei, post vigesimum atque octavum aetatis annum, videorne vobis in excolenda gloria, cui me uni devovi, posse cessare? Ego vero non deero; et ubicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam. 22. Dabo nobilitatem ignobilibus locis: aperiam cunctis gentibus terras, quas natura longe submoverat. In his operibus exstingui mihi, (si fors ita feret), pulchrum est. Ea stirpe sum genitus, ut multam prius, quam longam vitam debeam optare. 23. Obsecro vos, cogitate nos pervenisse in terras, quibus feminae ob virtutem celeberrimum nomen est. Quas urbes Semiramis condidit! quas gentes redegit in potestatem! quanta opera molita est! Nondum feminam aequavimus gloria, et iam nos laudis satietas cepit? Dū faveant, maiora adhuc restant. 24. Sed ita nostra erunt, quae nondum attigimus, si nihil parvum duxerimus, in quo magnae gloriae locus est. Vos modo me ab intestina fraude et domesticorum insidiis praestate securum: belli Martisque discrimen impavidus subibo. 25. Philippus in acie tutior, quam in theatro, fuit: hostium manus saepe vitavit; suorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus si reputaveritis, plures a suis, quam ab hoste, interemtis numerabitis. 26. Ceterum quoniam olim rei agitatae in animo meo nunc promendae occasio oblata est; mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur, quandocunque excesserit vita. Hoc, si licuerit, ipse praestabo: si me praeceperit fatum, vobis mandas-

se mementote. Ac tum quidem amicos dimisit: ceterum per complures dies ibi stativa habuit.

VII. Haec dum in India geruntur, Graeci milites, nuper in colonias a rege deducti circa Bactra, orta inter ipsos seditione, defecerant, non tam Alexandro infensi, quam metu supplicii. 2. Quippe occisis quibusdam popularium, qui validiores erant, arma spectare coeperunt; et Bactriana arce, quae quasi negligentius asservata erat, occupata, barbaros quoque in societatem defectionis impulerant. 3. Athenodorus erat princeps eorum, qui regis quoque nomen assumpserat, non tam imperii cupidine, quam in patriam revertendi cum iis, qui auctoritatem ipsius sequebantur. 4. Huic Bicon quidam nationis eiusdem, sed ob aemulationem infestus, comparavit insidias, invitatumque ad epulas, per Boxum quendam Maceria-num in convivio occidit. 5. Postero die concione advocata, Bicon ultro insidiatum sibi Athenodorum plerisque persuaserat. Sed aliis suspecta fraus erat Biconis, et paullatim in plures coepit manare suspicio. 6. Itaque Graeci milites arma capiunt, occisuri Biconem, si daretur occasio. Ceterum principes eorum iram multitudinis mitigaverunt. 7. Praeter spem suam Bicon praesenti periculo ereptus, paullo post insidiatus auctoribus salutis suae est: cuius dolo cognito, et ipsum comprehenderunt, et Boxum. 8. Ceterum Boxum protinus placuit interfici: Biconem etiam per cruciatum necari. Iamque corpori tormenta admovebantur, quum [Graeci] milites, incertum ob quam causam, lymphatis similes ad arma discurrunt. 9. Quorum fremitu exaudito, qui torquere Biconem iussi erant, omisere, veriti, ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. 10. Ille, sicut nudatus erat, pervenit ad Graecos; et miserabilis facies supplicio destinati in diversum animos repente mutavit, dimittique eum iusserunt. 11. Hoc modo poena bis liberatus, cum ceteris, qui co-

Ionias a rege attributas reliquerunt, revertit in patriam. Haec circa Bactra et Scytharum terminos gesta. 12. Interim regem duarum gentium, de quibus ante dictum est, centum legati adeunt. Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu; lineae vestes intextae auro, purpuraque distinctae. 13. Ei se dedere ipsos, urbes, agrosque, referebant; per tot aetates inviolatam libertatem illius primum fidei ditionique permissuros. Deos sibi deditiois auctores, non metum; quippe intactis viribus iugum excipere. 14. Rex, consilio habito, deditos in fidem accepit, stipendio, quod Arachosiis utraque natio pensitabat, imposito; praeterea II milia et D equites imperati. Ea omnia obedienter a barbaris facta. 15. Invitatis deinde ad epulas legatis gentium regulisque, exornari convivium iussit. Centum aurei lecti modicis intervallis positi erant; lectis circumdederat aulaea, purpura auroque fulgentia; quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas nova immutatione corruptum erat, confusis utriusque gentis vitiis in illo convivio ostendens. 16. Intererat epulis Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, et ob eximiam virtutem virium regi pernotus et gratus. Invidi malignique increpabant per seria et ludum, saginati corporis sequi inutilem belluam: quum ipsi proelium inirent, oleo madentem praeparare ventrem epulis. 17. Eadem igitur in convivio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei coepit, et postulare, ut, si vir esset, postero die secum ferro decerneret: regem tandem vel de sua temeritate, vel de illius ignavia iudicaturum. 18. Et a Dioxippo, contemptim militarem eludente ferociam, accepta conditio est. Ac postero die rex, quum etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exsequi passus est. 19. Ingens hic militum, inter quos erant Graeci, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo. Macedo iusta arma

sumserat; aereum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, laeva tenens, dextra lanceam: gladioque cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus. 20. Dioxi-ppus, oleo nitens et coronatus, laeva puniceum amiculum, dextra validum nodosumque stipitem praeferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat: quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas, videbatur. 21. Igitur Macedo, haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit; quam Dioxi-ppus quum exigua corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam transferret in dextram, assiluit, et stipite mediam eam fregit. 22. Amisso utroque telo, Macedo gladium coeperat stringere. Quem, occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxi-ppus arietavit in terram, ereptoque gladio, pedem super cervicem iacentis imposuit, stipitem intentans, elisurusque eo victum, ni prohibitus esset a rege. 23. Tristis spectaculi eventus, non Macedonibus modo, sed etiam Alexandro fuit, maxime quia barbari affuerant: quippe celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse [verebatur]. 24. Hinc ad criminationem invidorum adapertae sunt aures regis. Et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur: ministrique, quasi amisissent, quod amoverant, regem adeunt. 25. Saepe minus est constantiae in rubore, quam in culpa. Coniectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, Dioxi-ppus ferre non potuit: et quum excessisset convivio, literis conscriptis, quae regi redderentur, ferro se interemit. 26. Graviter mortem eius tulit rex, existimans indignationis esse, non poenitentiae testem: utique postquam falso insimulatum eum, nimium invidorum gaudium ostendit.

VIII. Indorum legati dimissi domos, paucis post diebus cum donis revertuntur. Trecenti erant equi, mille triginta currus, quos quadriugi equi ducebant, lineae vestis aliquantum, mille scuta Indica, et ferri

candidi talenta centum; 2. leonesque rarae magnitudinis, et tigres, utrumque animal ad mansuetudinem domitum; lacertarum quoque ingentium pelles, et dorsa testudinum. 3. Cratero deinde imperat rex, haud procul amne, per quem erat ipse navigaturus, copias duceret: eos autem, qui comitari eum solebant, imponit in naves, et in fines Mallorum secundo amne devehitur. 4. Inde Sabarcas adiit, validam Indiae gentem, quae populi, non regum imperio regebatur. Sexaginta millia peditum habebant, equitum sex millia: has copias currus quingenti sequebantur. Tres duces spectatos virtute bellica elegerant. 5. At qui in agris erant proximi flumini, (frequentes autem vicos, maxime in ripa, habebant) ut videre totum amnem, qua prospici poterat, navigiis constratum, et tot millium arma fulgentia, territi nova facie, deorum exercitum, et alium Liberum patrem, celebre in illis gentibus nomen, adventare credebant. 6. Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, variaeque nautarum voces hortantium, pavidas aures impleverant. 7. Ergo universi ad eos, qui in armis erant, currunt, furere clamitantes, cum diis proelium inturos. Navigia non posse numerari, quae invictos verherent. Tantumque in exercitum suorum intulere terroris, ut legatos mitterent gentem dedituros. 8. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes quarto die pervenit. Nihilo plus animi his fuit, quam ceteris fuerat. Itaque oppido ibi condito, quod Alexandriam appellari iusserat, fines eorum, qui Musicani appellantur, intravit. 9. Hic de Teriolte satrape, quem Paropamisadis praefecerat, iisdem arguentibus cognovit: multaque avare ac superbe fecisse convictum interfici iussit. 10. Oxyartes, praetor Bactrianorum, non absolutus modo, sed etiam iure amplioris imperii donatus est. Finibus Musicanis deinde in ditio-nem redactis, urbi eorum praesidium imposuit. 11. Inde Praestos, et ipsam Indiae gentem, perventum

est. Porticanus rex erat, qui se munitae urbi cum magna manu popularium incluserat. Hanc Alexander tertio die, quam coeperat obsidere, expugnavit. 12. Et Porticanus, quum in arcem confugisset, legatos de conditione deditiois misit ad regem: sed antequam adirent eum, duae turres cum ingenti fragore prociderant, per quarum ruinas Macedones evasere in arcem; qua capta, Porticanus cum paucis repugnans occiditur. 13. Diruta igitur arce, et omnibus captivis venundatis, Sabi regis fines ingressus est; multisque oppidis in fidem acceptis, validissimam gentis urbem cuniculo cepit. 14. Barbaris simile monstri visum est, rudibus militarium operum; quippe in media ferme urbe armati e terra existebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto. 15. Octoginta millia Indorum in ea regione caesa Clitarchus est auctor, multosque captivos sub corona venisse. 16. Rursus Musicani defecerunt, ad quos opprimendos missus est Pithon, qui captum principem gentis, eundemque defectionis auctorem, adduxit ad regem. Quo Alexander in crucem sublato rursus amnem, in quo classem expectare se iusserat, repetit. 17. Quarto deinde die secundo amne pervenit ad oppidum, quod in regno erat Sabi. Nuper se ille dediderat, sed oppidani detrectabant imperium, et clause-rant portas. 18. Quorum paucitate contemta, rex quingentos Agrianos moenia subire iusserat, et sensim recedentes elicere extra muros hostem, secuturum profecto, si fugere eos crederet. 19. Agriani, sicut imperatum erat, laccessito hoste, subito terga vertunt; quos barbari effuse sequentes, in alios, inter quos ipse rex erat, incidunt. Renovato ergo proelio, ex tribus millibus barbarorum quingenti caesi sunt, mille capti, ceteri moenibus urbis inclusi. 20. Sed non ut prima specie laeta victoria, ita eventu quoque fuit: quippe barbari veneno tinxerant gladios. Itaque saucii subinde exspirabant; nec causa

tam strenuae mortis excogitari poterat a medicis, quum etiam leves plagae insanabiles essent. 21. Barbari autem speraverant, incautum et temerarium regem excipi posse. Et forte, inter promptissimos dimicans, intactus evaserat. 22. Praecipue Ptolemaeus, laevo humero leviter quidem saucius, sed maiore periculo quam vulnere affectus, regis sollicitudinem in se converterat. Sanguine coniunctus erat, et quidam Philippo genitum esse credebant; certe pellice eius ortum constabat. 23. Idem corporis custos, promptissimusque bellator; et pacis artibus quam militiae maior et clarior, modico civilique cultu, liberalis in primis, adituque facilis, nihil ex fastu regio assumserat. 24. Ob haec regi an popularibus carior esset, dubitari poterat: tum certe primum expertus suorum animos, adeo ut fortunam, in quam postea ascendit, in illo periculo Macedones ominati esse videantur. 25. Quippe non levior illis Ptolemaei fuit cura, quam regis: qui, et proelio et sollicitudine fatigatus, quum Ptolemaeo assideret, lectum, in quo ipse adquiesceret, iussit inferri. 26. In quem ut se recepit, protinus altior insecutus est somnus. Ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. 27. Colorem quoque herbae referebat, agniturum, si quis reperisset, affirmans. Inventam deinde, quippe a multis erat requisita, vulnerei imposuit: protinusque dolore finito, intra breve spatium cicatrix quoque obducta est. 28. Barbaros ut prima spes fefellerat, se ipsos urbemque dediderunt. Hinc in proximam gentem Pataliam perventum est. Rex erat Moeris, qui urbe deserta in montes profugerat. 29. Itaque Alexander oppido potitur, agrosque populatur. Magnae inde praedae actae sunt pecorum armentorumque, magna vis repta frumenti. 30. Ducibus deinde sumtis annis peritis, defluxit ad insulam medio ferme alveo enatam.

IX. Ibi diutius subsistere coactus, quia duces sociordius asservati profugerant, misit qui conquirerent alios; nec repertis, pervicax cupido visendi Oceanum, adeundique terminos mundi, adegit ut sine regionis peritis, flumini ignoto caput suum, totque fortissimorum virorum salutem permetteret. 2. Navigabant ergo, omnium per quae ferebantur ignari. Quantum inde abesset mare, quae gentes colerent, quam placidum amnis os, quam patiens longarum navium esset, anceps et caeca aestimatio augurabatur. Unum erat temeritatis solatium, perpetua felicitas. 3. Iam CCCC stadia processerant, quum gubernatores agnoscere ipsos auram maris, et haud procul videri sibi Oceanum abesse, indicant regi. 4. Laetus ille hortari nauticos coepit, incumberent remis. Adesse finem laboris omnibus votis expetitur. Iam nihil gloriae deesse; nihil obstare virtuti: sine ullo Martis discrimine, sine sanguine orbem terrae ab illis capi. Ne naturam quidem longius posse procedere. Brevi incognita, nisi immortalibus, esse visuros. 5. Paucos tamen navigio emisit in ripam, qui agrestes vagos exciperent, e quibus certiora nosci posse sperabat. Illi scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperere. 6. Qui interrogati, quam procul abesset mare? responderunt, nullum ipsos mare ne fama quidem accepisse: ceterum tertio die perveniri posse ad aquam amaram, quae corrumpet dulcem. Intellectum est, mare destinari ab ignaris naturae eius. 7. Itaque ingenti alacritate nautici remigant, et proximo quoque die, quo propius spes admovebatur, crescebat ardor animorum. Tertio iam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc aestu confundente dispares undas. 8. Tum aliam insulam medio anni sitam evecti paullo lentius, quia cursus aestu reverberabatur, applicant classem, et ad commeatus petendos discurrunt, securi casus eius, qui supervenit ignaris. 9. Tertia ferme hora erat, quum stata vice

Oceanus exaestuans invehi coepit, et retro flumen urgere. Quod primo coërcitum, deinde vehementius pulsum, maiore impetu adversum agebatur, quam torrentia praecipiti alveo incurrunt. 10. Ignota vulgo freti natura erat, monstraque et irae Deum indicia cernere videbantur. Identidem intumescere mare, et in campos paullo ante siccos descendere superfusum. 11. Iamque levatis navigiis, et tota classe dispersa, qui expositi erant, undique et naves trepidi et improviso malo attoniti recurrunt. 12. Sed in tumultu festinatio quoque tarda est. Hi contis navigia appellebant; hi dum remos aptari prohibebant, considerant. 13. Quidam enavigare properantes, sed non exspectatis, qui simul esse debebant, clauda et inhabilia navigia languide moliebantur: aliae navium inconsulte ruentes non receperant; pariterque et multitudo, et paucitas festinantes morabatur. 14. Clamor hinc exspectare, hinc ire iubentium, dissonaeque voces nusquam idem ac unum tendentium, non oculorum modo usum, sed etiam aurium abstulerant. 15. Ne in gubernatoribus quidem quidquam opis erat, quorum nec exaudiri vox a tumultuantibus poterat, nec imperium a territis incompositisque servari. 16. Ergo collidi inter se naves, abstergerique invicem remi, et alii aliorum navigia urgere coeperunt. Crederes non unius exercitus classem vehi, sed duorum navale inisse certamen. 17. Incutiebantur puppibus prorae; premebantur a sequentibus, qui antecedentes turbaverant: iurgantium ira perveniebat etiam ad manus. 18. Iamque aestus totos circa flumen campos inundaverat, tumultis dumtaxat eminentibus, velut insulis parvis: in quos plerique trepidi, omissis navigiis, enare coeperunt. 19. Dispersa classis partim in praealta aqua stabat, qua subsederant valles, partim in vado haerebat, utcunque inaequale terrae fastigium occupaverant undae: quum subito novus, et pristino maior terror incutitur. 20.

Reciprocari coepit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus; reddebatque terras paullo ante profundo salo mersas. Igitur destituta navigia alia praecipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi sarcinis, armis, avulsarum tabularum remorumque fragmentis. 21. Miles nec egredi in terram, nec in naves subsistere audebat; identidem praesentibus graviora, quae sequerentur, exspectans. Vix quae perpetiebantur, videre ipsos credebant, in sicco naufragia, in amni mare. 22. Nec finis malorum. Quippe aestum paullo post mare relaturum, quo navigia allevarentur, ignari, famem et ultima sibimet ominabantur. Belluae quoque fluctibus destitutae terribiles vagabantur. 23. Iamque nox appetebat, et regem quoque desperatio salutis aegritudine affecerat. Non tamen invictum animum curae obruunt, quin tota nocte praesideret in speculis, equitesque praemitteret ad os amnis, ut, quum mare rursus exaestuare sensissent, praecederent. 24. Navigia quoque lacerata refici, et eversa fluctibus erigi iubet, paratosque esse et intentos, quum rursus mare terras inundasset. 25. Tota ea nocte inter vigilias adhortationesque consumpta, celeriter et equites ingenti cursu refugere, et secutus est aestus. Qui primo aquis leni tractu subeuntibus coepit levare navigia; mox totis campis inundans, etiam impulit classem. 26. Plaususque militum nauticorumque, insperatam salutem immodico celebrantium gaudio, litoribus ripisque resonabat. Unde tantum redisset subito mare? quo pridie refugisset? quae nam esset eiusdem elementi natura, modo discors, modo imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. 27. Rex quum ex eo, quod acciderat, coniectaret, post solis ortum statum tempus esse; media nocte, ut aestum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxit. Eiectusque os eius, quadringenta stadia processit in mare, tandem voti sui com-


pos: praesidibusque et maris et locorum diis sacrificio facto, ad classem rediit.

X. Hinc adversum flumen subiit classis, et altero die appulsa est haud procul lacu salso, cuius ignota natura plerosque decepit temere ingressos aquam: quippe scabies corpora invasit, et contagium morbi etiam in alios vulgatum est. Oleum remedio fuit. 2. Leonnato deinde praemisso, ut puteos foderet, qua terrestri itinere ducturus exercitum videbatur, (quippe sicca erat regio,) ipse cum copiis substitit, vernum tempus exspectans. Interim et urbes plerasque condidit. 3. Nearchus atque Onesicritus, nauticae rei peritis, imperavit, ut validissimas navium deducerent in Oceanum, progressisque quoad tuto posset, naturam maris noscerent: vel eodem amne, vel Euphrate subire eos posse, quum reverti ad se velent. 4. Iamque mitigata hieme, et navibus, quae inutiles videbantur, crematis, terrâ ducebat exercitum. 5. Nonis castris in regionem Arabitarum, inde totidem diebus in Gedrosiorum regionem perventum est. Liber hic populus, concilio habito, dedit se; nec quidquam deditis praeter commeatus imperatum est. 6. Quinto hinc die venit ad flumen, Arabon incolae appellant. Regio deserta et aquarum inops excipit: quam emensus, in Horitas transit. Ibi maiorem exercitus partem Hephaestioni tradidit; levem armaturam cum Ptolemaeo Leonnatoque partitus est. 7. Tria simul agmina populabantur Indos; magnaeque praedae actae sunt. Maritimos Ptolemaeus, ceteros ipse rex, et ab alia parte Leonnatus, urebant. In hac quoque regione urbem condidit, deductique sunt in eam Arachosii. 8. Hinc pervenit ad maritimos Indos. Desertam vastamque regionem late tenent, ac ne cum finitimis quidem ullo commercii iure miscentur. 9. Ipsa solitudo natura quoque immitia efferavit ingenia. Prominent ungues nunquam recisi; comae hirsutae et intonsae sunt. 10. Tuguria

conchis, et ceteris purgamentis maris, instruunt. Ferarum pellibus tecti, piscibus sole duratis, et maiorum quoque belluarum, quas fluctus eiicit, carne vescuntur. 11. Consumtis igitur alimentis, Macedones primo inopiam, deinde ad ultimum famem sentire coeperunt; radices palmarum, (namque sola ea arbor gignitur,) ubique rimantes. 12. Sed quum haec quoque alimenta defecerant, iumenta caedere aggressi, ne equis quidem abstinebant; et quum deessent quae sarcinas veherent, spolia de hostibus, propter quae ultima Orientis peragraverant, cremabant incendio. 13. Famem deinde pestilentia secuta est: quippe insalubrium ciborum novi succi, ad hoc itineris labor, et aegritudo animi, vulgaverant morbos; et nec manere sine clade, nec progredi poterant: manentes famem, progressos acrior pestilentia urgebat. 14. Ergo strati erant campi paene pluribus semivivis, quam cadaveribus. Ac ne levius quidem aegri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum itineris festinando praecipere. 15. Igitur qui defecerant, notos ignotosque, ut allevarentur, orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi possent; et miles vix arma portabat, imminentisque etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo saepius revocati, ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa. 16. Illi relictis, Deos testes, sacra communia, regisque implorabant opem: quumque frustra surdas aures fatigarent, in rabiem desperatione versi, parem suo exitum, similesque ipsis amicos et contubernales precabantur. 17. Rex, dolore simul et pudore anxius, quia causa tantae cladis ipse esset, ad Phrataphernem Parthorum satrapen misit, qui iuberet camelis cocta cibaria afferre: alios quoque finitimarum regionum praefectos certiores necessitatis suae fecit. Nec cessatum est ab his. 18. Itaque fame dumtaxat vindicatus exercitus, tandem

in Gedrosiae fines perducitur. Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua stativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret. 19. Hic Leonnati literas accipit, conflixisse ipsum cum octo millibus peditum et quingentis equitibus Horitarum, prospero eventu. A Cratero quoque nuntius venit, Ozinem et Zariaspem, nobiles Persas, defectionem molientes oppressos a se, in vinculis esse. 20. Praeposito igitur regioni Sibyratio, (namque Menon praefectus eius nuper interierat morbo) in Carmaniam ipse processit. 21. Aspastes erat satrapes gentis, suspectus res novare voluisse, dum in India rex esset. Quem occurrentem, dissimulata ira, comiter allocutus, dum exploraret quae delata erant, in eodem honore habuit. 22. Quum Indiae praefecti, sicut imperatum erat, equorum iumentorumque iugalium vim ingentem ex omni, quae sub imperio erat, regione misissent, quibus deerant impedimenta, restituit. 23. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum: quippe haud procul a Perside aberant, non pacata modo, sed etiam opulenta. 24. Igitur, ut supra dictum est, aemulatus Patris Liberi non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportaverat, sed etiam famam, (sive illud triumphus fuit ab eo primum institutus, sive bacchantium lusus) statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. 25. Vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet: liminibus aedium crateras vino repletas, et alia eximiae magnitudinis vasa disponi: vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. 26. Primi ibant amici et cohors regia, variis redimita floribus coronisque; alibi tibicinum cantus, alibi lyrae sonus audiebatur: item in vehiculis, pro copia cuiusque adornatis, comessabundus exercitus, armis quae maxime decora erant circumpendentibus. Ipsum convivasque currus vehebat, crateris aureis

eiusdemque materiae ingentibus poculis praegravis. 27. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit; parata praeda, si quid victis saltem adversus comessantes animi fuisset: mille hercule, viri modo et sobrii, septem dierum crapula graves in suo triumpho capere potuerunt. 28. Sed fortuna, quae rebus formam pretiumque constituit, hic quoque militiae probrum vertit in gloriam. Et praesens aetas, et posteritas deinde mirata est, per gentes nondum satis domitas incessisse temulentos, barbaris, quod temeritas erat, fiduciam esse credentibus. 29. Hunc apparatus carnifex sequebatur: quippe satrapes Aspastes, de quo ante dictum est, interfici iussus est. 30. Adeo nec luxuriae quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.



Q. CURTII RUFII
DE
REBUS GESTIS
ALEXANDRI MAGNI
HISTORIARUM
LIBER X.

ARGUMENTUM.

1. Cleander et alii praefecti copiarum, quae in Media relictæ erant, delictorum veniam impetrant, dum nonnulli minus facinorosi puniuntur. Alexandri consilium de Occidentali Europae parte perlustranda: liberalitas erga Abisaris filium, et in Orsinem, nobilissimum satrapam, crudelitas. 2. Dum turbatum Graeciae statum pacare, et ex militibus, aere alieno liberatis, alios remittere domum, alios retinere cogitat, in castris oritur seditio: quam gravi oratione et regia auctoritate compefcit. 3. Seditiosis supplicio affectis, totius exercitus dissipat consilia, et Persis credit corporis sui custodiam. 4. Oratio Macedonis militis vincti. Coniuratio in Alexandrum, qui veneno exstinguitur. 5. Dicta et gesta eiusdem ante obitum. Quantum a suis fuerit desideratus, praecipue vero a Darii matre; quae dolori succumbens, paullo post exstincta est.

Alexandri elogium. 6. De successore Alexandri inter Magnates consultatio, et variae sententiae. 7. Aridaeus, Philippo genitus, Meleagro promovente, a quibusdam rex salutatur. Unde civilis belli semina. 8. Primarii duces Meleagri artibus occurrunt. Aridaeus autem, pacis studiosus, tumultum componere media quadam ratione conatur. 9. Perdicas Meleagrum et trecentos fere alios, qui eum secuti fuerant, dolo opprimit. 10. Alexandri imperium in partes divisum: cuius summa Aridaeo tributa, provinciae autem magnatibus. Defuncti regis corpus ab amicis curatum, et tandem Alexandriam Aegypti translatum est.

I. **I**isdem fere diebus Cleander et Sitalces, et cum Agathone Heracon superveniunt, qui Parmenionem iussu regis occiderant: quinque millia peditum cum equitibus mille. 2. Sed et accusatores eos e provincia, cui praefuerant, sequebantur; nec tot facinora, quot admiserant, compensare poterant caedis perquam gratae regi ministerio. 3. Quippe quum omnia profana spoliassent, ne sacris quidem abstinerant: virginesque et principes feminarum, stupra perpessae, corporum ludibria deslebant. 4. Invisum Macedonum nomen avaritia eorum ac libido barbaris fecerat. 5. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem constupratam servo suo pellicem dederat. 6. Plerique amicorum Alexandri non tam criminum, quae palam obiiciebantur, atrocitatem, quam memoriam occisi per eos Parmenionis, quod tacitum prodesse reis apud regem poterat, intuebantur: laeti recidisse iram in irae ministros, nec ullam potentiam scelere quaesitam cuiquam esse diuturnam. 7. Rex, cognita causa, pronuntiavit, ab accusatoribus unum et id maximum crimen esse praeteritum, desperationem salutis suae: nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum. 8. Igitur hos quidem vinxit; DC autem militum, qui saevitiae

eorum ministri fuerant, interfici iussit. 9. Eodem die sumtum est supplicium de iis quoque, quos auctores defectionis Persarum Craterus adduxerat. 10. Haud multo post Nearchus et Onesicritus, quos longius in Oceanum procedere iusserat, superveniunt. 11. Nuntiabant autem quaedam audita, alia comperita: insulam ostio amnis subiectam auro abundare, inopem equorum esse: singulos equos ab iis, qui ex continenti traicere auderent, singulis talentis emi. 12. Plenum esse belluarum mare; aestu secundo eas ferri, magnarum navium corpora aequantes: truci cantu deterritas sequi classem, cum magno aequoris strepitu, velut demersa navigia, subisse aquas. 13. Cetera incolis crediderant: inter quae, Rubrum mare non a colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythra rege appellari. 14. Esse haud procul a continenti insulam palmetis frequentibus consitam, et in medio fere nemore columnam eminere, Erythrae regis monumentum, literis gentis eius scriptam. 15. Adiiciebant, navigia, quae lixas mercatoresque vexissent, famam auri secutis gubernatoribus in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea visa. 16. Rex, cognoscendi plura cupidine accensus, rursus eos terram legere iubet, donec ad Euphraten appellerent classem; inde adverso amne Babylonem subituros. 17. Ipse, animo infinita complexus, staturat omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus: inde Numidiae solitudinibus peragratis, cursum Gades dirigere. Ibi namque columnam Herculis esse fama vulgaverat. 18. Hispanias deinde, quas Iberiam Graeci a flumine Ibero vocabant, adire; et praetervehi Alpes, Italiaeque oram, unde in Epirum brevis cursus est. 19. Igitur Mesopotamiae praetoribus imperavit, materia in Libano monte caesa, devectaque ad urbem Syriae Thapsacum ingentium carinas navium ponere: septiremes omnes esse, deducique

Babylonem. Cypriorum regibus imperatum, ut aes stuppamque et vela praeberent. 20. Haec agenti Pori et Taxilis regum literae traduntur, Abisarem morbo, Philippum, praefectum ipsius, ex vulnere interiisse, oppressosque qui vulnerassent eum. 21. Igitur Philippo substituit Eudaemonem. Dux erat Thracum. Abisaris regnum filio eius attribuit. 22. Ventum est deinde Persagada: Persica est gens, cuius satrapes Orsines erat, nobilitate ac divitiis inter omnes barbaros eminens. 23. Genus ducebat a Cyro, quondam rege Persarum: opes et a maioribus traditas habebat, et ipse longa imperii possessione cumulaverat. 24. Is regi cum omnis generis donis, non ipsi modo ea, sed etiam amicis eius daturus, occurrit. Equorum domiti greges sequebantur, currusque argento et auro adornati, pretiosa supellex, et nobiles gemmae; aurea magni ponderis vasa, vestesque purpureae, et signati argenti talentum quatuor millia. 25. Ceterum tanta benignitas barbaro causa mortis fuit. Nam quum omnes amicos regis donis super ipsorum vota coluisset; Bagoae spadoni, qui Alexandrum obsequio corporis devinxerat sibi, nullum honorem habuit. 26. Admonitusque a quibusdam, quam Alexandro cordi esset, respondit, amicos regis, non scorta, se colere: nec moris esse Persis, mares ducere, qui stupro effeminarentur. 27. His auditis, spado potentiam flagitio et dedecore quaesitam in caput nobilissimi et insontis exercuit. Namque gentis eiusdem levissimos falsis criminibus adstruxit, monitos tum demum ea deferre, quum ipse iussisset. 28. Interim, quoties sine arbitris erat, credulas regis aures implebat, dissimulans causam irae, quo gravior criminantis auctoritas esset. 29. Nondum suspectus erat Orsines, iam tamen vilior. Reus enim in secreto agebatur, latentis periculi ignarus: et importunissimum scortum, ne in stupro quidem et dedecoris patientia fraudis oblitum, quoties amorem

regis in se accenderat, Orsinem modo avaritiae, interdum etiam defectionis, arguebat. 30. Iam matura erant in perniciem innocentis mendacia, et fatum, cuius inevitabilis sors est, appetebat. Forte enim sepulcrum Cyri Alexander iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. 31. Auro argentoque repletum esse crediderat, quippe ita fama Persae vulgaverant; sed praeter clypeum eius putrem, et arcus duos Scythicos, et acinacem, nihil reperit. 32. Ceterum corona aurea imposita amiculo, cui assueverat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velavit; miratus, tanti nominis regem, tantis praeditum opibus, haud pretiosius sepultum esse, quam si fuisset e plebe. 33. Proximus erat lateri spado, qui regem intuens, *Quid mirum, inquit, est, inania sepulcra esse regum, quum satraparum domus aurum inde egestum capere non possint?* 34. *Quod ad me attinet, ipse hoc bustum antea non videram: sed ex Dario ita accepi, tria millia talentum condita esse cum Cyro.* 35. *Hinc illa benignitas in te, ut, quod impune habere non poterat Orsines, donando etiam gratiam iniret.* 36. Concitaverat iam animum in iram: quum ii, quibus negotium idem dederat, superveniunt. Hinc Bagoas, hinc ab eo subornati, falsis criminibus occupant aures. 37. Antequam accusari se suspicaretur Orsines, in vincula traditus est. Non contentus supplicio insontis spado, ipse morituro manum iniecit. Quem Orsines intuens, *Audieram, inquit, in Asia olim regnasse feminas; hoc vero novum est, regnare castratum!* 38. Hic fuit exitus nobilissimi Persarum, nec insontis modo, sed eximiae quoque benignitatis in regem. 39. Eodem tempore Phradates, regnum affectasse suspectus, occiditur. Coeperat esse praeceps ad repraesentanda supplicia; item, ad deteriora credenda. 40. Sic scilicet res secundae valent commutare naturam; et raro quisquam erga bona sua satis cautus est. 41. Idem enim paullo ante

Lyncestem Alexandrum, delatum a duobus indicibus, damnare non sustinuerat: humiliores quoque reos contra suam voluntatem, quia ceteris videbantur insones, passus absolvi: hostibus victis regna reduxerat. 42. Ad ultimum a semetipso degeneravit usque adeo, ut adversus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam. 43. Iisdem fere diebus literas a Coeno accepit de rebus in Europa et Asia gestis, dum ipse Indiam subegit. 44. Zopyrio, Thraciae praepositus, dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subito coortis, cum toto exercitu oppressus erat. 45. Qua cognita clade, Seuthes Odrysas populares suos ad defectionem compulerat. Amissa propemodum Thracia, ne Graecia quidem * *

(FREINSHEMII SUPPLEMENTUM.)

[tumultibus inconcussa mansit. 46. Nam Alexander, punita satraparum quorundam insolentia, quam, dum in extremo orbe Indorum armis attinetur, per summa scelera atque flagitia in provinciales exercuerant, ceterorum metum intenderat: qui in paribus delictis idem admissorum praemium exspectantes, in mercenariorum militum fidem confugiebant, illorum manibus, si ad supplicium poscerentur, salutem suam tutaturi; aut pecunia, quanta poterat, coacta, fugam inibant. 47. Ea re cognita, literae ad omnes Asiae praetores missae sunt, quibus inspectis e vestigio omnes peregrinos milites, qui stipendia sub ipsis facerent, dimittere iuebantur. 48. Erat inter eos Harpalus, quem Alexander, quod ob ipsius amicitiam olim a Philippo eiectus solum vertisset, inter fidissimos habebat, et post Mazaei mortem satrapia Babyloniae donaverat, thesaurorumque custodiae praefecerat. 49. Is igitur quum fiduciam, quam in propensissima regis gratia habere poterat, magnitudine flagitiorum consumsisset, quinque talentorum millia ex

gaza regia rapit, conductaque sex millium mercenariorum manu, in Europam evadit. 50. Iampridem enim luxu et libidinibus in praeceps tractus, desperataque apud regem venia, adversus iram ipsius in alienis opibus subsidium circumspicere coeperat; et Athenienses, quorum non contemnendam potentiam, et apud ceteros Graecos auctoritatem, tum occultum in Macedonas odium norat, sedulo coluerat. 51. Itaque spem suis faciebat, Athenienses adventu suo cognito, copiisque et pecuniis, quas adduceret, coram inspectis, protinus arma consiliaque sociaturos esse. Nam apud populum imperitum et mobilem, per homines improbos et avaritia venales, omnia se muneribus consecuturum existimabat.]

II. Igitur triginta navibus Sunium transmittunt, (promontorium est Atticae terrae,) unde portum urbis petere decreverant. 2. His cognitis, rex Harpalo Atheniensibusque iuxta infestus classem parari iubet, Athenas protinus petiturus. 3. Quod consilium dum agit, clam literae ei redduntur, Harpalum intrasse quidem Athenas, pecunia conciliasse sibi principum animos: mox, concilio plebis habito, iussum urbe excedere, ad Graecos milites pervenisse, a quibus interceptum et trucidatum a quodam Thymbrone per insidias. 4. His laetus in Europam traiciendi consilium omisit: sed exsules, praeter eos qui civili sanguine adpersi erant, recipi ab omnibus Graecorum civitatibus, quis pulsus erant, iussit. 5. Et Graeci, haud ausi imperium aspernari, quamquam solvendarum legum id principium esse censebant, bona quoque, quae exstarent, restituere damnatis. 6. Solum Athenienses, non suae modo, sed etiam publicae vindices libertatis, colluvionem hominum, quia aegre ferebant, non regio imperio, sed legibus moribusque patriis regi assueti, prohibuere finibus; 7. omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suae, tunc etiam exsilii, admitterent. 8. Alexander,

senioribus militum in patriam remissis, tredecim millia peditum et duo millia equitum, quae in Asia retineret, eligi iussit, existimans, modico exercitu continere posse Asiam, quia pluribus locis praesidia disposuisset; nuperque conditas urbes, quas colonis repleret, res novare cupientibus obstare. 9. Ceterum, priusquam secerneret quos erat retenturus, edixit, ut omnes milites aes alienum profiterentur. Grave plerisque esse compererat: et quamquam ipsorum luxu contractum erat, dissolvere tamen ipse decreverat. 10. Illi, tentari ipsos rati, quo facilius ab integris sumtuosos discerneret, prolatando aliquantum extraxerant temporis. Et rex satis gnarus, professioni aeris pudorem, non contumaciam obstare, mensas totis castris poni iussit, et decem millia talentum proferri. 11. Tum demum fide facta professi sunt, nec amplius ex tanta pecunia, quam centum et triginta talenta, superfuere. Adeo ille exercitus, tot ditissimarum gentium victor, plus tamen victoriae, quam praedae, deportavit ex Asia. 12. Ceterum ut cognitum est, alios remitti domum, alios retineri; perpetuam eum regni sedem in Asia habiturum rati, vecordes et disciplinae militaris immemores, seditiosis vocibus castra complent; regemque ferocius quam alias adorti, omnes simul missionem postulare coeperunt, deformia ora cicatricibus, canitiemque capitum ostentantes. 13. Nec aut praefectorum castigatione, aut verecundia regis deterriti, tumultuoso clamore et militari violentia volentem loqui inhibebant; palam professi, nusquam inde, nisi in patriam, vestigium esse moturos. 14. Tandem silentio facto, magis quia motum esse credebant, quam quia ipsi moveri poterant, quidnam dicturus esset, expectabant. 15. Ille, *Quid haec, inquit, repens consternatio, et tam procax atque effusa licentia denuntiat? Eloqui metuo: palam certe rupistis imperium, et precario rex sum; cui non alloquendi, non noscendi mo-*

nenidique aut intuendi vos ius reliquistis. 16. Equidem quum alios dimittere in patriam, alios mecum paullo post deportare statuerim; tam illos acclamantes video qui abituri sunt, quam hos cum quibus praemissos subsequi statui. 17. Quid hoc est rei? dispari in causa idem omnium clamor est! Peroelim scire, utrum qui discedunt, an qui retinentur, de me querantur. 18. Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem; ita pariter ex tota concione responsum est, omnes queri. 19. Tum ille, Non hercule, inquit, potest fieri, ut adducar, querendi simul omnibus hanc causam esse, quam ostenditis; in qua maior pars exercitus non est, utpote quum plures dimiserim, quam retenturus sum. 20. Subest nimirum altius malum, quod omnes avertit a me. Quando enim regem universus exercitus deseruit? Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos; sed est quidam in illis pudor a ceteris destitutos relinquendi. 21. Verum ego tam furiosae consternationis oblitus, remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem hercule spem, quam ex vobis conceperam, damno; nec ut cum militibus meis, (iam enim esse desistis,) sed ut cum ingratis operis, agere decrevi. 22. Secundis rebus, quae circumfluunt vos, insanire coepistis; obliti status eius, quem beneficio exuistis meo; digni hercule, qui in eodem consenescat; quoniam facilius est vobis adversam, quam secundam, regere fortunam. 23. En tandem! Illyriorum paullo ante et Persarum tributariis, Asia et tot gentium spolia fastidio sunt. Modo sub Philippo seminudis, amicula ex purpura sordent; aurum et argentum oculi ferre non possunt: lignea enim vasa desiderant, et ex cratibus scuta, rubiginemque gladiatorum. 24. Hoc cultu nitentes vos accepi, et quingenta talenta aeris alieni: quum omnis regia supellex haud amplius quam sexaginta talentorum esset, meorum operum fundamenta. Quibus tamen (absit invidia) imperium maximae terrarum partis imposui. 25. Asiaene pertaesum est, quae vos gloria rerum gestarum

Diis pares fecit? In Europam ire properatis, rege deserto, quum pluribus vestrum defuturum viaticum fuerit, ni aes alienum luissem: nempe in Asiatica praeda. 26. Nec pudet profundo ventre devictarum gentium spolia circumferentes, reverti velle ad liberos coniugesque, quibus pauci praemia victoriae potestis ostendere. Nam ceterorum, dum etiam spei vestrae obviam istis, arma quoque pignori sunt. 27. Bonis vero militibus cariturus sum, pellicum suarum concubinis: quibus hoc solum ex tantis opibus superest, in quod impenditur. Proinde fugientibus me pateant limites: facescite hinc ocius; ego cum Persis abeuntium terga tabor. Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratisimi cives. 28. Laeti vos excipient parentes liberique, sine vestro rege redeuntes! obviam ibunt desertoribus transfugisque! 29. Triumphabo mehercule de fuga vestra, et ubicunque ero, expetam poenas, hos, cum quibus me reliquistis, colendo, praeferendoque vobis. Iam autem scietis, et quantum sine rege valeat exercitus, et quid opis in me uno sit. 30. Desiluit deinde frendens de tribunali, et in medium armatorum agmen se immisit; notatos quoque, qui ferocissimi oblocuti erant, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, tredecim asservandos custodibus corporis tradidit.

III. Quis crederet, saevam paullo ante concionem obtorpuisse subito metu, et quum ad supplicium videret trahi nihil ausos graviora, quam ceteros, * 2. [tam effusam antea licentiam atque seditiosam militum violentiam ita compressam, ut non modo nullus ex omnibus irruenti regi restiterit; verum etiam cuncti pavore exanimati, attonitis similes, quid de ipsis quoque rex statuendum censeret, suspensa mente expectarent. 3. Itaque *] sive nominis, quod gentes, quae sub regibus sunt, inter Deos colunt, sive propria ipsius veneratio, sive fiducia tanta vi exercentis imperium conterruit eos: singulare certe ediderunt

patientiae exemplum; 4. adeoque non sunt accensi supplicio commilitonum, quum sub noctem interfectos esse nossent, ut nihil omiserint, quod singuli magis obedienter ac pie facerent. 5. Nam quum postero die prohibiti aditu venissent, Asiaticis modo militibus admissis, lugubrem totis castris edidere clamorem, denuntiantes, protinus esse morituros, si rex perseveraret irasci. 6. At ille pervicacis ad omnia, quae agitasset, animi, peregrinorum militum concionem advocari iubet, Macedonibus intra castra cohibitis: et quum frequentes coissent, adhibito interprete, talem orationem habuit. 7. *Quum ex Europa traicerem in Asiam, multas nobiles gentes, magnam vim hominum imperio meo me additurum esse sperabam. Nec deceptus sum, quod de his credidi fama.* 8. *Sed ad illa hoc quoque accessit, quod video fortes viros erga reges suos pietatis invictae.* 9. *Luxu omnia fluere credideram, et nimia felicitate mergi in voluptates. At hercule munia militiae hoc animorum corporumque robore aequae impigre toleratis; et quum fortes viri sitis, non fortitudinem magis, quam fidem colitis.* 10. *Hoc ego [non] nunc primum profiteor, sed olim scio. Itaque et delectum e vobis iuniorum habui, et vos meorum militum corpori immiscui. Idem habitus, eadem arma sunt vobis: obsequium vero et patientia imperii longe praestantior est, quam ceteris.* 11. *Ergo ipse Oxyartis Persae filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiva liberos tollere.* 12. *Mox deinde quum stirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi; proximisque amicorum auctor fui ex captivis generandi liberos: ut hoc sacro foedere omne discrimen victi et victoris excluderem.* 13. *Proinde genitos esse vos mihi, non adscitos milites credite. Asiae et Europae unum atque idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem, et cives mei estis et milites; omnia eundem ducunt colorem.* 14. *Nec Persis Mace-*

*donum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari indecorum est. Eiusdem iuris esse debent, qui sub eodem rege victuri sunt. * * **

(SUPPLEMENTUM ANTIQUIUS.)

15. [Hac oratione habita, Persis corporis sui custodiam credidit, Persas satellites, Persas apparitores fecit. Per quos quum Macedones, qui huic seditioni occasionem dedissent, vincti ad supplicia traherentur, unum ex iis, auctoritate et aetate gravem, ad regem ita locutum ferunt:]

IV. *Quousque, inquit, animo tuo etiam per supplicia, et quidem externi moris, obsequeris? Milites tui, cives tui, incognita causa, captivis suis ducentibus, trahuntur ad poenam! Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicii muta.* 2. Amico animo, si veri patiens fuisset, admonebatur; sed in rabiem ira pervenerat. Itaque rursus (nam parumper, quibus imperatum erat, dubitaverant,) mergi in amnem, sicut vincti erant, iussit. 3. Nec hoc quidem supplicium seditionem militum movit. Namque copiarum duces atque amicos eius, manipuli adeunt, petentes, ut, si quos adhuc pristina noxa iudicaret esse contactos, iuberet interfici: offerre se corpora irae; trucidaret. * * *

(FREINSHEMII SUPPLEMENTUM.)

4. [Tandem prae dolore vix mentis compotes universi concurrunt ad regiam, armisque ante fores proiectis, tunicati adstantes, nuda et obnoxia poenis corpora admitti flentes orabant. Non se deprecari, quin suppliciis sontium expiarentur, quae per contumaciam deliquissent. Regis iracundiam sibi morte tristiores esse. 5. Quumque dies noctesque ante regiam persistentes, miserabili clamore habituque poenitentiam suam approbarent; biduum tamen adversus humillimas suorum preces iracundia regis du-

ravit. Tertio die victus constantia supplicum, processit; incusataque leniter exercitus immodestia, non sine multis utrinque lacrimis, in gratiam se cum ipsis redire professus est. Digna tamen res visa est, quae maioribus hostiis expiaretur. Itaque sacrificio magnifice perpetrato, Macedonum simul Persarumque primores invitavit ad epulas. 6. Novem millia eo convivio excepisse, proditum est memoriae, eosque omnes invitante rege ex eodem cratere libavisse, Graecis barbarisque vatibus tum alia fausta vota praeaeuntibus, tum inprimis ut ea utriusque imperii in idem corpus coalita societas perpetua foret. Maturata deinde est missio, et infirmissimus quisque exauctorati. 7. Amicorum quoque seniorum quibusdam com meatum dedit. Ex quibus Clitus cognomento Albus, Gorgiasque et Polydamas, et Antigenes fuere. Abeuntibus non modo praeteriti temporis stipendia cum fide persolvit, verum etiam talentum adiecit in singulos milites, viatici nomine. 8. Filios ex Asiaticis uxoribus susceptos (ad decem millia fuisse traditur) apud se relinqui iussit, ne in Macedoniam cum parentibus transgressi, et coniugibus liberisque prioribus permixti, familias singulorum contentionibus et discordiis impleant; sibi curae fore pollicitus, ut patrio more instituti militiae artes edocerentur. 9. Ita supra decem veteranorum millia dimissa sunt; additusque est Craterus, qui eos deduceret, ex praecipuis regis amicis. Isti si quid humanitus contigisset, Polyperchonti parere iussi sunt. Literis etiam ad Antipatrum scriptis, honorem emeritis haberi praecepit, ut, quoties ludi atque certamina ederentur, in primis ordinibus coronati spectarent; utque fato functorum liberi, etiam impuberes, in paterna stipendia succederent. 10. Craterum Macedoniae continentibusque regionibus cum imperio praeesse placuit; Antipatrum cum supplemento iuniorum Macedonum ad regem pergere. Verebatur enim, ne per

discordiam praefecti cum Olympiade gravis aliqua clades acciperetur. Nam multas ad Alexandrum epistolas mater, multas Antipater miserat; vicissimque alter alterum arroganter et acerbe pleraque facere criminabantur, quae ad dedecus, aut detrimentum regiae maiestatis pertinerent. 11. Postquam enim rumor occisi regis temere vulgatus in Macedoniam penetravisset, mater eius sororque Cleopatra tumultuatae fuerant; et haec quidem paternum regnum, Olympias Epirum invaserat. Forte dum eiusmodi literae redduntur, Hephaestion, adsuetus omnium arcanorum se participem haberi, resignatas ab Alexandro simul inspiciebat. Neque vetuit eum rex; sed detractum digito anulum ori legentis admovit, nihil eorum, quae perscripta essent, in alios efferendum significans. 12. Incusasse autem ambos fertur, et matris insolentia permotum exclamasse, eam pro habitatione decem mensium, quam in utero sibi prae-buisset, gravem mercedem exigere; Antipatrum vero suspectum habuisse, quasi parta ex Spartanis victoria tollentem animos, et imperio tot iam in annos prorogato supra praefecti modum elatum. Itaque quum eius gravitas atque integritas a quibusdam praedicaretur, subiecit, exterius quidem album videri, sed si penitus introspectiatur, totum esse purpureum. 13. Pressit tamen suspicionem suam, neque ullum manifestius abalienati animi indicium praetulit. Credidere tamen plerique, Antipatrum, evocari se supplicii causa ratum, impiis machinationibus, regiae mortis, quae paullo post secuta est, auctorem extitisse. Interea rex, ut imminuti exercitus detrimenta sarciret, optimum quemque Persarum in Macedonicos ordines allegit: mille etiam praestantissimos segregavit ad propiorem sui corporis custodiam: aliam hastatorum manum, haud pauciores decem millibus, circa regium tabernaculum excubias agere iussit. 14. Haec agenti Peucestes supervenit

cum viginti sagittariorum funditorumque millibus, quos ex sua provincia coëgerat. His per exercitum distributis profectus est Susis, Tigrique amne transmissis, apud Carrhas castra metatus est: inde quadri- duo per Sittacenen ductis copiis Sambanā processit; ubi per septem dies quietum agmen tenuit. Tridui deinde itinere emenso Celonas perventum est. 15. Oppidum hoc tenent Boeotia profecti, quos Xerxes sedibus suis excitos in Orientem transtulit: servabantque argumentum originis peculiari sermone, ex Graecis plerumque vocibus constante; ceterum ob commerciorum necessitatem finitimorum barbarorum lingua utebantur. Inde Bagistanen ingressus est, regionem opulentam, et abundantem arborum amoeno et fecundo foetu, ceterisque ad vitae non usum modo, verum etiam delectationem pertinentibus. 16. Gravis inter haec Eumeni cum Hephaestione simultas inciderat. Nam servos Eumenis diversorio, quod pro hero suo anteceperant, Hephaestio proturbavit, ut Evius tibicen eo reciperetur. Neque diu post, quum iam sopita odia viderentur, nova exorta contentione adeo recruduerunt, ut etiam in atrox iurgium, et acerba utrinque convicia prorumperent. Sed Alexandri interventu imperioque inimicitiae saltem in speciem abolitae sunt: quum ille quidem Hephaestioni etiam minatus esset, qui in flagrantissima regis gratia positus, quamquam cupidum reconciliationis Eumenem, pertinacius aversabatur. 17. Perventum deinde est in Mediae campos, ubi maxima equorum armenta pascebantur. Nisaeos appellant, magnitudine et specie insignes. Supra quinquaginta millia ibi reperta, quum Alexander eo transiret, a comitibus illius annotatum est: olim triplo plures fuisse; sed inter bellorum turbas maximam eorum partem praedones abegisse. Ad triginta dies ibi substitit rex. Eo Atropates Mediae satrapa centum barbaras mulieres adduxit, equitandi peritas,

peltisque et securibus armatas: unde quidam crediderunt, Amazonum ex gente reliquias fuisse. Septimis deinde castris Ecbatana attigit, Mediae caput. 18. Ibi sollemnia Diis sacrificia fecit; ludosque edidit, et in convivia festosque dies laxavit animum, ut mox in novorum operum curam atque ministeria validior intenderetur. Sed ista volventem, velut iniecta manu, fatum alio traxit, vitamque carissimo amicorum eius, neque multo post ipsi quoque regi extorsit. 19. Pueros in stadio certantes spectabat, quum nuntiatur deficere Hephaestionem, qui morbo ex crapula contracto septimum iam diem decumbebat. Exterritus amici periculo statim consurgit, et ad hospitium illius celeriter pergit: neque tamen prius eo pervenit, quam illum mors occupasset. Id regi omnium, quae in vita pertulerat, adversorum luctuosissimum accidisse certum habetur: eumque magnitudine doloris in lacrimas et lamenta victum, multa animi de gradu deiectionis argumenta edidisse. 20. Sed ea quidem varie traduntur: illud inter omnes constat, ut quam decentissimas exsequias ei duceret, non voluisse Ecbatanis sepeliri, sed Babylonem, quo ipse concessurus erat, a Perdicca deferri curasse: ibique funus inaudito antehac exemplo duodecim talentum millibus locavisse. Per universum certe imperium lugeri eum iussit: et ne memoria eius in exercitu exolesceret, equitibus, quis praefuerat, nullum praefecit ducem, sed Hephaestionis aliam appellari voluit, et quae ille signa instituisset, ea non immutari. Funebria certamina ludosque, quales nunquam editi fuissent, meditato, tria artificum millia coegit: qui non multo post in ipsius exsequiis certasse feruntur. 21. Nec amici tam effuso affectu ad conciliandam eius gratiam segniter usi, certatim reperere, per quae memoria defuncti clarior honoratiorque fieret. Igitur Eumenes, quum se ob simultatem cum Hephaestione regis indignationem incurrisse sensis-

set, multis auctor fuit, seque et arma sua Hephæstioni consecrandi; pecuniasque ad cohonestandum funus large contulit. Hoc exemplum imitati sunt ceteri: eaque mox processit assentationum impudentia, ut regi moerore et desiderio defuncti insanienti persuasum tandem fuerit, deum esse Hephæstionem. Quo quidem tempore ex copiarum ducibus Agathocles Samius ad extremum periculi venit, quod illius tumulum praeteriens illacrimasse visus esset. 22. Ac nisi Perdiccas, venanti sibi Hephæstionem apparuisse ementitus, per deos omnes ipsumque Hephæstionem deierasset, ex ipso se cognovisse, Agathoclem non ut mortuum, et vanae divinitatis titulis frustra ornatum flevisse, verum ob memoriam pristinae sodalitatis lacrimas non tenuisse; vir fortis, et de rege bene meritus, pietatis in amicum graves poenas innoxio capite pependisset. Ceterum ut paullisper a luctu avocaret animum, in Cossaeorum gentem expeditionem suscepit. Iuga Mediae vicina Cossaei tenent, asperum et acre genus, et praedando vitam tolerare solitum. 23. Ab his Persarum reges annuo tributo pacem redimere consueverant, ne in subiecta decurrentes infestam latrociniis regionem facerent. Nam vim tentantes Persas facile repulerant, asperitate locorum defensi, in quae se recipiebant, quoties armis superabantur. Iidem muneribus quotannis placabantur, ut regi Ecbatanis, ubi aestiva solebat agere, Babylonem remigranti, tutus per ea loca transitus esset. 24. Hos igitur Alexander bipartito agmine aggressus, intra quadraginta dies perdomuit. Nam ab ipso rege, et Ptolemaeo, qui partem exercitus ducebat, saepe caesi, ut captivos suos reciperent, permisere se victori. Ille validas urbes opportunis locis exstrui iussit, ne abducto exercitu fera gens obedientiam exueret. Motis inde castris, ut militem expeditione recenti fessum reficeret, lento agmine Babylonem procedebat. Iamque vix triginta ab urbe

stadiis aberat, quum Nearchus occurrit, quem per Oceanum et Euphratis ostia Babylonem praemisera: orabatque, ne fatalem sibi urbem vellet ingredi. Compertum id sibi ex Chaldaeis, qui multis iam praedictionum eventibus artis suae certitudinem abunde probavissent. 25. Rex, fama eorum hominum constantique asseveratione motus, dimissis in urbem amicorum plerisque, alia via praeter Babylonem ducit, ac ducentis inde stadiis stativa locat. Sed ab Anaxarcho persuasus, contemptis Chaldaeorum monitis, quorum disciplinam inanem aut supervacuum arbitrabatur, urbem intrat. Legationes eo ex universo ferme orbe confluerant. 26. Quibus per complures dies studiose auditis, deinceps ad Hephaestionis exsequias adiecit animam. Quae summo omnium studio ita celebratae sunt, ut nullius ad id tempus regis feralia, magnitudine sumtum, apparatusque celebritate non vicerint. Post haec cupido incessit regi per Pallacopam anem ad Arabum confinia navigandi: quo delatus, urbi condendae commoda sede reperta, Graecorum aetate aut vulneribus invalidos, et si qui sponte remanserant, ibi collocat. 27. Quibus ex sententia perfectis, iam futuri securus Chaldaeos irridebat, quod Babylonem non ingressus tantum esset incolumis, verum etiam excessisset. Enimvero revertenti per paludes, quas Euphrates in Pallacopam effusus efficit, foedum omen oblatum est. 28. Quippe rami desuper impendentes detractum capiti regio diadema proiecerunt in fluctus. Quum deinde alia super alia prodigiosa et minacia nuntiarentur, procurandis iis Graeco simul barbaroque ritu continua sacra facta sunt. Neque tamen expiari praeterquam morte regis potuere. Qui quum Nearchum excepisset convivio, iamque cubitum iturus esset, Medii Larissaei obnixis precibus dedit, ut ad eum comessatum veniret. 29. Ubi postquam tota nocte perpotasset, male habere coepit. Ingravescens dein-

de morbus, adeo omnes vires intra sextum diem exhausit, ut ne vocis quidem potestas esset. Interea milites, sollicitudine desiderioque eius anxii, quamquam obtestantibus ducibus, ne valetudinem regis onerarent, expresserunt, ut in conspectum eius admitterentur.]

V. Intuentibus lacrimae abortae praebuere speciem iam non regem, sed funus eius, visentis exercitus. 2. Moeror tamen circumstantium lectum eminebat: quos ut rex adspexit, *Invenietis*, inquit, *quum excessero, dignum talibus viris regem?* 3. Incredibile dictu audituque, in eodem habitu corporis, in quem se composuerat, quum admissurus milites esset, durasse, donec a toto exercitu illud ultimum persalutatus est: dimissoque vulgo, velut omni vitae debito liberatus, fatigata membra reiecit. 4. Propiusque adire iussis amicis, (nam et vox deficere iam coeperat;) detractum anulum digito Perdiccae tradidit, adiectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri iuberent. 5. Quaerentibus his, cui relinqueret regnum? respondit, ei, qui esset optimus. Ceterum providere iam, ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. 6. Rursus, Perdicca interrogante, quando coelestes honores haberi sibi vellet? dixit, tum velle, quum ipsi felices essent. Suprema haec vox fuit regis, et paullo post exstinguitur. 7. Ac primo ploratu lamentisque et planctibus tota regia personabat: mox, velut in vasta solitudine, omnia tristi silentio muta torpebant, ad cogitationes, quid deinde futurum esset, dolore converso. 8. Nobiles pueri, custodiae corporis eius assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum regiae tenere potuerunt: vagique et furentibus similes totam urbem luctu ac moerore compleverant, nullis questibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit. 9. Ergo qui extra regiam adstiterant, Macedones pariter barbarique concurrunt, nec poterant victi

a victoribus in communi dolore discerni. Persae iustissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invocantes, certamen quoddam moeroris edebant. 10. Nec moestorum solum, sed etiam indignantium voces exaudiebantur, tam viridem et in flore aetatis fortunaeque, invidia Deum ereptum esse rebus humanis. Vigor eius et vultus educentis in proelium milites, obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis. 11. Tum Macedones divinos honores negasse ei poenitebat; impiosque et ingratos fuisse se confitebantur, quod aures eius debita appellatione fraudassent. Et quum diu nunc in veneratione, nunc in desiderio regis haesissent, in ipsos versa miseratio est. 12. Macedonia profecti ultra Euphratem, in mediis hostibus novum imperium adspernantibus, destitutos se esse cernebant; sine certo regis herede, sine herede regni, publicas vires ad se quemque tracturum. 13. Bella deinde civilia, quae secuta sunt, mentibus augurabantur: iterum, non de regno Asiae, sed de rege, ipsis sanguinem esse fundendum; novis vulneribus veteres rumpendas cicatrices; 14. senes debiles, modo petita missione a iusto rege, nunc morituros pro potentia forsitan satellitis alicuius ignobilis. 15. Has cogitationes volventibus nox supervenit, terroremque auxit. Milites in armis vigilabant: Babylonii alius e muris, alius e culmine sui quisque tecti prospectabant, quasi certiora visuri. 16. Nec quisquam lumina audebat accendere. Et quia oculorum cessabat usus, fremitus vocesque auribus captabant: ac plerumque vano metu territi per obscuras semitas, alius alii occursantes, invicem suspecti et solliciti ferebantur. 17. Persae, comis suo more detonsis, in lugubri veste, cum coniugibus ac liberis, non ut victorem et modo hostem, sed ut gentis suae iustissimum regem vero desiderio lugebant. Assueti sub rege vivere, non alium,

qui imperaret ipsis, digniorem fuisse confitebantur. 18. Nec muris urbis luctus continebatur; sed proximam regionem ab ea, deinde magnam partem Asiae cis Euphratem, tanti mali fama pervaserat. 19. Ad Darii quoque matrem celeriter perlata est. Abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumsit; laceratisque crinibus humi corpus abiecit. 20. Assidebat ei altera ex neptibus, nuper amissum Hephaestionem, cui nupserat, lugens; propriasque causas doloris in communi moestitia retractabat. 21. Sed omnium suorum mala Sisygambis una capiebat. Illa suam, illa neptium vicem flebat. Recens dolor etiam praeterita revocaverat. Crederes modo amissum Darium, et pariter miserae duorum filiorum exsequias esse ducendas. 22. Flebat mortuos simul vivosque. Quem enim puellarum acturum esse curam? quem alium futurum Alexandrum? iterum esse se captas; iterum excidisse regno. Qui mortuo Dario ipsas tueretur, reperisse; qui post Alexandrum respiceret, utique non reperturas. 23. Subibat inter haec animum, octoginta fratres suos eodem die ab Ocho saevissimo regum trucidatos, adiectumque stragi tot filiorum patrem: e septem liberis, quos genuisset ipsa, unum superesse: ipsum Darium floruisse paullisper, ut crudelius posset exstingui. 24. Ad ultimum dolori succubuit, obvolutoque capite assidentes genibus suis neptem nepotemque aversata, cibo pariter abstinuit et luce. Quinto, postquam mori statuerat, die extincta est. 25. Magnum profecto Alexandro indulgentiae in eam, iustitiaeque in omnes captivos, documentum est mors huius; quae quum sustinisset post Darium vivere, Alexandro esse superstes erubuit. 26. Et hercule, iuste aestimantibus regem liquet, bona naturae eius fuisse; vitia vel fortunae vel aetatis. 27. Vis incredibilis animi: laboris patientia propemodum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum haec

sola virtus fuit: 28. liberalitas saepe maiora tribuentis, quam a diis petuntur: clementia in devictos: tot regna aut reddita, quibus ea demserat bello, aut dono data: 29. mortis, cuius metus ceteros exanimat, perpetua contentio: gloriae laudisque ut iusto maior cupido, ita ut iuveni et in tantis admittenda rebus. 30. iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat; Philippum ultus erat: 31. iam in omnes fere amicos benignitas; erga milites benevolentia; consilium par magnitudini animi, et quantam vix poterat aetas eius capere, sollertia: 32. modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi ex permissio voluptas; ingentes profecto dotes erant. 33. Illa fortunae: Diis aequare se, et coelestes honores arcessere, et talia suadentibus oraculis credere, et dedignantibus venerari ipsum vehementius quam par esset irasci; in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores, quos ante victoriam spreverat. 34. Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti iuventa irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. 35. Fatendum est tamen, quum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae; quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum a morte revocavit? quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? 36. Vitae quoque finem eundem illi, quem gloriae, statuit. Expectavere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. 37. Huic regi ducique successor quaerebatur: sed maior moles erat, quam ut unus subire eam posset. Itaque nomen quoque eius et fama rerum in totum propemodum orbem reges ac regna diffudit, clarissimique sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae fortunae adhaeserunt.

VI. Ceterum Babylone (inde enim divertit oratio) corporis eius custodes in regiam principes amicorum

ducesque copiarum advocavere. Secuta est militum turba, cupientium scire, in quem Alexandri fortuna esset transitura. 2. Multi duces, frequentia militum exclusi, regiam intrare non poterant; quum praeco, exceptis qui nominatim citarentur, adire prohibuit. Sed precarium spernebatur imperium. 3. Ac primum eiulatus ingens, ploratusque renovatus est: deinde futuri exspectatio inhibitis lacrimis silentium fecit. 4. Tunc Perdicca, regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erant, annulum, sibi pridie traditum a rege, in eadem sede posuit; quorum adspectu rursus obortae omnibus lacrimae integravere luctum. 5. Et Perdicca, *Ego quidem, inquit, annulum, quo ille regni atque imperii vires obsignare erat solitus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis.* 6. *Ceterum quamquam nulla clades huic, qua affecti sumus, par ab iratis Diis excogitari potest, tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus credere licet, tantum virum deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, cito repeterent eum suae stirpi.* 7. *Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest, quam quod semper ab immortalitate seducitur, corpori nominique quam primum iusta solvamus; haud oblitus, in qua urbe, inter quos simus, quali rege ac praeside spoliati.* 8. *Tractandum est, commilitones, cogitandumque, ut victoriam partam inter hos, de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. Hocne uno, an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis, militarem sine duce turbam corpus esse sine spiritu.* 9. *Sextus mensis est, ex quo Roxane praegnans est. Optamus, ut marem enitatur: cuius regnum, Diis approbantibus, futurum, quandoque adoleverit. Interim a quibus regi velitis, destinate.* 10. Haec Perdicca. Tum Nearchus, Alexandri [modo] sanguinem ac stirpem regiae maiestati convenire, neminem, ait, posse mirari. 11. Ceterum exspectari nondum ortum regem et, qui iam sit, praeteriri, nec

animis Macedonum convenire, nec tempori rerum. Esse e Barsine filium regis: huic diadema dandum. 12. Nulli placebat oratio. Itaque suo more hastis scuta quatientes, obstrepere perseverabant. Iamque prope ad seditionem pervenerant, Nearchus pervicacius tuente sententiam. 13. Tum Ptolemaeus, *Digna prorsus est soboles, inquit, quae Macedonum impetret genti, Roxanes vel Barsinae filius! cuius nomen quoque Europam dicere pigebit, maiore ex parte captivi.* 14. *Est cur Persas vicerimus, ut stirpi eorum serviamus! quod iusti illi reges Darius et Xerxes tot millium agminibus tantisque classibus nequidquam petiverunt.* 15. *Mea sententia haec est, ut, sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius adhibebantur, coeant, quoties in commune consulto opus fuerit: eoque, quod maior pars eorum decreverit, stetur; duces praefectique copiarum his pareant.* 16. Ptolemaeo quidam, pauciores Perdiccae assentiebantur. Tum Aristonus orsus est dicere, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. Iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset. 17. Neque enim unum eum assexisse morienti; sed circumferentem oculos, ex turba amicorum delegisse, cui traderet. Placere igitur, summam imperii ad Perdiccam deferri. 18. Nec dubitavere, quin vera censeret. Itaque universi procedere in medium Perdiccam et regis annulum tollere iubebant. Haerebat inter cupiditatem pudoremque, et quo modestius, quod exspectabat, appeteret, pervicacius oblaturus esse credebat. 19. Itaque cunctatus, diuque quid ageret incertus, ad ultimum tamen recessit, et post eos, qui sederant proximi, constitit. 20. At Meleager, unus e ducibus, confirmato animo, quem Perdiccae cunctatio erexerat, *Nec Dii siverint, inquit, ut Alexandri fortuna tantique regni fastigium in istos humeros ruat: homines certe non ferent. Nihil dico de nobilioribus, quam hic est, sed de*

viris tantum, quibus invitis nihil perpeti necesse est. 21. *Nec vero interest, Roxanes filium, quandocumque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis; quum iste sub tutelae specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est: et in tanta omnium festinatione, non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus exspectat, et iam divinat marem esse conceptum; quem vos dubitatis paratum esse vel subdere?* 22. *Si mediusfidius Alexander hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex iis, quae imperasset, non faciendum esse censerem.* 23. *Quin igitur ad diripiendos thesauros discurretis? Harum enim opum regiarum utique populus est heres.* 24. *Haec elocutus per medios armatos erupit; et qui abeuntiam viam dederant, ipsum ad pronuntiatam praedam sequebantur.*

VII. *Iamque armatorum circa Meleagrum frequens globus erat, in seditionem ac discordiam versa concione; quum quidam, plerisque Macedonum ignotus, ex infima plebe, Quid opus est, inquit, armis civilique bello, habentibus regem, quem quaeritis?* 2. *Aridaeus, Philippo genitus, Alexandri paullo ante regis frater, sacrorum caerimoniarumque consors modo, nunc solus heres, praeteritur a vobis. Quo merito suo? quidve fecit, cur etiam gentium communi iure fraudeatur? Si Alexandro similem quaeritis, nunquam reperietis; si proximum, hic solus est.* 3. *His auditis, concio primo silentium velut iussa habuit. Conclamant deinde pariter, Aridaeum vocandum esse, mortemque meritos, qui concionem sine eo habuissent.* 4. *Tum Pithon, plenus lacrimarum, orditur dicere: nunc vel maxime miserabilem esse Alexandrum, qui tam bonorum civium militumque fructu et praesentia fraudatus esset. Nomen enim memoriamque regis sui tantum intuentes, ad cetera caligare eos.* ** 5. *Haud ambigue in iuvenem, cui regnum destinabatur, impensa probra magis ipsi odium, quam Aridaeo con-*

temptum, attulerunt: quippe dum miserentur, etiam favere coeperunt. 6. Igitur non alium se, quam eum, qui ad hanc spem genitus esset, regnare passuros, pertinaci acclamatione declarant, vocarique Aridaeum iubent. 7. Quem Meleager, investus invisusque Perdiccae, strenue perducit in regiam; et milites, *Philippum* consalutatam, regem appellant. 8. Ceterum haec vulgi erat vox; principum alia sententia. E quibus Pithon consilium Perdiccae exsequi coepit, tutoresque destinat filio ex Roxane futuro Perdiccam et Leonnatum, stirpe regia genitos. 9. Adiecit, ut in Europa Craterus et Antipater res administrarent. Tum iusiurandum a singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro. 10. Meleager, haud iniuria metu supplicii territus, cum suis secesserat. Rursus Philippum trahens secum, irrupit in regiam, clamitans suffragari reipublicae de novo rege paullo ante concepto: robur aetatis experirentur; modo stirpem Philippi, et filium ac fratrem regum duorum, sibimetipsis potissimum crederent. 11. Nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova et brevi duratura libertate luxuriat. 12. Pauci Perdiccae modo electo, plures Philippo, quem spreverant, imperium dabant. Nec velle, nec nolle quidquam diu poterant; poenitebatque modo consilii, modo poenitentiae ipsius. Ad ultimum tamen in stirpem regiam inclinavere studiis. 13. Cesserat ex concione Aridaeus, principum auctoritate conterritus; et abeunte illo conticuerat magis, quam languerat, militaris favor. Itaque revocatus, vestem fratris, eam ipsam, quae in sella posita fuerat, induitur. 14. Et Meleager, thorace sumto, capit arma, novi regis satellites. Sequitur phalanx, hastis clypeos quatiens, expletura se sanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipsos pertinens regnum. 15. In eadem domo familiaeque

imperii vires remansuras esse gaudebant; hereditarium imperium stirpem regiam vindicatorum; assuetos esse nomen ipsum colere venerarique, nec quemquam id capere, nisi genitum ut regnaret. 16. Igitur Perdicca territus, conclave, in quo Alexandri corpus iacebat, obserari iubet. Sexcenti cum ipso erant, spectatae virtutis: Ptolemaeus quoque se adiunxerat ei, puerorumque regia cohors. 17. Ceterum haud difficulter a tot millibus armatorum claustra perfracta sunt. Et rex quoque irruperat, stipatus satellitum turba, quorum princeps Meleager. 18. Iratusque Perdicca hos, qui Alexandri corpus tueri vellent, se vocat: sed qui irruperant, eminus tela in ipsum iaciebant. Multisque vulneratis, tandem seniores, demtis galeis, quo facilius nosci possent, precari, qui cum Perdicca erant, coepere, ut abstinerent bello, regique et pluribus cederent. 19. Primus Perdicca arma deposuit; ceterique idem fecere. Meleagro deinde suadente, ne a corpore Alexandri discederent; insidiis locum quaeri rati, diversa regiae parte ad Euphraten fugam intendunt. 20. Equitatus, qui ex nobilissimis iuvenum constabat, Perdiccam et Leonnatum frequens sequebatur; placebatque excedere urbe, et tendere in campis. 21. Sed Perdicca ne pedites quidem secuturos ipsum desperabat: itaque, ne abducendo equites abruptis a cetero exercitu videretur, in urbe substitit.

VIII. At Meleager regem monere non destitit, ius imperii Perdiccae morte sancendum esse: ni occupetur impotens animus, res novaturum. Meminisse eum, quid de rege meruisset: neminem autem ei satis fidum esse, quem metuat. 2. Rex patiebatur magis, quam assentiebatur. Itaque Meleager silentium pro imperio habuit; misitque regis nomine, qui Perdiccam arcesserent. Iisdem mandatum, ut occiderent, si venire dubitaret. 3. Perdicca, nuntiato

satellitum adventu, sexdecim omnino pueris regiae cohortis comitatus, in limine domus suae constitit; castigatosque, et Meleagri mancipia identidem appellans, sic animi vultusque constantia terruit, ut vix mentis compotes fugerent. 4. Perdicca pueros equos iussit conscendere, et cum paucis amicorum ad Leonnatum pervenit, iam firmiore praesidio vim propulsaturus, si quis inferret. 5. Postero die indigna res Macedonibus videbatur, Perdiccam ad mortis periculum adductum; et Meleagri temeritatem armis ultum ire decreverant. 6. Atque illi, quum regem adissent, interrogare eum coeperunt, an Perdiccam comprehendi ipse iussisset. Ille Meleagri instinctu se iussisse respondit. Ceterum non debere tumultuari eos; Perdiccam enim vivere. 7. Igitur concione dimissa, Meleager, equitum maxime defectione perterritus, inopsque consilii, (quippe in ipsum periculum reciderat, quod inimico paullo ante intenderat) triduum fere consumsit incerta consilia volvendo. 8. Et pristina quidem regiae species manebat: nam et legati gentium regem adibant, et copiarum duces aderant, et vestibulum satellites armatique compleverant. 9. Sed ingens sua sponte moestitia ultimae desperationis index erat: suspectique invicem, non adire propius, non colloqui audebant, secretas cogitationes intra se quoque volvente, et ex comparatione regis novi desiderium excitabatur amissi. 10. Ubi ille esset, cuius imperium, cuius auspiciam secuti erant, requirebant. Destitutos se inter infestas indomitasque gentes, expetituras tot cladum suarum poenas, quandocumque oblata esset occasio. 11. His cogitationibus animos exedebant, quum annuntiatum, equites, qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babylonem campis, frumentum, quod in urbem vehebatur, retinuisse. 12. Itaque inopia primum, deinde fames esse coepit; et qui in urbe erant, aut reconciliandam gratiam cum Perdicca, aut

armis certandum esse censebant. 13. Forte ita acciderat, ut, qui in agris erant, populationem villarum vicorumque veriti, confugerent in urbem; oppidani, quum ipsos alimenta deficerent, urbe excederent; et utrique generi tutior aliena sedes, quam sua, videretur. 14. Quorum consternationem Macedones veriti, in regiam coeunt, quaeque ipsorum sententia esset, exponunt. Placebat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia, armisque ponendis. 15. Igitur a rege legatur Padas Thessalus, et Amissas Megalopolitanus, et Perilaus: qui quum mandata regis edidissent, non aliter posituros arma equites, quam si rex discordiae auctores dedidisset, tulere responsum. 16. His renuntiatis, sua sponte milites arma capiunt. Quorum tumultu e regia Philippus excitus, *Nihil, inquit, seditione est opus. Nam inter se certantium praemia, qui quieverint, occupabunt.* 17. *Simul mementote rem esse cum civibus; quibus spem gratiae cito abrumpere, ad bellum civile properantium est.* 18. *Altera legatione, an mitigari possint, experiamur: et credo, nondum regis corpore sepulto, ad praestanda ei iusta omnes esse coituros.* 19. *Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo, quam exercere civium sanguine: et si nulla alia concordiae spes est, oro quaesoque, eligite potiozem.* 20. Obortis deinde lacrimis, diadema detrahit capiti, dextram, qua id tenebat, protendens, ut, si quis se digniorem profiteretur, acciperet. 21. Ingentem spem indolis, ante eum diem fratris claritate suppressam, ea moderata excitavit oratio. Itaque cuncti instare coeperunt, ut, quae agitasset, exsequi vellet. 22. Eisdem rursus legat, petituros, ut Meleagrum tertium ducem acciperent. Haud aegre id impetratum est. Nam et abducere Meleagrum Perdicca a rege cupiebat; et unum duobus imparem futurum esse censebat. 23. Igitur Meleagro cum phalange obviam egresso, Perdicca equitum turmas antecedens occurrit. Utrumque agmen,

mutua salutatione facta, coiit, in perpetuum, ut arbitrabantur, concordia et pace firmata.

IX. Sed iam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam et insociabile est regnum, et a pluribus expetebatur. 2. Primum ergo colligere vires, deinde disperserunt: et quum pluribus corpus, quam capiebat, onerassent, cetera membra deficere coeperunt; quodque imperium sub uno stare potuisset, dum a pluribus sustinetur, ruit. 3. Proinde iure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, qui noctis, quam paene supremam habuimus, novum sidus illuxit. 4. Huius hercule, non solis, ortus lucem caliganti reddidit mundo, quum sine suo capite discordia membra trepidarent. 5. Quot ille tum exstinxit faces! quot condidit gladios! quantam tempestatem subita serenitate discussit! Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. 6. Absit modo invidia, excipiet huius seculi tempora eiusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas. 7. Ceterum ut ad ordinem, a quo me contemplatio publicae felicitatis averterat, redeam; Perdicca unicum spem salutis suae in Meleagri morte deponebat: vanum eundem et infidum, celeriterque res novaturum, et sibi maxime infestum, occupandum esse. 8. Sed alta dissimulatione consilium premebat, ut opprimeret incautum. Ergo clam quosdam ex copiis, quibus praeerat, subornavit, ut, quasi ignoraret ipse, conquererentur palam, Meleagram aequatum esse Perdiccae. 9. Quorum sermone Meleager ad se relato, furens ira, Perdiccae, quae comperisset, exponit. Ille, velut nova re exterritus, admirari, queri, dolentisque speciem ostentare ei coepit; ad ultimum convenit, ut comprehenderentur tam seditiosae vocis auctores. 10. Agit Meleager gratias, amplexusque Perdiccam, fidem eius in se ac benevolentiam collaudat. 11. Tum communi consilio rationem oppri-

mendi noxios ineunt. Placet exercitum patrio more lustrari. Et probabilis causa videbatur praeterita discordia. 12. Macedonum reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissae canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abiicerentur parte; intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx. 13. Itaque eo die, quem huic sacro destinaverant, rex cum equitibus elephantisque constiterat contra pedites, quis Meleager praeerat. 14. Iam equestre agmen movebatur, et pedites subita formidine ob recentem discordiam, haud sane pacati quidquam exspectantes, parumper addubitavere, an in urbem subducerent copias: quippe pro equitibus planities erat. 15. Ceterum veriti, ne temere commilitonum fidem damnerent, substitere, praeparatis ad dimicandum animis, si quis vim inferret. Iam agmina coibant, parvumque intervallum erat, quod aciem utramque divideret. 16. Itaque rex cum una ala obequitare pedibus coepit, discordiae auctores, quos tueri ipse debebat, instinctu Perdiccae ad supplicia deposcens: minabaturque omnes turmas cum elephantis inducturum se in recusantes. 17. Stupebant improvise malo pedites: nec plus in ipso Meleagro erat aut consilii aut animi. Tutissimum ex praesentibus videbatur, exspectare potius, quam movere fortunam. 18. Tum Perdicca, ut torpentes et obnoxios vidit, CCC fere, qui Meleagram erumpentem ex concione, quae prima habita est post mortem Alexandri, secuti erant, a ceteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitus obiicit; omnesque belluarum pedibus obtriti sunt, nec prohibente Philippo, nec auctore: 19. apparebatque, id modo pro suo vindicaturum, quod approbasset eventus. Hoc bellorum civilium Macedonibus et omen et principium fuit. 20. Meleager, sero intellecta fraude Perdiccae, tum quidem, quia ipsius corpori vis non afferebatur, in

agmine quietus stetit: 21. at mox, damnata spe salutis, quum eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum: ac ne loci quidem religione defensus, occiditur.

X. Perdicca, perducto in urbem exercitu, consilium principum virorum habuit, in quo imperium ita dividi placuit, ut rex quidem summam eius obtineret; satrapes Ptolemaeus Aegypti et Africae gentium, quae in ditione erant. 2. Laomedonti Syria cum Phoenice data est: Philotae Cilicia destinata: Lyciam cum Pamphylia et maiore Phrygia obtinere iussus Antigonus: in Cariam Cassander, Menander in Lydiam missi. 3. Phrygiam minorem Hellesponto adiunctam Leonnati provinciam esse iusserunt. Cappadocia Eumeni cum Paphlagonia cessit. Praeceptum est, ut regionem eam usque ad Trapezunta defenderet, bellum cum Ariarathe gereret. Solus hic detrectabat imperium. 4. Pithon Mediam, Lysimachus Thraciam appositaeque Thraciae Ponticas gentes obtinere iussi. Qui Indiae, quique Bactris et Sogdianis, ceterisque aut Oceani aut Rubri maris accolis praeerant, quibus quisque finibus habuisset, imperii etiam ius obtinerent, decretum est; Perdicca ut cum rege esset, copiisque praeesset, quae regem sequebantur. 5. Credidere quidam, testamento Alexandri distributas esse provincias; sed famam eius rei, quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus. 6. Et quidem suas quisque opes, divisis imperii partibus, tuebantur: quas ipsi fundaverant, si unquam adversus immodicas cupiditates terminus staret. 7. Quippe paullo ante regis ministri, specie imperii alieni procurandi, singuli ingentia invaserant regna; sublatis certaminum causis, quum et omnes eiusdem gentis essent, et a ceteris sui quisque imperii regione discreti. 8. Sed difficile erat eo contentos esse, quod obtulerat occasio:

quippe sordent prima quaeque, quum maiora sperantur. Itaque omnibus expeditius videbatur augere regna, quam fuisset accipere. 9. Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio, curis omnium ad formandum publicum statum a tam sollemni munere aversis. 10. Et non aliis quam Mesopotamiae regione fervidior aestus existit, adeo ut pleraque animalia, quae in nudo solo deprehendit, exstinguat; tantus est vapor solis et coeli, quo cuncta velut igne torrentur. 11. Fontes aquarum et rari sunt, et incolentium fraude celantur. Ipsis usus patet, ignotus est advenis. 12. Ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum videre, qui intraverant. Vigor quoque, qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. 13. Itaque Aegyptii Chaldaei que, iussi corpus suo more curare, primo non sunt ausi admovere velut spiranti manus: deinde precati, ut ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgavere corpus; repletumque est odoribus aureum solium, et capiti adiecta fortunae eius insignia. 14. Veneno necatum esse credidere plerique: filium Antipatri inter ministros, Iollam nomine, patris iussu dedisse. Saepè certe audita erat vox Alexandri, Antipatrum regium affectare fastigium; maioremque esse praefecti opibus, ac titulo Spartanæ victoriae inflatum, omnia a se data asserentem sibi. 15. Credebant etiam, Craterum cum veterum militum manu ad interficiendum eum missum. 16. Vim autem veneni, quod in Macedonia gignitur, talem esse constat, ut ferrum quoque exurat, ungulae iumentum dumtaxat patiens. 17. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat. Hoc per Cassandrum allatum, traditumque fratri Iollae, et ab eo supremæ regis potioni inditum. 18. Haec utcunque sunt credita, eorum, quos rumor adperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniae Antipater, et

Graeciam quoque invasit. 19. Soboles deinde excepit, interfectis omnibus, quicumque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant. 20. Ceterum corpus eius a Ptolemaeo, cui Aegyptus cesserat, Memphim, et inde paucis post annis Alexandriam translatum est: omnisque memoriae ac nomini honos habetur.

INDEX RERUM.

(Numerus prior librum, alter caput, tertius ubi legitur, paragraphum monstrat.)

A.

Abdolonimus, IV, 1, 19.

Abii Scythae (*ἀβίοι*) VII, 6, 11.

Abisares, rex Indiae VIII, 12, 13. legatos ad Alexandrum mittit VIII, 13, 1. Pori socius VIII, 14, 1. eo victo iterum legatos mittit IX, 1, 7. moritur X, 1, 20.

Abistamenes, Cappadociae satrapa III, 4, 1.

Abulites, Susianae satr. V, 2, 8.

Acadera, Indiae urbs VIII, 10, 19.

Acarnanes equites III, 2, 16.

Acesines, fluv. Ind. VIII, 9, 8. Hydaspis confunditur IX, 4, 1. 8.

Achaei in acie Al. IV, 13, 29. Megalopolitanis pecuniam pendunt. VI, 1, 20.

Achaia, IV, 5, 14.

Achilles, a quo genus ducit Al. IV, 6, 29. VIII, 4, 26.

Adarchias, chiliarcha V, 2, 5.

Aegypti praetor III, 7, 11. Sa-

baces III, 11, 10. IV, 1, 28.

Aegyptum occupare vult Amyntas IV, 1, 27. occupat Al. IV, 7, 2. Aegyptii infensi praetoribus suis IV, 1, 28. Persarum opibus IV, 7, 1. vanagens IV, 1, 30. Aegyptii vates IV, 10, 4. pollinctores. X, 10, 13.

Aeolis, IV, 5, 7. servitio barb. exemta VI, 3, 3.

Aeschylus Rhodius, Aegypto praefectus IV, 8, 4.

Aesculapius, III, 7, 3

Aethiopes, Hammonis accolae IV, 7, 18. Aethiopia IV, 8, 3.

Aetoli, VI, 1, 20.

Africa, X, 1, 17. Aegypto iuncta IV, 8, 5. Africae elephantii VIII, 9, 17.

Africus ventus IV, 2, 7.

Agathon, praefectus arcis Babyloniae V, 1, 42. alius X, 1: 1.

Agenor, Tyri et Sidonis conditor IV, 4, 15. 19.

Aggrammes, Prasiorum rex IX. 2, 3.

Agis, Archidami f. rex Laced.

- IV, 1, 39. egregie pugnans VI, 1, 4. interficitur VI, 1, 15.
- Agis, Argivus VIII, 5, 8.
- Agriani, gens Paeoniae, III, 9, 10. IV, 13, 31. V, 3, 6. VIII, 11, 9. et 14, 24. IX, 8, 18.
- Agriaspae, gens Asiae VII, 3, 1.
- Alexander, rex Macedonum, genus ab Hercule ducit IV, 2, 3. ab Achille, IV, 6, 29. VIII, 4, 26. a Iove IV, 7, 8. et 15, 8. VIII, 5, 5. exercitus eius III, 3, 26. occupat Phrygiam III, 1, 1. Cappadociam ibid. Ciliiciam III, 4. Syriam et Phoenicem III, 13. Aegyptum IV, 7. iter ad Hammonem ibid. occupat Mesopotomiam et Assyriam IV, 4. Babyloniam V, 1. Susianam V, 2. Uxios V, 3. Persidem V, 4—7. Mediam V, 7. Darium persequitur V, 13. Lacedaemonis pacem concedit VI, 1. Parthyaeam et Hyrcaniam subigit VI, 4. Mardos VI, 5. Ariam VI, 6. Drangianam ibid. Agriaspas, Arachosios, Parapamisadas VII, 3. Bactrianam et Sogdianam VIII, 4. sqq. Indiam VIII, 9 sqq. Oceanum intrat IX, 9. Gedrosiam et Carmaniam IX, 10. exercitus partem dimittit X, 3. Persis custodiam credit ob seditionem Macedonum X, 3, 15. proelium committit ap. Issum III, 9, sqq. ap. Gavgamela IV, 13 sqq. cum Ariobarzane V, 3. cum latronibus VII, 6. cum Scythis VII, 9. cum Poro VIII, 13 sqq. Tyrum capit IV, 2 sqq. Gazam IV, 6. urbes ad laxarten VII, 6. petram Arimazae VII, 11. Sysimithrae VIII, 2. Aornum VIII, 11. Mallorum urbem IX, 4. nodum Gordium solvit III, 1. Persarum regiam incendit V, 7. cum Amazonum regina concumbit IV, 5. ducit Roxanen VIII, 4. urbes condit in Aegypto IV, 8. ad Parapamisum VII, 3. in Sogdiana VII, 10. ad Tanaim VII, 6. in India IX, 3. apud Oritas IX, 10. morbo affligitur III, 5. vulneratur III, 11. IV, 6. VII, 6. VIII, 10. IX, 5. insidiae ei struuntur a Sisine III, 7. a Dymno et Philota VI, 7 sqq. ab Alex. Lynceste VII, 1. a pueris regis VIII, 6. moritur X, 5, 1. corpus eius in Aegyptum transfertur X, 10, 20. veneno necatus creditur X, 10, 14. vitia eius III, 12, 18. otio et deliciis frangitur VI, 2, 1. et 6, 1. Clitum interficit VIII, 1, 52. Persico more vult adorari VIII, 5, 6. severus est in praefectos insolentes X, 1 sqq. laudes eius X, 5. abstinencia III, 12, 21. VII, 5, 12. pietas in parentes X, 5, 30. literae eius ad Darium IV, 1, 10. responsum dat legatis Darii IV, 5, 7 et 11, 16. oratio ad amicos IV, 13. IX, 6. ad Amyntam VII, 2. ad milites III, 10. IV, 14. VI, 3. VIII, 9. ad Persas X, 3. ad Polydamanta VII, 2. ad Sisygambin V, 2. in Philotam VI, 9. in Amyntam VII, 1. in Hermolaum VIII, 8. in universum exercitum X, 2. Alexandri filius X, 6. frater X, 7.

- Alexander, Magni proavus VI, 11, 26.
- Alexander Lyncestes, VII, 1. 9. VIII, 8, 6.
- Alexander alius VII, 10, 12. alius VIII, 11, 10.
- Alexandri, Epiri regis, dictum VIII, 1, 37.
- Alexandria Aegypti IV, 8, 2. ad Caucasum VII, 3, 23. ad Tanaim VII, 6, 25. apud Sabraces IX, 8, 8.
- Alpes X, 1, 18.
- Amanicae pylae III, 8, 13.
- Amazones VI, 5, 24. earum regina Thalestris cum Alexandro consuescit VI, 5, 32. Amazonum campi VI, 4, 17.
- Amenides, scriba Darii VII, 3, 4.
- Amissus X, 8, 15.
- Amphoterus classi praeficitur III, 1, 19. insulas invadit IV, 5, 14. Cretam liberare iussus IV, 8, 15.
- Amyntas Andromenis fil. III, 9, 7. missus in Macedoniam ad delectum militum IV, 6, 30. multos adducit V, 1, 40. VII, 1, 38. coniurationis in regem arguitur VII, 1, 10.
- Amyntas Lyncestes, virtutis causa donatus V, 2, 5. regis praetor VI, 9, 28.
- Amyntas, Nicolai fil. provinciam Cliti accipit VIII, 2, 14.
- Amyntas, Antiochi fil. olim praetor Alexandri III, 11, 18. ex ancipiti mutatione temporum pendens IV, 1, 27. ab Aegyptiis avide exceptus IV, 7, 1. occiditur IV, 1, 33.
- Amyntas, Perdiccae f. Alexandro insidias struxerat VI, 9, 17 et 10, 24.
- Amyntas alius VI, 7, 15.
- Ancyra, urbs Phrygiae III, 1, 22.
- Andromachus, Coelesyriae praetor IV, 5, 9. occiditur IV, 8, 9.
- Andronicus, praefectus Graecorum VII, 3, 2.
- Andrus, insula IV, 1, 37.
- Anticles, ex pueris regis VIII, 6, 9.
- Antigenes virtutis causa donatus V, 2, 5. phalangem ducit VIII, 14, 15.
- Antigonus, Phrygiae satrapa, Persas vincit IV, 1, 35. Lycaniam capit IV, 5, 13. virtutis causa donatus V, 2, 5. Lyciam, Pamphyliam et Phrygiam obtinet X, 10, 2.
- Antipater, Macedoniae et Graeciae praefectus X, 4, 7. ab Alexandro pecuniam accipit III, 1, 20. bellum cum Laced. gerit IV, 1, 39. eos vincit V, 6, 1. invidente Alexandro VI, 1, 8. homo prudens VI, 1, 17. Alex. Lyncestae socer VII, 1, 7. regi supplementum mittit VII, 10, 12. evocatus ab eo X, 4, 8. suspectus X, 10, 14. regi insidias nectit X, 4, 13. post regis mortem res Europae curare iubetur X, 7, 9. invadit regnum Maced. et Graeciam X, 10, 18.
- Antipater alius, coniurans in Alex. VIII, 6, 9.
- Antiphanes, scriba equitum VII, 1, 15. 32. 35.
- Aornis, petra Indiae VIII, 11, 2.
- Apharias, VII, 1, 5.

- Aphoebetus VII, 1, 15.
 Apollo Tyrius IV, 3, 21.
 Apollodoros V, 1, 43.
 Apollonides, Chium obtinens IV, 5, 15.
 Apollonius IV, 8, 5.
 Arabia IV, 3, 1. fertilis odorum V, 1, 11. Arabica vestis VII, 2, 17. Arabis cuiusdam audacia IV, 6, 15. Arabes IV, 7, 18. agrestes in Libano IV, 2, 24.
 Arabitae, gens Asiae IX, 10, 5.
 Arachosii, Persis subditi IV, 5, 5. Dario militant IV, 12, 6. subacti ab Alex. VII, 3, 4. in coloniam deducti IX, 10, 7.
 Aradus, urbs IV, 1, 6.
 Araxes, amnis Persidis IV, 5, 4. V, 5, 2 et 7, 9. Armeniae VII, 3, 19.
 Arbates, rex Cappad. X, 10, 3.
 Arbela, urbs Assyriae, Darii clade nobilis, Alexandro traditur IV, 9, 14 et 16, 9. V, 1, 10. VI, 1, 21. IX, 2, 23.
 Archelaus, rex Maced. impune occisus VI, 11, 26. alius, praetor Alex. V, 2, 16.
 Archepolis VI, 7, 15.
 Aretes, equis praefectus IV, 15, 13. 18.
 Argyraspides, argentea scuta gestantes IV, 13, 27. VIII, 5, 4.
 Aridaeus, Philippo genitus X, 7, 2. Macedonum post Alex. rex X, 7, 13.
 Arii, gens Asiae VII, 3, 2.
 Arimazes, eiusque petra VII, 11, 1.
 Ariobarzanes, Darii dux IV, 12, 7. defendit pylas Susidas V, 3, 17. et 4, 33.
 Aristander, Telmisseeus, peritissimus vatum IV, 2, 14. IV, 6, 12. V, 4, 2. VII, 7, 8. occurrit IV, 13, 15. et 15, 27. VII, 7, 29.
 Aristogiton, legatus Athen. ad Darium III, 13, 15.
 Aristomedes, Thess. dux Darii III, 9, 3.
 Aristomenes, dux Dar. IV, 1, 36.
 Ariston, dux Alex. IV, 9, 24.
 Aristonicus, Methymnaeorum tyrannus IV, 5, 19. necatus IV, 8, 11.
 Aristonus, dux Alex. IX, 5, 15. sententia eius de successore Alex. X, 6, 16.
 Armenia minor IV, 12, 10. maior IV, 12, 12. Mithreni data V, 1, 43. Armenii in exercitu Darii III, 2, 6.
 Arsames, praefectus Drangorum VIII, 3, 17.
 Arsanes, Ciliciae satrapa III, 4, 3.
 Artabazus, princeps purpuratorum III, 13, 13. V, 9, 1. et 12, 8. Parthienem petit V, 12, 18. occurrit Alex. VI, 5, 1. ab eo geminato honore auctus VI, 5, 22. contra Satibarzanem missus VII, 3, 2. Bactrianis praefectus VII, 5, 1. aetate se excusat VIII, 1, 19.
 Artacacna, urbs Asiae VI, 6, 33.
 Arvae, oppid. Hyrcaniae VI, 4, 23.
 Asander, Cariae praef. X, 10, 1.
 Asclepiodorus, praef. Alex. VII, 10, 12. VIII, 6, 9.
 Asia, III, 1, 13. III, 2, 18. VI, 2, 13. VII, 9, 17. IX, 6, 20. X, 1, 37.

Aspastes, praef. Carmaniae X, 10, 21.

Assacanus, Indus VIII, 10, 22.

Atharrias Philotam comprehendit VI, 8, 19. ad Halicarnassum egregie pugnat VIII, 1, 36.

Athenienses legatos mittunt ad Alex. III, 1, 19. ad Darium III, 13, 15. eorum victor Philippus III, 10, 7. VIII, 1, 33. infestus eis Alexander, X, 2, 7.

Athenagoras, Chiorum princeps, vincitur IV, 5, 15. VIII, 5, 17.

Atizyes, Phryg. satr. interficitur III, 11, 10.

Attalus, Philippi affinis, Alex. inimicus gravissimus VI, 9, 17. VIII, 8, 7. iubente Alex. occiditur per Parmenionem VIII, 1, 42.

Attalus, alius, Agrianis praef. IV, 13, 31. Alexandro similis VIII, 13, 21.

Attica terra X, 2, 1.

Attinas, praef. Alex. VIII, 1, 3.

Augaeus Philotas, V, 2, 5

B.

Babylon V, 6, 9. X, 1, 10. urbis descriptio V, 1, 24. Alexandro fatalis X, 4, 3. Darius ad Babyl. exercitum contrahit III, 2, 2. IV, 6, 2. et 9, 2. Babylonia Deditameni subiecta VIII, 3, 17. antea Mazaeo V, 1. Babylonii IV, 12. corruptissimi V, 1.

Bacchus VIII, 2, 6. VIII, 5, 8. 11. IX, 2, 19. 4, 21. ad Indos venit VIII, 10, 1. IX, 8, 5. eum aemulatus Alexander

IX, 10, 24. Bacchi termini III, 10, 5. triumphus, III, 12, 18. ab eo condita Nysa VIII, 10, 11.

Bactra, provincia et urbs III, 10, 5. IV, 5, 8. V, 8, 1. 9, 5. 13, 2. VII, 4, 31. 7, 4. X, 10, 4. regio IX, 7, 3. Bactriani IV, 9, 2. 15. 18. V, 12, 13. IX, 2, 24. armati V, 12, 6. equites IV, 12, 6. V, 8, 4. VII, 4, 30. milites Alex. IX, 2, 24. mores IV, 6, 3. facies terribiles IV, 13, 5. regio Artabazo tradita VII, 5, 1. Amyntae VIII, 2, 14.

Bactrus amnis VII, 4, 31.

Bagoas spado. interfectus a Dario, quem regem fecerat VI, 3, 12. et 4, 10.

Bagoas, alius, Alexandro dono datus VI, 5, 23. ab eo adamatus X, 1, 25.

Bagophanes V, 1, 20. 44.

Bagysthenes Babylonius V, 13, 3.

Balacri, gens IV, 13, 28.

Balacrus, praef. Alex. IV, 5, 13. VIII, 11, 22.

Barcani, gens Asiae III, 2, 5.

Barsine, Alex. pellex X, 6, 11.

Barzaentes, Arachos. satr. VI, 6, 36. VIII, 13, 3.

Bazaria, regio Sogdianae VIII, 1, 10.

Belitae IV, 12, 10.

Belon, praef. Alex. VI, 11, 1.

Belus, deus III, 3, 16. conditor Babylonis V, 1, 24.

Bessus, Bactrian. satr. IV, 6, 2. 12, 6. V, 8, 4. 9, 8. perfidiae suspectus IV, 6, 4. Darii caedem agitat, eum comprehendit et interficit V, 10, 1. 13, 6. fugiens Bactra petit V, 13, 18. Artaxerxes appellatur VI, 6,

13. ferox verbis VII, 4, 19. dolo captus Alex. iussu Ecbatana ad supplicium ducitur VII, 10, 10.
- Betis, Gazam egregie defendit, eius supplicium IV, 6.
- Bezira, urbs Indiae VIII, 10, 22.
- Bicon, Graecus IX, 7, 4.
- Bion, transfuga IV, 13, 36.
- Boeotia, domita III, 10, 7.
- Borysthenes, fluvius VI, 2.
- Bosporus, Cimmerius VI, 2, 13. VII, 6, 12. VIII, 1, 7.
- Boxus quidam IX, 7, 4, 8.
- Branchidarum urbs in Sogdiana VII, 5, 28.
- Brocubelus, Mazaei fil. V, 13, 11.
- Bubacene, regio Sogdianae VIII, 5, 2.
- Bubaces, spado Darii V, 11, 4. et V, 12, 10.
- Bucephalus, equus Alex. VI, 5, 18. VIII, 14, 34.
- Bucephalos, urbs IX, 3, 23.
- Bumadus amnis IV, 9, 8.
- Byblos, urbs Phoeniciae IV, 1, 15.
- C.**
- Cadusii, gens Asiae IV, 12, 12. 15, 12.
- Calas, Paphlag. praef. III, 1, 24. IV, 5, 13.
- Calis VI, 11, 36. 37.
- Callicrates, thesauris praef. V, 2, 16. 17.
- Callicratides, legatus Laced. ad Darium III, 13, 15.
- Callisthenes Olynthius VIII, 8, 19. ob gravitatem et linguae libertatem Al. invisus VIII, 5, 13. contumaciae suspectus VIII, 6, 1. vinctus et interfectus VIII, 6, 27. 8, 21.
- Cappadocia III, 1, 24. IV, 1, 34. 12, 12. VI, 3, 3. satrapa eius Abistamenes III, 4, 1. Eumeni cedit X, 10, 3.
- Caranus, praef. Alex. VI, 10, 24. VII, 3, 2. 4, 32.
- Caria IV, 3. Asandro tradita X, 10, 2.
- Carmania, provinc. Asiae IX, 10, 20.
- Cartasis Scythae, VII, 7, 1.
- Carthago, Tyrionum colonia IV, 2, 10. 4, 20. infestus ei Alex. 10, 1, 17. Vid. Poeni.
- Caspiani IV, 12, 9.
- Caspium mare VI, 4, 16. III, 2, 8. VII, 3, 19.
- Cassander, Antipatri fil. X, 4, 19. 10, 2.
- Castabalum, oppidum III, 7, 5.
- Castor cum Polluce VIII, 5, 8.
- Castra Cyri, locus prope Cili-
ciam III, 4.
- Castra Alexandri, Aegypti lo-
cus IV, 7, 2.
- Cataones IV, 12, 11.
- Catenes VII, 5, 21. 41. Bactria-
nos ad defectionem sollicitat
VII, 6, 15. in proelio occiditur
VIII, 5, 2.
- Caucasus mons IV, 5, 5. V, 5.
VI, 4, 18. VII, 3, 19. VIII,
9, 3.
- Caunii III, 7, 4.
- Ceballinus, e pueris regis VI,
7, 16.
- Celaenae, urbs Phrygiae III,
1, 1.
- Cercetae, gens Asiae VI, 4, 17.
- Chaeronea, VIII, 1, 23.
- Chaldaei vates III, 3, 6. Ale-

- xandro, Babyl. intranti, occurrunt V, 1, 22.
 Chalybes, gens Asiae VI, 4, 17.
 Chares, Athen., IV, 5, 22.
 Charidemus Athen., III, 2, 10, 19.
 Charus quidam VIII, 11, 10.
 Chius, insula, praesidiis Persicis tenetur III, 1, 19. IV, 1, 37. 5, 15. Chiorum legati ad Alex. IV, 8, 12.
 Choaspes, amnis Susianae, delicatam vehit aquam V, 2, 9, 3, 1. fluv. Indicus VIII, 10, 22.
 Choerilus, malus poeta VIII, 5, 8.
 Chorasmii, gens Asiae VII, 4, 6. VIII, 3, 16. cui praest Phrathernes VIII, 1, 8.
 Chrysolaus, tyrannus IV, 8, 11.
 Cidaris, regium insigne III, 3, 19.
 Cilicia III, 4. VII, 3. IV, 1. IV, 13. calore aestatis accenditur III, 5, 1. inundata cruore Persarum IX, 2, 23. Socrati tradita IV, 5, 9. Philotae destinatur X, 10, 2. Cilicium mare III, 1, 12.
 Cleander, praetor Alex. III, 1, 1. IV, 3, 11. VII, 2, 19. Parmenionem occidit VII, 2, 29. X, 1, 1. eius furor et supplicium X, 1, 5, 8.
 Cleo, Siculus VIII, 5, 8.
 Cleochares quidam VIII, 13, 2.
 Cleomenes, unus praefectorum Aegypti IV, 8, 5.
 Cleophis, regina Indiae VIII, 10, 22.
 Clitarchus, historicus citatus IX, 5, 21. IX, 8, 15.
 Clitus, praest equitibus IV, 13, 26. ab Alexandro interficitur VIII, 1. sqq.
 Cobares, Magus VII, 4, 8.
 Coelesyria IV, 5, 9.
 Coenus, dux Alex. III, 9, 7. IV, 13, 28. 16, 31. V, 4, 20. VI, 8, 17. 9, 30. VIII, 1, 1. 10, 22. 12, 1. 14, 17. exercitus causam agit IX, 3, 3. morte extinctus IX, 3, 20.
 Cohortanus, Sogdianus VIII, 4, 21.
 Cophes, Artabazi fil. VII, 11, 5. 22. 23.
 Corycium nemus III, 4, 10.
 Cos, insula III, 1, 19.
 Cossaeorum montes IV, 12, 10.
 Craterus, dux Alex. III, 9, 8. IV, 3, 1. 13, 29. V, 4, 14. VI, 4, 2. 8, 2. VII, 6, 16, 9, 20. VIII, 1, 6. 5, 2. 10, 4. IX, 6, 6. 8, 3. 10, 19. X, 4, 8. carus regi, Philotae adversus VI, 8, 2. cum Antipatro in Europa res administrare iussus X, 7, 9. ad interficiendum Antipatrum missus X, 10, 15.
 Creta, nunc Macedonum nunc Spartanorum praesidiis occupata IV, 1, 40. ad eam liberandam Amphoterus mittitur IV, 8, 15. Cretenses sagittarii in exerc. Alex. III, 7, 15. IV, 13, 31. III, 9, 9.
 Critobulus, medicus IX, 5, 25.
 Croesus III, 4, 1.
 Cydnus, amnis III, 4, 7. 5, 1.
 Cyprus IV, 1, 27. classis inde venit Alexandro IV, 3, 11. Cypriorum reges IV, 3, 11. 8, 14. X, 1, 19.
 Cyrenenses se dedunt Alex. IV, 7, 9.
 Cyropolis in Sogdiana VII, 6, 19.

Cyrus nobilissimus rex IV, 12, 8. X, 1, 23. imperium primus in Persidem intulit IV, 14, 24. condidit urbem Persagadam V, 6, 10. exercitum eius iuvant Agriaspae VII, 3, 1. decessit VII, 6, 11. eius sepulcrum aperit Alex. X, 1, 30. qui eum maxime admiratur VII, 6, 20. eius sedes VI, 3, 12. Cyri castra III, 4, 1.

D.

- Daedala, regio Indiae VIII, 10, 19.
- Dahae, gens Asiae IV, 12, 6. VII, 4, 6. 7, 32. confines Massagetarum VIII, 1, 8. Spitamenum recipiunt VIII, 3, 1. Alexandro militant VIII, 14, 5. IX, 2, 24.
- Damascus III, 8, 12. 12, 27. 13, 2.
- Darius, Codomannus, per Bagoam in Cyri sedem admissus VI, 3, 12. ad Babylonem exercitum contrahit III, 2. de quo Charidemus indicium III, 2, 18. eius somnium et pompa III, 3, 4. superbas literas contra Alex. scripserat III, 5, 22. Ciliciam occupare festinat III, 7. eius ante pugnam consilia III, 8. proelium apud Issum III, 8 sqq. eius mater, uxor et liberi capti, ipse fugiens III, 11. eius thesauri capti III, 13. epistolae ad Alex. IV, 1, 8. 5, 1. alium exercitum Babyloniam convenire iubet IV, 6, 2. inde in Assyriam movet, IV, 9. mors uxoris IV, 10. tertia de pace legatio IV, 11. proelium ad Gaugamela, IV, 12. Darius fugit in Mediam V, 1. persequente eum Alexandro, a proditoribus vincitur et tandem telis confoditur V, 8. sqq. eius sepultura V, 13. vindicatur VII, 5. veritatis erat impatiens III, 2, 17. sanctus et mitis III, 2, 17. V, 10. haud rudis linguae graecae V, 11, 5. vaginam acinacis mutari iubet III, 3, 7. eius tabernaculum III, 11, 23. amiculum III, 12, 5. vehiculum V, 13, 15. Bagoam spadonem amaverat VI, 5, 23.
- Darius, Hystaspis f. III, 10, 8. IV, 1, 10. V, 6, 1. VII, 11, 29.
- Dataphernes VII, 5, 21. vincitur Alex. traditur VIII, 3, 16.
- Deditamenes, Babyl. satr. VIII, 3, 17.
- Demetrius, ex coniuratis contra Alex. VI, 7, 15.
- Democrates, Athen. VI, 5, 9.
- Demophon, vates IX, 4, 28.
- Derbices, gens Asiae III, 2, 7.
- Didymaeon, templum Apollinis VII, 5, 28.
- Dimachae, militum genus V 13, 8.
- Dicxenus VI, 7, 15.
- Dioxippus, Athen. pugil nobilis IX, 7, 16.
- Doryphori III, 3, 15.
- Drangae, gens Asiae VI, 6, 36 VIII, 3, 17.
- Dromades cameli V, 2, 10.
- Dropides, Athen. III, 13, 5.
- Dyardanes, fluv. Indiae VIII, 9, 9.
- Dymnus, coniurationis in Alex. auctor, comprehenditur, se ipse interficit VI, 7, 2. 24. 29. 30

E.

Ecbatana, urbs Mediae IV, 5, 8. V, 8, 1. 13, 1. VII, 10, 10. X, 4, 10.
 Echolima, urbs Indiae VIII, 12, 1.
 Elaptonius, puer nobilis VIII, 6, 9.
 Eneti III, 1, 22.
 Epimenes insidias in Alex. detegit VIII, 6, 9. 20. 24.
 Epirus X, 1, 18.
 Erigyus, dux Alex. VI, 4, 3. 8, 17. adversus Satibarzanem missus VII, 3, 2. quem singulari certamine prosternit VII, 4, 32. dissuadet Alex. bellum Scythicum VII, 7, 10. extinctus VIII, 2, 40.
 Erymanthus fl. Indiae VIII, 9, 10.
 Erythraeum mare, cur ita appellatum VIII, 9, 14.
 Erythras rex VIII, 9, 14. X, 1, 13.
 Eryx, rex Indiae VIII, 11, 7. 12, 1.
 Euhoicae gentes in Asia IV, 12, 11.
 Eudaemon, praef. Alex. X, 1, 21.
 Euergetae, cognomen Agriaspae VII, 3, 1.
 Eumenes, Cardianus, dux Alex. IX, 1, 19. post Alex. mortem Cappadociae praefectus X, 10, 3.
 Euphratis ortus cursusque V, 1, 13. interfluit Babylonem V, 1, 28. altum limum vehit V, 1, 29. munimentum regni Persici IV, 5, 4. 14, 4. IV, 9, 9. VI, 2, 12.

Euripides VIII, 1, 28.
 Europa VI, 2, 13. inundata exercitu V, 7, 8. Europae bellum intulerunt Darius et Xerxes V, 6, 1.
 Eurylochus VIII, 6, 20.
 Euthymon, Cumaeus V, 5, 9.
 Excipinus aetatis flore conciliatus Alex. VII, 9, 19.

F.

Favonius VI, 6, 28.

G.

Gabaza, regio Sogdianae VIII, 4, 1.
 Gades, colonia Tyri IV, 4, 20. X, 1, 17.
 Gamaxus, regulus Indiae VIII, 13, 4.
 Gangabas, quos vocant Persae III, 13, 7.
 Gangaridae, gens Indiae IX, 2, 2.
 Ganges, fl. Indiae VIII, 9, 5. IX, 2, 2.
 Garabactra IX, 7, 1.
 Gaugamela IV, 9, 8.
 Gaza, urbs Syriae, quam Alex. obsidet et expugnat IV, 5, 6.
 Gazam Persae vocant pecuniam regiam III, 13, 5.
 Gedrosia, regio Asiae IX, 10, 5. 18.
 Getae X, 1, 44.
 Gobares, Persa V, 6, 10.
 Gordianorum terrae V, 1, 14.
 Gordium, urbs III, 1, 12. 14.
 Gordyaei montes IV, 10, 8.
 Gorgatas, Macedo VII, 1, 38.
 Gorgias, Macedo VII, 1, 38.
 Gortuae, gens Asiae IV, 12, 11.

- Graecia V, 11, 6. VI, 2, 5. eius totius conventu celebrata Isthmia IV, 5, 11. eam tenet Alex. IX, 6, 20. Graecae urbes III, 1, 20. Graecos ad Hellesponti oram vastat Darius IV, 1, 10. Graecorum legati ad Damascum capti III, 13, 6. Graeci Dario militant III, 2, 9. V, 11, 11. eorum fides erga Darium V, 10, 7. praecipua Darii spes III, 8, 1. milites apud Dar. et Alex. III, 1, 8. V, 12. III, 9. III, 11. V, 5. Graeci decernunt Alexandro coronam auream IV, 5. eorum concilium VI, 1. fabulae III, 1, 2. V, 1. mores IX, 4. temporaria ingenia IV, 5, 11. mitia ingenia VIII, 3, 15. mores mali VIII, 5, 7. mentiendi licentia VIII, 10, 12. Graeca lingua V, 11, 5. sermo Graecus V, 11, 7.
- H.**
- Hages, Pori frater VIII, 14, 2. Halicarnassus urbs III, 7, 4. VIII, 1, 36. proelium apud Halicarn. V, 2, 5. Halys Lydiam terminat IV, 11, 5. Hammon VI, 10, 28. eius oraculum, effigies, nemus etc. IV, 7, 23. ad eum corpus suum ferri iubet Alex. X, 5, 4. Hammonii IV, 7, 20. Harpalus, praef. thesaurorum Alex. X, 2, 2. IX, 3, 21. Haustanes Sogdianus VIII, 5, 2. Hecataeus Macedo VII, 1, 38. Hecatompylos, urbs VI, 2, 15. Hector, Parmenionis fil. IV, 8, 8. VI, 9, 27. Hegelochus, praef. Alex. III, 1, 19. insulas in ditionem Alex. redigit IV, 5, 14. Hegelochus alius, familiaris Parmenionis VI, 11, 22. Hellanice, Alexandri educatrix VIII, 1, 21. cuius filii occumbunt VIII, 2, 8. Hellanicus, virtutis causa donatus V, 2, 5. Hellespontus III, 1, 19. 5, 7. IV, 1, 36. Hephaestion, dux Alex. eique carissimus III, 12, 15. pulchritudo et lepor VII, 9, 19. IV, 5, 10. VI, 2, 9. 8, 17. VIII, 1, 1. 2, 13. 10, 2. 12, 6. IX, 1, 35. 10, 6. vulneratus IV, 16, 31. in matrimonium duxerat filiam Darii X, 5, 20. Heracon X, 1, 1. Hercules III, 8, 10. IV, 1, 22. 13, 24. VIII, 5, 8. dicatus deus VIII, 5, 11. a quo genus ducunt Maced. reges IV, 2, 3. eum aequaturus Alex. IX, 2, 29. eius ara IV, 3, 22. columnae X, 1, 17. termini III, 10, 5. IX, 4, 21. in somnis oblati Alex. IV, 2, 17. eum Tyrii praecipue colunt IV, 2, 3. eius decimae IV, 3, 19. craterem ei dicat Alex. IV, 8, 16. ad Indos venit VIII, 10, 1. qui simulacrum eius agmini praeferunt VIII, 14, 11. eius exercitus IX, 4, 21. frustra obsedit Aornin VIII, 11, 2. Hermolaus, puer nobilis VIII, 6, 7. Hipsides quidam VII, 7, 36.

Hispaniae X, 1, 18.
 Histaspes VI, 2, 7.
 Horitae, gens Asiae IX, 10, 6.
 Horratas Macedo eiusque cum
 Dioxippo certamen singulare
 IX, 7, 17.
 Hyarotis, fl. Indiae IX, 1, 13.
 Hydaspes, fl. Indiae IV, 5, 4.
 VIII, 12, 13. IX, 4, 1.
 Hypasis, fl. Indiae IX, 1, 35.
 Hyrcania, regio Asiae IV, 5, 5.
 V, 13, 11. VI, 4, 18. VIII, 3,
 17.
 Hyrcani III, 2, 6. 9, 5. Hyrcan-
 nium mare VI, 4, 18.

I.

Iberia, ab Ibero fl. vocata X,
 1, 18.
 Idarnes, praetor Darii IV, 5, 13.
 Ilioneus, Artabazi fil. III, 13,
 13.
 Illyrii, raptum vivere adsueti III,
 10, 8. eorum praeruptae petrae
 III, 10, 6. ab Alex. subacti
 IX, 6, 20. milites Alex. III,
 10, 8. IV, 13, 31.
 Imbrus ins. IV, 5, 22.
 Immortales, Persarum agmen
 III, 3, 13.
 India X, 10, 4. describitur
 VIII, 5, 3. praecipue VIII, 9,
 2. Indis ignota IX, 3, 8. vis
 frigoris Indiae VII, 11, 8. In-
 dus annis VIII, 10, 2. 11, 7.
 gelidior VIII, 9, 4. Rex Indus
 IX, 1, 28. Indi III, 2, 9. 10, 5.
 conveniunt ad Darium IV, 9,
 2. accolae rubri maris IV, 12,
 9. Oceani IV, 5, 5. in potesta-
 te Darii V, 9, 5. Bessi auxilia-
 res VII, 4, 6. maritimi IX, 10,
 8. vinosi VIII, 9, 30.

Ioeus quidam VI, 7, 15.
 Iollas, fil. Antipatri, Alexan-
 dri pincerna X, 4, 19. 10, 14.
 Ionas servitio barbarorum exi-
 mit Alex. VI, 3, 3. Ionia IV,
 5, 7. Ioniae coloniae IV, 1, 10.
 Issus, urbs, III, 7, 6. 8, 14. IV,
 1, 34.
 Ister VII, 7, 4. IV, 11, 13.
 Isthmus inter Ponticum et Ci-
 licium mare III, 1, 13. Isth-
 miorum ludicrum IV, 5, 11.
 Italia VIII, 1, 37. X, 1, 18.
 Iupiter, Graeciae ultor V, 5, 8.
 Iovis Hammonis oraculum IV,
 7, 5. eius filius dici credique
 vult Alex. VIII, 5, 5. eum
 propitiat IV, 13, 15. Iovis ara,
 III, 12, 27. templum III, 1, 14.

L.

Lacedaemonii bellum gerunt
 cum Antipatro VI, 1, sqq. eor-
 um legati ad Darium capti
 III, 13, 6. defectio VII, 4, 32.
 pleraque Cretensis insulae
 obtinent IV, 8, 15. Spartana
 victoria X, 10, 14.
 Laomedon Syriac praest X,
 10, 2.
 Leonidas quidam VII, 2, 35.
 Leonnatus, praefect. Alex. III,
 12, 7. VI, 8, 17. VIII, 1, 46. 6,
 22. 14, 15. IX, 5, 14. 10, 2.
 stirpe regia genitus X, 7, 8.
 eius provincia X, 10, 3.
 Lesbos III, 1, 19.
 Leucosyri VI, 4, 17.
 Libanus mons IV, 2, 18. X, 1,
 19. in Libano agrestes Ara-
 bum IV, 2, 24.
 Liber Pater. Vid. Bacchus.
 Libya, pluviis carens IV, 7, 6.

Locrenses IV, 13, 29.
 Lycaonia, regio Asiae IV, 5, 13.
 Lycia VII, 10, 12. eius res compositae III, 1, 1. eam obtinet Antigonus X, 10, 2. Lycius civis V, 4, 11. dux itineris V, 7, 12.
 Lycus, fluv. Asiae minoris III, 1, 5. alius fluv. Assyriae, quem ponte iungit Darius et traicit IV, 9, 9, 16, 8.
 Lydia IV, 5, 7. VII, 8. in L. ducit Cyrus III, 4, 1. eam terminat Halys IV, 11, 5. ei praefectus Antigonus IV, 1, 15. V, 3, 16. eam recuperare tentant praetores Darii IV, 1, 34. provincia Menandri X, 10, 2.
 Lyncestes IV, 13, 28. Alexander Lync. VII, 1, 5. VIII, 8, 6. X, 1, 40. Amyntas V, 2, 5.
 Lyrnessus III, 4, 10.
 Lysimachus, dux Alex. VIII, 1, 14. 46. X, 10, 4.

M.

Macedonia VI, 2, 15. Macedones imperio regio adsueti IV, 7, 31. toto orbe noti IV, 14, 4. tali rege dignissimi, IV, 16, 32. gens bello nobilissima VI, 1, 7. cui armis nulla gens par VII, 9, 17. VIII, 8, 16. in acie senes facti IX, 2, 10. moris patrii tenaces VIII, 5, 7. liberatores orbis III, 10, 4. Macedonum acies III, 2, 13. 3, 27. tropaea III, 12, 27. VII, 7, 14. regum genus IV, 2, 3. genti ingenita erga reges suos veneratio III, 6, 17. fortitudo III, 10, 4. celebrata IX, 7, 23.

nomen terribile IV, 14, 17. barbaris invisum facit avaritia ac libido eorum X, 1, 4. lex de propinquis coniuratorum necandis VI, 11, 20. VIII, 6, 28. bella civilia X, 9, 1. Macedonicae phalangis vis III, 9, 2. Macedonicae vestes V, 2, 18. Macedonica nomina barbaris imposita X, 4, 4.
 Macerianus Boxus IX, 7, 4.
 Madates Persa V, 3, 4. 12.
 Maedi, gens Thraciae IX, 6, 20.
 Maeotis palus VI, 4, 18.
 Magi III, 3, 9. V, 1, 22. magica ars VII, 4, 8.
 Maleon turmae, IV, 13, 29
 Malli, gens Indiae IX, 4. sqq.
 Mallos, urbs Ciliciae, III, 7, 5.
 Maracanda, urbs Sogdianae VII, 6, 3. VIII, 1, 7. 19. 2, 13.
 Marathos, urbs Phoeniciae IV, 1, 6.
 Mardonius, IV, 1, 11.
 Mardus III, 13, 2. Mardi in Perside IV, 12, 7. V, 6, 17. prope Hyrcaniam VI, 5, 11. VIII, 3, 17.
 Mare Caspium III, 2, 8. VI, 4, 16. 18. Hyrcanum ibid. et VII, 3, 21. Cilicium III, 1, 12. Indicum VII, 3, 7. ei. color VIII, 9, 4. rubrum III, 12. IV, 7, 18. 12, 9. V, 4, 5. VI, 2, 12. X, 1, 13. Persicum V, 3, 2. Ponticum III, 1, 12. VII, 3, 4. 4, 27.
 Mareotis palus, IV, 7, 9. 8, 1.
 Marginia urbs VII, 10, 15.
 Marsyas III, 1, 2.
 Massagetae IV, 12, 6. 15, 2. VIII, 1, 8.
 Mazaces IV, 1, 32.
 Mazaesus dux Darii IV, 9, 7. 11, 20. 12, 1. 15, 5. 16, 1. Ba-

- bylonem seque dedit Alex. V, 1, 17. 8, 12.
- Mazagae urbs Indiae VIII, 10, 7. 22.
- Media IV, 5, 5. V, 1, 9. 8, 1. 13, 1. VI, 2, 11. X, 10, 4. Mediae praest Parmenion VI, 8, 18.
- Media nulla opulentior regio VI, 9, 22. Medi III, 2, 4. 9, 5. IV, 9, 16. 12, 11. VI, 2, 14. 6, 4.
- Medus fluv. V, 4, 7.
- Megalopolitani obsessi VI, 1, 20.
- Meleager, dux Alex. III, 9, 7. IV, 13, 27. V, 4, 14. VII, 6, 19. liberalitatem Alexandri suggillat VIII, 12, 12. infestus Perdiccae X, 7, 7.
- Melon, Darii interpres V, 13, 7.
- Memaceni, gens Asiae VII, 6, 17.
- Memnon Rhodius, nobilissimus Darii dux III, 13, 14. eius mors III, 1, 21. 2, 1. alius Syriae praefectus IV, 8, 11. alius supplementa adducit IX, 3, 21.
- Memnonis, Tithoni fil., regia IV, 8, 3.
- Memphis IV, 1, 30. 7, 4. 8, 2. X, 10, 20.
- Menander, dux Alex. X, 10, 2.
- Menapis, satrapa Hyrcaniae VI, 4, 25.
- Menedemus, dux Alex. VII, 6, 24. 7, 31. 9, 21.
- Menes, dux Alex. V, 1, 43.
- Menidas, dux Alex. IV, 12, 4. 15, 12. 16, 31. VII, 6, 12. 10, 11.
- Mennis, urbs Assyriae, V, 1, 16.
- Menon, praefectus Arachosiorum VII, 3, 5. moritur IX, 10, 20.
- Mentoris filiae III, 13, 14.
- Meros, mons Indiae VIII, 10, 12.
- Mesopotamia, unde dicta V, 1, 15. fervida X, 10, 10. ei. campi III, 2, 3. 8, 1. IV, 9, 6. V, 1, 13. praetores X, 1, 19.
- Methymnaeorum tyrannus Aristonicus IV, 5, 19. Chrysolaus IV, 8, 11.
- Metron, armamentario praefectus VI, 7, 22. 9, 9.
- Midiae regia III, 1, 12. pater Gordius, III, 1, 14.
- Milesii VII, 5, 29. ab iis pecuniam exigit Pharnabazus IV, 1, 37.
- Miletus VII, 5, 35. VIII, 2, 8.
- Mileto transierant Branchidae VII, 5, 28.
- Minervae ludi celebrati III, 7, 3. eam propitiat Alex. IV, 13, 14. ei. arae III, 12, 27. VIII, 11, 24. victimae caesae VIII, 2, 32.
- Mithren invocat Darius IV, 13, 12.
- Mithrenes Sardes prodidit III, 12, 6. ei Armenia data V, 1, 43. 8, 12.
- Mitylenen Chares tenet cum praesidio Persarum IV, 5, 22.
- Mitylenaeis obsides reddit Alex. IV, 8, 13.
- Moeris, rex Indicus IX, 8, 28.
- Monimus, legatus Spartan. ad Dar. III, 13, 15.
- Mosyni, gens Asiae VI, 4, 17.
- Mullinus quidam VIII, 11, 5.
- Musicani, gens Indiae IX, 8, 8. 10. 18.
- Myndii III, 7, 4.
- Mythracenes V, 13, 9.

N.

Nabarzanes, praetor Dar. III, 9, 1. 7, 12. coniurat in Darium

- V, 9, 2. Hyrcaniam petit fuga V, 13, 18. VI, 3, 9. ei. literae ad Alex. VI, 4, 8. occurrit Alexandro VI, 5, 22.
- Nasamones, gens Africae IV, 7, 19.
- Naura, urbs Sogdianae VIII, 2, 19.
- Nearchus, dux Alex., per Oceanum navigat IX, 10, 3. X, 1, 10. eius sententia de successore Alex. X, 6, 10.
- Neptunus, IV, 2, 20. 4, 5.
- Nicaea, urbs Indiae IX, 3, 23.
- Nicanor, Parmenionis fil. III, 9, 7. IV, 13, 27. V, 13, 19. moritur VI, 6, 18. 9, 27. alius coniurat in Alex. VI, 7, 15. alius, temerarius, et audax VIII, 13, 13.
- Nicarchides V, 6, 11.
- Nicomachus VI, 7, 2.
- Nicostratus VIII, 6, 9.
- Nilo vectus Alex. IV, 7, 3. eius claustra IV, 8, 4. crocodilos alit VIII, 9, 9.
- Ninus III, 3, 16.
- Numidiae solitudines X, 1, 17.
- Nymphae III, 1, 4.
- Nysa, urbs Indiae, a Libero patre condita VIII, 10, 7. 12. 13.
- O.**
- Oceanus IV, 14, 9. IX, 3, 14. 9, 9. X, 5, 36.
- Ochus amnis VII, 10, 15.
- Ochus Darii fil. sex annos natus III, 12, 26. IV, 11, 6. 14, 22. X, 5, 23.
- Ochus, qui ante Darium regnaverat VI, 4, 25. 5, 2. saevissimus X, 5, 23. ei. filia III, 13, 12. uxor ibid. 13. neptis VI, 2, 7.
- Odrysaе, deficiunt X, 1, 45.
- Olympias, Alex. mater V, 2, 22. IX, 6, 26. eam immortalitati consecrare decrevit Alex. IX, 6, 26. X, 5, 30
- Olynthius, Callisthenes VIII, 8, 19.
- Omphis, rex Indicus VIII, 12, 4.
- Onesicritus gubernator IX, 10, 3. X, 1, 10.
- Onomastorides III, 13, 15.
- Orestes IV, 13, 28.
- Oritae vid. Horitae.
- Orius amnis IV, 7, 4.
- Orobates IV, 12, 7.
- Orsillos V, 13, 9.
- Orsines, sive Orxines X, 1, 29. a septem Persis oriundus IV, 12, 8. satrapa Persagadum X, 1, 22. ei. supplicium X, 1, 37.
- Oxartes Bactrianus, Roxanes pater VIII, 2, 25. IX, 8, 10. X, 3, 11.
- Oxathres, Darii frater VII, 5, 40.
- Oxus amnis VII. 4, 5. turbidus semper et insalubris potu VII, 10, 13.
- Oxycanus, rex Indicus IX, 8, 11.
- Oxydates, Persa VI, 2, 11 VIII, 3, 17.
- Oxydracae, gens Indiae IX, 4 sqq.
- Ozinos IX, 10, 19.
- P.**
- Paeones IV, 9, 24. Paeonia IV, 12, 22.
- Palaetyros IV, 2, 4.

- Pamphylia III, 1, 1. Antigono datur X, 10, 2.**
Punicus terror, IV, 12, 14.
Paphlagoniam intrat Alex. III, 1, 22. capit Calas IV, 5, 13. cedit Eumeni X, 10, 3. Paphlagones homines rustici VI, 11, 4.
Paraetacene, regio Asiae V, 13, 2.
Parapamisus mons, VII, 3, 6. 4, 31. Parapamisadae VII, 3, 6. eorum satrapa Terioltes IX, 8, 9.
Parmenio, Alexandro proximus, artium belli peritissimus III, 4, 15. 6, 4. IV, 13, 4. Issum capit III, 7, 6. in laevo cornu curat III, 9, 8. IV, 13, 35. 16, 1. praemittitur Damascus, III, 12, 28. tradit Andromacho Coele-Syriam IV, 5, 9. Darii non patitur literas palam recitari, IV, 10, 17. parti exercitus praeest V, 6, 11. VI, 8, 7. Mediae praeest VI, 8, 18. 9, 11. proximus Alexandro VII. 1, 27. Cf. et III, 6, 14. 6, 4. IV, 1, 4. 11, 11. VII, 1, 3. 2, 33. VIII, 1, 33. occisus a Cleandro VII, 2, 27. indicta causa VIII, 7, 5.
Paropamisus v. Parap.
Parthi, Scythia profecti IV, 12, 11. habent urbes quas habuerunt Macedonum reges V, 7, 9. Ecbatana tenent V, 8, 1. Parthiene VI, 2, 12. 4, 2. IX, 10, 17. V, 12, 18.
Pasas quidam X, 8, 15.
Pasitigris, fluv. Asiae V, 3, 1.
Patalia, gens IX, 8, 28.
Patron, dux Graec. militum Darii V, 9, 14. 11, 8. 12, 4.
- Pausippus, legatus Lacedaem. III, 13, 15.**
Peloponnenses III, 9, 8. IV, 13, 29. VII, 4, 31.
Peloponnesus III, 1, 1.
Pelusium IV, 1, 29. 7, 2.
Perdicca, rex Macedonum, inultus occiditur VI, 11, 26. alius, inter praecipuos Alex. duces IV, 3, 1. 16, 13. VI, 8, 17. VII, 6, 19. VIII, 1, 48. 10, 2, 14, 5. IX, 1, 19. Alex. moribundus annulum ei tradit X, 5, 4. stirpe regia genitus X, 7, 8. res gestae eius post Alex. mortem X, 6.
Perilaus X, 8, 15.
Persae. agminis eorum ordo III, 3, 10. feminis lanificium contumeliosum V, 2, 19. filii non consistent in conspectu matris, nisi quum illa permisit V, 2, 22. imperarunt per 230 annos IV, 14, 20. detondent comas in luctu X, 5, 17. eorum opibus cur infensi Aegyptii IV, 7, 1. capitale in sella regis sedisse VIII, 4, 17.
Persagadae V, 6, 10.
Persepolis V, 4, 33. 6, 19.
Persis III, 11, 19. V, 1, 37. opulenta IX, 10, 23. prima V, 3, 3. fines V, 2, 16. situs V, 4, 5. reges IV, 10, 6. V, 6, 1. eam intrat Alex. V, 3, 17. in Persidem primus imperium intulit Cyrus IV, 14, 24.
Peucestes Aegypto praefectus IV, 8, 4. alius subvenit Alexandro periclitanti IX, 5, 14.
Peucolaus, praef. Alex. VII, 10, 10.
Pharnabazus a Dario orae maritimae praefectus III, 3, 1. 8,

1. IV, 1, 37. 5, 24. eius uxor et filius III, 13, 14.
 Pharos insula IV, 8, 1.
 Pharrasii, gens Indica IX, 2, 3.
 Phasis fl. VI, 5, 25.
 Phegeus, rex Indicus IX, 1, 36. 2, 2.
 Philagus IV, 13, 28.
 Philippus Alex. pater, Atheniensium et Boeotiae victor III, 10, 7. VIII, 1, 33. a quibus interfectus IV, 1, 12. in acie tutior quam in theatro fuit IX, 6, 25. ab Alex. non agnitus IV, 7, 27. V, 4, 27. ei gesta elevat Alex. VIII, 1, 23. ei. hospes Artabazus V, 9, 1. VI, 5, 2. in eius caedem coniuravit Alex. Lyncestes VII, 1, 6. Philippum ultus erat Alex. X, 5, 30. Menapis exsul ap. Phil. VI, 4, 25. Philippo genitus Ptolemaeus IX, 8, 22.
 Philippus alius, Alex. medicus III, 9, 1. IV, 6, 17. VI, 10, 34.
 Philippus alius, Lysimachi frater VIII, 2, 35.
 Philippus alius, ex vulnere interit X, 1, 20.
 Philotas, Parmenionis fil. IV, 5, 19. 13, 26. V, 2, 5. 4, 20. VI, 6, 19. 7, 18. coniurat in Alex. et occiditur VIII, 6, 9. — alius, Angeus V, 2, 5. cui Cilicia data X, 10, 2.
 Phoenix IV, 1, 15. 2, 1. 5, 10. Laomedonti datur X, 10, 2.
 Phradates, praef. gentis Tapurorum IV, 12, 9. VI, 4, 24. 5, 21. occiditur X, 1, 39.
 Phrataphernes, satr. Parthaeorum VI, 4, 23. VIII, 1, 8. IX, 10, 17.
 Phrygia III, 1, 11. IV, 12, 11. pluribus vicis quam urbibus frequens III, 1, 11. Phr. maior Antigono cedit X, 10, 2. minor, X, 10, 3. Phryges homines rustici VI, 11, 4.
 Pinarus fl. III, 8, 28.
 Pithon, dux Alex. IX, 8, 16. X, 10, 4.
 Plato quidam V, 7, 12.
 Pnytagoras IV, 3, 11.
 Poeni IV, 2, 11. 3, 22. 9, 24.
 Polemon praef. claustr. Nili IV, 8, 4. alius Andromenis fil. VII, 1, 10.
 Pollux VIII, 5, 8.
 Polydamas IV, 15, 6. VII, 2, 2.
 Polymenes IV, 8, 4.
 Polypercon, dux Alex. IV, 13, 7. V, 4, 20. VIII, 5, 2. 22. 11, f.
 Polystratus V, 13, 24. 29. 31.
 Polytimetus fl. As. VII, 10, 2.
 Ponticum mare III, 1, 12. VII, 3, 4. 4, 27. X, 10, 4.
 Porus, rex Indicus VIII, 12, 13. ad deditionem sollicitatur VIII, 13, 2. ei. literae ad Alex. X, 1, 20. magnitudo VIII, 14, 13. cum consequitur Alex. ibid. 38. cum Taxile reconciliat IX, 3, 22.
 Praesti, gens Indiae IX, 8, 11.
 Prometheus VII, 3, 22.
 Ptolemaeus, qui postea regnavit IX, 5, 21. historiam Alex. scripsit, ibid. Philippo rege genitus creditur IX, 8, 22. dux Alex. III, 9. VII, 10, 11. VIII, 1, 48. 6, 22. 10, 21. 13, 18. saucius IX, 8, 22. 10, 6. satr. Aegypti X, 10, 1.
 Pyramus fl. III, 4, 7. 7, 5.

R.

- Rheomithres III, 11, 10.
 Rhidagus fl. VI, 4, 6.
 Rhodii se dedunt Alex. IV, 5,
 9. queruntur de praesidio IV,
 8, 12.
 Rhoesaces imminens gladio
 Alex. VIII, 1, 20.
 Romana mansuetudo IV, 4, 21.
 felicitas X, 9, 3.
 Roxane VIII, 4, 23. praegnans
 X, 6, 9.
 Rubrum mare III. 2, 9. VI, 2,
 12. VIII, 9, 14. X, 1, 13. 10, 4.

S.

- Sabaces praetor Aegypti III,
 11, 10. IV, 1, 28.
 Sabrae IX, 8, 4.
 Sabus, Indicus rex IX, 8, 13.
 Sacae V, 9, 5. VII, 4, 6. 9, 17.
 VIII, 4, 20.
 Sagae V, 9, 5.
 Samaritae IV, 8, 9.
 Samothracum initia VIII, 1, 26.
 Sangarius fl. III, 1, 12.
 Sardes III, 12, 6. V, 1, 45.
 Sarmatae VII, 7, 3.
 Satibarzanes satr. Ariorum VI,
 6, 13. VII, 3, 1, 4, 33.
 Satrapene V, 2, 1.
 Satrapes Aegypti Ptolemaeus
 X, 10, 1. Ariorum, VII, 3, 1.
 Darii III, 13, 1. VI, 6, 10. gen-
 tis IX, 10, 21. Hyrcaniae VI,
 4, 25. nobilis VIII, 4, 21. sa-
 trapae X, 1, 22. eor. voluptas
 VII, 2, 22. satrapia Babylo-
 niae V, 1, 43. Mediae VI, 2,
 11. Susiae V, 2, 17. 3, 16.
 Satriani V, 3, 2.
 Satropates IV, 9, 7. 25.

- Saturno pueri immolati IV, 3,
 23.
 Scenitae Arabes IV, 7, 18.
 Scythae, eorum facies terribi-
 les IV, 13, 5. proceritas VII,
 4, 6. sollertia prae aliis bar-
 baris VII, 8, 10. arcus X, 1,
 31. rex VII, 7, 1. legati et oratio
 VII, 8, 8. gens bellicosis-
 sima IV, 6, 3. impetus IV, 15,
 12. invicti VII, 9, 17. devicti
 ibid. 18. conveniunt ad Da-
 rium IV, 9, 2. militant Alex.
 VIII, 14, 5. IX, 2, 24. eorum
 sedes quae VI, 2, 13. accolae
 Tanais VI, 6, 13. ultra Tana-
 im VII, 4, 6. Abii VII, 6, 11.
 super Bosphoro VII, 6, 12. VIII,
 1, 7. in Europa VII, 6, 12. 7,
 2. haud procul Thracia VII,
 7, 3. Scythiae deserta VII, 3,
 19. 8, 23
 Semiramis Babylonem condidit
 V, 1, 24. ei. gesta IX, 6, 23.
 eam et Cyrum Alex. maxime
 admiratur VII, 6, 20.
 Seuthes X, 1, 45.
 Sibyrtius satr. IX, 10, 20.
 Sicilia VIII, 5, 8.
 Sidon IV, 1, 15. Sidonii IV, 4,
 15.
 Simmias, Andromenis fil. VII,
 1, 10.
 Sinus maris Caspii VI, 4, 16.
 Siros, quid vocent barbari VII,
 4, 24.
 Sisenes III, 7, 15.
 Siscostus Indus VIII, 11, 24.
 Sisygambis mater Darii III, 3,
 22. capta III, 12, 17. non fudit
 victoriae suorum IV, 15, 11.
 aspernatur munus Alex. V, 2,
 19. mater ab eo appellatur V,
 2, 20. deprecatur eum pro ne-

- cessario suo V, 3, 14. inedia
 extinguitur X, 5, 24. eius ad
 Alex. oratio III, 12, 24. ad
 eam Darii corpus mittit Alex.
 V, 15, 31.
 Sitacene V, 2, 1.
 Sitalces, X, 1, 1.
 Sobii, gens Indiae IX, 4, 2.
 Socrates, Ciliciae satr. IV, 5, 9.
 Sogdiana regio VIII, 1, 35.
 qualis VII, 10, 1. Sogdiani III,
 2, 9. IV, 5, 5. 12, 7. VII, 4, 5.
 5, 1. 8, 21. 10, 10. VIII, 1, 7.
 X, 10, 1. inter Macedones mi-
 litant IX, 2, 24.
 Soli urbs III, 7, 2.
 Sophitis, Indi, regnum IX, 1, 24.
 Sopolis, VIII, 7, 2.
 Sostratus VIII, 6, 8.
 Sparta vid. Lacedaemonii.
 Spitamenes, praecipuus Bessi
 amicus VII, 5, 19. 6, 14. 7, 31.
 9, 20. VIII, 3, 1.
 Stasanor, Ariorum satr. VII,
 3, 2. VIII, 3, 17.
 Statira, filia Darii IV, 5, 1.
 Strato rex Aradi IV, 1, 6. Si-
 donis IV, 1, 16.
 Styx, fons X, 10, 17.
 Sunium X, 2, 1.
 Susa urbs V, 1, 7. eam adit
 Alex. et Archelao tradit V, 2,
 16. Susii IV, 12, 6. Susides
 pylae V, 3, 17.
 Symmachus VIII, 13, 13.
 Syphnus IV, 1, 37.
 Syracusae IV, 3, 22.
 Syri IV, 1, 5. 12, 12. Syria III,
 8, 13. IV, 2, 1. V, 1, 35. 13, 11.
 IV, 8, 9. VII, 10, 12. X, 1, 17.
 10, 2. Syria Coele IV, 1, 4. 5, 9.
 Syrtica gens IV, 7, 19.
 Sysimithres Sogdianus VIII, 2,
 19. 4, 19.
- T.**
- Tabas, urbs V, 13, 2.
 Tanais (a Curtio cum Iaxarte
 confusus) interfluit Asiam et
 Europam VI, 2, 14. VII, 7, 2.
 IV, 5, 5. VII, 4, 6. 5, 36. 6, 25.
 Tapuri, gens Asiae VI, 4, 24.
 VIII, 3, 17.
 Tarsos urbs III, 4, 14. 5, 1.
 Tauron, praef. Alex. V, 3, 10.
 VIII, 14, 15.
 Taurus mons VII, 3, 20.
 Taxiles pater et filius, reges
 Indiae VIII, 12, 14. 14, 35. X,
 1, 20.
 Tenedos ins. IV, 5, 14.
 Terioltes satr. IX, 8, 9.
 Thais V, 7, 3.
 Thalestris, Amazonum regina
 VI, 5, 25.
 Theaetetus Atheniensis V, 5, 17.
 Thebae in Boeotia, colonia
 Tyri IV, 4, 20. earum exci-
 dium VIII, 1, 33.
 Thebe III, 4, 10.
 Themiscyrae campi VI, 5, 24.
 Theodotus V, 2, 5.
 Thermodoon fl. VI, 5, 24.
 Thersippus leg. Alex. IV, 1, 15.
 Thessali equites III, 2, 16. 4,
 3. IV, 13, 29. 16, 5. VI, 6, 35.
 Thracia III, 10, 6. VI, 2, 13.
 VII, 7, 3. IX, 6, 20. X, 1, 45.
 Thraces raptio vivere adsueti
 III, 10. militant Alexandro
 III, 4, 13. 9, 9. V, 3, 3. VIII,
 14, 24. X, 1, 45.
 Thymodes, Mentoris fil. III, 3,
 1. 8, 1. 9, 2.
 Tigris IV, 5, 4. 9, 6. 14, 10. VI,
 2, 12. sagittam significat IV,
 9, 6. eius ortus et cursus V, 1,
 13.

Timaeus Alexandrum defendit IX, 5, 5. 16.

Timagenes historicus IX, 5, 21.

Tithoni regia IV, 8, 3.

Trapezus X, 10, 3.

Triballis imperitat Alexander IX, 6, 20.

Tripolis Phoeniciae IV, 1, 27.

Troglodytae Africae IV, 7, 18.

Typhonis specus III, 4, 10.

Tyridates custos pecuniae regiae V, 5, 2. 6, 11. alius forte VIII, 6, 26.

Tyriotes Eunuchus IV, 10, 25.

Tyri urbis descriptio et expugnatio IV, 2 sqq. Tyrii Carthaginem condiderunt IV, 2, 10. literas primi aut docuerunt aut didicerunt IV, 4, 19.

U.

Unchae, locus Syriae IV, 1, 3.

Uxiorum gens V, 3, 16. regio V, 3, 3. montes ibid. 1.

V.

Veneti, gens Asiae III, 1, 22.

X.

Xenippa, locus Sogdianae VIII, 2, 14.

Xenophilus V, 2, 16.

Xerxes, rex Persarum III, 2, 2. 10, 8. IV, 1, 11. V, 6, 1. 7, 11. VII, 5, 28. X, 6, 14.

Z.

Zariaspes Persa IX, 10, 19.

Zioberis fluv. VI, 4, 4.

Zoilus praef. Alex. VI, 6, 3.

Zopyrius dux Alex. X, 1, 44.


$\frac{1}{D}$

415224

2000

6803-24

1965



Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: August 2006

PreservationTechnologies

A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 087 167 4

